



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

1914-1915
Legend

1-2-11

4° Cas. Sl.

Conf. 2nd for Acta Ernd: 78 Eff. 111.

MARTINI HASSEN

MORAL. AC CIVIL. IN ACAD. VITEMB. PROF. P.

SYNOPSIS SCIENTIAE

DE

PRVDENTIA MORALI VNIVERSA,
ETHICAM, SEV PRVDENTIAM DE VIRTUTE MORALI,
PRVDENTIAM IVRIS NATVRAE ET GENTIVM, ET PO-
LITICAM, SEV PRVDENTIAM CIVILEM ET IVRIS
PVBLICI VNIVERSALIS,

ADEOQVE

PRAECIPVA HONESTI, DECORI, IVSTI, AEQVI
ET BONDPINCIPIA,


SVCCINCTIS POSITIONIBVS

CVPIDAE MORVM IVVENTVTIS

MAXIME

AVDITORII SVI PRIVATI VSVM

APTA CONNEXIONE AC MNEMONICA METHODO
ACCOMMODATIS COMPLEXA



VITEMBERGAE,

APVD CHRIST. THEOPH. LVDOVICVM, MDCCXXI.

STOICISM

CLEM. ALEXANDRIN.

lib. I. Strom. f. 288. edit. Lutet. 1679.
ex interpr. Heruet.

Philosophiam (meam) non dico Stoicam, nec Platoniam, aut Epicuream, et Aristotelicam, sed quaecunque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam: quaecunque autem ex humanis amputata cogitationibus, adulterarunt, ea nunquam diuina dixerim.

STOICISM

INTRODVCTIO GENERALIS.

Scientia de prudentia morali est disciplina, quae uersatur circa mores hominum, ex principiis naturalibus ita formandos, ut recti et boni euadant.

2 Dicitur scientia de prudentia, seu scientia practica, quia non in nuda obiecti scibilis cognitione subsistit, sed ad praxin quoque, seu actionem tendit, ad morum scilicet bonorum exercitium.

3 Sunt autem mores, qui practicae huius scientiae obiectum existunt, nihil aliud, quam actiones hominum rationales, ad certam normam relatae.

4 Norma est lex, seu uoluntas superioris, cui homines certa de causa sunt subiecti, suasque actiones, si bene uelint agere, conformare debent.

5 Quippe in conuenientia actionum cum lege moralis consistit bonitas, i. morum rectitudo, in discrepantia à lege morum prauitas.

6 Est autem talis hic intelligenda lex, quam homines, nullo Reuelationis subsidio instructi, sola Rationis ui cognoscere et obseruare possunt.

7 Moralis quippe scientia, qualem hic tradere nobis conuenit, non Theologica est, sed Philosophica, ideoque ex naturalibus etiam principiis, non reuelatis, demonstranda.

8 At morum rectitudo, quam scientia haec suum constituit finem, non imperfecta esse debet, sed perfecta, singulis nimirum circumstantiis, circa actionem moralem attendendis, congrua.

9 Hoc nomine et subiecti, et obiecti, et finis, et modi bonitas potissimum requiritur, ita scilicet, ut actio moralis à bona mente ad bonum finem circa bonum obiectum bono modo dirigatur.

10 Actio, sic comparata, generali quidem vocabulo, bona, recta, seu honesta dicitur, pro diuersa tamen istarum circumstantiarum ratione, diuersis etiam ac distinctis notatur nominibus.

11 Quatenus enim ab interna mentis bonitate, siue à uirtute legisque

INTRODUCTIO GENERALIS.

gisque seruandae amore ac studio proficiscitur, speciatim honesta uocatur, aut, barbata uoce, uirtuosa.

12 Ubi debito simul modo ad debitum obiectum ex legis praescripto applicatur, iusta dicitur.

13 Honesti, si externam quoque rationem, agentis dignitati, uel conditioni, pro praestantium meliorumque hominum institutis, uel exemplis, respondentem, complectitur, decora nominatur.

14 Iusta autem, ratione legis praecipientis, dicitur iusta in sensu speciali, aut proprio, respectu legis permittentis, licita, intuitu temperamenti Iuris stricti, aequa.

15 Oriuntur hinc duae generales scientiae de prudentia morali partes, Ethica et Iuris Prudentia, quarum illa, ueluti doctrina praeparans, actiones reddit honestas et decoras, haec, tanquam disciplina perficiens, iustas, licitas et aequas.

16 Actionibus licitis etiam comprehenduntur utiles, seu bona et commoda afferentes, cum nihil hominibus uere expedire censendum sit, nisi quod, salua honestate, aut permittente lege, fieri possit.

17 Cum autem actiones tales, pro diverso hominum statu, diuersas admittant species, diuersasque postulent leges, seu regulas ac normas, diuersae etiam existunt scientiae de prudentia morali partes speciales, quarum praecipuae sunt Ius Naturae, Ius Gentium et Politica, seu Prudentia Ciuilis et Iuris Publici Vniuersalis.

18 Nempe, si homines spectantur in statu naturali, ut singuli, naturaliter aequales, actiones eorum format Ius Naturae, sin, ut uniuersi, seu gentes, inter se pariter aequales, actiones dirigit Ius Gentium.

19 Quatenus uero considerantur in statu ciuili, ut imperantes, uel parentes, mutuo uinculo colligati, agendum omittendumue praescribit Politica, seu Prudentia Ciuilis et Iuris Publici Vniuersalis.

20 Proinde quatuor istae scientiae de prudentia morali partes, Ethica, Ius Naturae, Ius Gentium et Politica, seu Prudentia Ciuilis et Iuris Publici Vniuersalis, sequenti hic ordine a nobis tractantur.

ETHI-

ETHICA.

PART. PRAELIM. SECTIO I. de Natura et constitutione Ethicae.
 SECTIO II. de Historia Ethicae, uariaque eius tractatione. SECTIO
 III. de discrimine Ethicae nostrae à uulgarī. PART. PRINCIPAL.
 SECTIO I. de Deo, ut hominis Creatore. Membrum I. de Naturali
 Dei cognitione, generatim spectata. Memb. II. de Naturali Dei cognitione,
 speciatim spectata. Articulus I. de Naturali cognitione existentiae Dei. Arti-
 culus II. de Naturali cognitione essentiae Dei. Articulus III. de Naturali co-
 gnitione providentiae Dei. SECTIO II. de Homine, ut Creatura Dei. Mem-
 brum I. de Anima hominis. Articulus I. de Anima hominis, generatim con-
 siderata. Articulus II. de Anima hominis, speciatim considerata. Inspectio I.
 de Intellectu hominis. Discursus I. de Intellectu hominis, uniuersè consi-
 derato. Discursus II. de Intellectu hominis, singulatim considerato, seu
 Conscientia. Inspectio II. de Voluntate hominis. Inspectio III. de Actio-
 nibus humanis. Membrum II. de Corpore humano. SECTIO III. de Amo-
 re hominis erga Deum, ut sine creationis. Membrum I. de Indole amoris
 erga Deum. Membrum II. de Summa hominis felicitate, quae amorem
 erga Deum consequitur. SECTIO IV. de Ratione, ut medio voluntatem
 Dei cognoscendi. Membrum I. de Ratione, generatim considerata. Mem-
 brum II. de Ratione, speciatim considerata, seu usu Rationis. SECTIO V.
 de Malis, Rationis, recte utendae, obstatibus. Membrum I. de Morbis
 Intellectus. Membrum II. de Morbis uoluntatis. Articulus I. de Propen-
 sionibus primariis, seu praedominantibus. Articulus II. de Causis propen-
 sionum uoluntatis humanae. Inspectio I. de Causis propensionum
 uoluntatis humanae naturalibus. Discursus I. de Temperamentis. Dis-
 cursus II. de Affectibus. Inspectio II. de Causis propensionum uolun-
 tatis humanae moralibus. Articulus III. de Characteribus, seu signis
 propensionum uoluntatis humanae. Articulus IV. de Remediis propen-
 sionum uoluntatis humanae. SECTIO VI. de Virtute Morali. Mem-
 brum I. de Natura et indole uirtutis. Membrum II. de Virtutis con-
 secutiuo formali, seu Honestæ. Membrum III. de Cognato uirtutis, seu
 Decoro.

IVS NATVRAE.

PART. PRAELIM. SECTIO I. de Praecognitis Iuris in genere. Membrum I. de Iuris Prudentia in genere. Membrum II. de Natura et indole Iuris in genere. Membrum III. de Iure permissuo, seu concessuo. Membrum IV. de Interpretatione Iuris. Membrum V. de Temperamento Iuris, seu Aequitate. SECTIO II. de Praecognitis Iuris in specie, seu Iuris Naturae. Membrum I. de Natura et Indole Iuris Naturae. Membrum II. de Historia iuris Naturae. Membrum III. de Fundamento Iuris Naturae. PART. PRINCIP. SECTIO I. de Iustitia naturali, habito respectu supra nos. Membrum I. de Iustitia naturali circa Deum, Creatorem. Membrum II. de Iustitia naturali circa Spiritus creatos, seu creaturas spirituales. SECTIO II. de Iustitia naturali, habito respectu intra nos. Membrum I. de Iustitia naturali circa uitam, recte utendam. Membrum II. de Iustitia naturali circa uitam, debite conseruandam. Membrum III. de Iustitia naturali circa uitam, iuste defendendam. SECTIO III. de Iustitia naturali, habito respectu iuxta nos. Membrum I. de Iustitia naturali circa homines, in statu naturali absoluto consideratos. Membrum II. de Iustitia naturali circa homines, in statu naturali hypothetico consideratos. Articulus I. de Iustitia naturali ratione certorum institutorum. Inspectio I. de Iustitia naturali circa Sermone[m]. Inspectio II. de Iustitia naturali circa Pactum. Inspectio III. de Iustitia naturali circa Dominiu[m]. Articulus II. de Iustitia naturali ratione peculiaris relationis. Inspectio I. de Iustitia naturali circa Maritum et Vxorem. Inspectio II. de Iustitia naturali circa Parentes et Liberos. Inspectio III. de Iustitia naturali circa Dominum et Seruum. Inspectio IV. de Iustitia naturali circa Familias coniunctas. SECTIO IV. de Iustitia naturali, habito respectu infra nos. Membrum I. de Iustitia naturali circa corpora defunctorum. Membrum II. de Iustitia naturali circa creaturas inferioris naturae.

IVS GENTIUM.

PART. PRAELIM. SECTIO I. de Natura et Indole Iuris Gentium. Membrum I. de Existentia I. G. Membrum II. de Essentia I. G. Membrum III. de Obligatione I. G. Membrum IV. de Modo probandi I. G. SECTIO II. de Scriptoribus ac Doctoribus Iuris Gentium. PART. PRINCIP. SECT. I. de Iure Gentium circa actus earundem generales. Membrum I. de I. G. circa conservandam Personarum humanitatem. Membrum II. de I. G. circa tuendam rerum proprietatem. SECTIO II. de Iure Gentium circa actus earundem speciales. Membrum I. de I. G. circa actus, certum Nexum respicientes. Articulus I. de I. G. circa Necessitudinem. Articulus II. de I. G. circa Pactum, uel foedus. Articulus III. de I. G. circa Controuersias. Inspectio I. de I. G. circa Controuersias in genere. Inspectio II. de I. G. circa Controuersias in specie. Discursus I. de I. G. circa Limites. Discursus II. de I. G. circa Praecedentiam. Membrum II. de I. G. circa actus, certum Statum respicientes. Articulus I. de I. G. in statu Belli. Inspectio I. de I. G. circa Bellum suscipiendum. Discursus I. de Bello generatim considerato. Discursus II. de Bello, speciatim considerato, ratione Indictionis. Inspectio II. de I. G. circa Bellum agendum. Discursus I. de I. G. circa Personas bellantes. Discursus II. de I. G. circa Res bellantium. Discursus III. de I. G. circa Modum bellandi. Discursus IV. de I. G. circa Effecta belli. Discursus V. de I. G. circa statum, bello contradistinctum, seu Neutralitatem. Inspectio III. de I. G. circa bellum finiendum. Discursus I. de I. G. circa Victoriā. Discursus II. de I. G. circa Inducias. Discursus III. de I. G. circa Transactionem. Discursus IV. de I. G. circa Mediatōres. Discursus V. de I. G. circa Legatos. Discursus VI. de I. G. circa Sponsores. Articulus II. de I. G. in statu Pacis. Inspectio I. de Pace, generatim considerata. Inspectio II. de Pace, speciatim considerata. Discursus I. de Mediis pacem confirmandi. Discursus II. de Mediis pacem conservandi.

POLITICA.

PART. PRAELIM. SECTIO I. de Natura et Indole Politices. SECTIO II. de Doctoribus ac Scriptoribus Politicis.

PART. PRINCIPAL. SECTIO I. de Iusto et bono circa Rempublicam, respectu vinculi civilis, seu secularis. Membrum I. de Constitutione Reipublicae. Membrum II. de Ordinatione Reipublicae. Articulus I. de Indole Maiestatis. Articulus II. de Iuribus Maiestatis. Articulus III. de Exercitio Maiestatis. Inspectio I. de Rebus publicis simplicibus ac regularibus. Discursus I. de Monarchia. Discursus II. de Aristocratia. Discursus III. de Democratia. Inspectio II. de Rebus publicis mixtis et irregularibus. Articulus IV. de Acquisitione Maiestatis. Inspectio I. de Imperio electiuo. Inspectio II. de Imperio successiuo. Membrum III. de Conseruatione Reipublicae. Articulus I. de Subsidiis, Reipublicae porrigendis. Articulus II. de Officiis, in Republica praestandis. Articulus III. de Malis, ex Republica propulsandis. SECTIO II. de Iusto et bono circa Rempublicam, respectu vinculi sacri, seu ecclesiastici. Membrum I. de Constitutione Ecclesiae. Articulus I. de Doctoribus Ecclesiae. Articulus II. de Auditoribus Ecclesiae. Membrum II. de Directione Ecclesiae. Articulus I. de Potestate Ecclesiastica interna, seu Sacerdotio. Articulus II. de Potestate Ecclesiastica externa, seu Imperio. Inspectio I. de Iuribus Potestatis Ecclesiasticae externae. Inspectio II. de Mediis Potestatis Ecclesiasticae Externae. Discursus I. de Consistoriis. Discursus II. de Visitationibus. Discursus III. de Synodis. Membrum III. de Conseruatione Ecclesiae. Articulus I. de Bonis Ecclesiasticis. Articulus II. de Aedibus sacris. Articulus III. de Scholis. Inspectio I. de Scholis praeparantibus, seu Lyceis et Gymnasiis. Inspectio II. de Scholis perficientibus, seu Academicis.

SCIEN-

SCIENTIAE
DE
PRVDENTIA MORALI
VNIVERSA
PARS I.

ETHICA,
SEV PRVDENTIA
DE VIRTUTE MORALI,
DE EO,
QVOD CIRCA MORES HOMINVM QVORVMVIS
HONESTVM, VEL INHONESTVM, DECORVM,
VEL INDECORVM EST.

FR. BAC. DE VERVLAM.

lib. VII. de augm. scient. cap. I.

f. 187. Opp.

Certe, si serio hominibus cordi sit, non in otio scribere, quae per otium legantur, sed reuera vitam actiuam instruere et subornare, Georgica ista animi humani non minore in pretio apud homines haberi debebant, quam Herbicae illae effigies virtutis, boni et felicitatis, in quibus tam operose est insudatum.

INTRODVCTIO.

Homo, ratione, tum animae, tum corporis, consideratus, ad Dei, Creatoris Optimi Maximi, gloriam conditus est.
 2 Gloriam Creatoris homo amplificare nequit, nisi Deum amet.

3 Deum amare est Dei uoluntatem sequi, eidemque se et actiones suas omnes conformare.

4 Etenim hominis erga Deum amor obedientialis potissimum esse debet.

5 Ita Deum amans mutuum Dei, ut Summi Boni, amorem consequitur, cumque hoc maximam, quanta in hominem cadit, felicitatem.

6 At Deum amaturus, seu uoluntatem Dei secuturus, Ratione uti debet.

7 Ratio enim cognoscendae uoluntatis diuinae, qualem hic intelligimus, medium est.

8 Quo minus autem homo Ratione, ut par est, utatur, uaria impediunt mala, tum intellectus, tum uoluntatis.

9 His igitur malis curandis Philosophia quodammodo inferuit, animi sanitatem, seu Rationalem agendi habilitatem intendens.

10 Quemadmodum corpori, morbis affecto, succurrit Medicina, corporis ualitudinem, seu naturalem operandi rectitudinem pro fine habens.

11 Sigillatim uero sanando hominis intellectui remedia praescribit Logica, emendandae uoluntati Ethica.

12 Homo igitur, et emendata gaudens uoluntate, et rectae Rationis usum tenens, Deumque amans, hunc ueluti fructum consequitur, ut uirtutem, tanquam proprietatem atque perfectionem praecipuam, exercere, eiusque officia, prout a Lege in Iuris prudentia diriguntur, perficere possit.

13 Virtutis consecutiuum formale est Honestum, cognatum uero Decorum.

A 2

14 Quare

14 Quare Ethica, praeparantis instar disciplinae, naturali hic ordine traditur.

15 Ita nimirum, ut, praemissa parte praeliminari, de constitutione Ethices, et uaria eius tractatione, uulgari potissimum, huiusque a nostra discriminine, sex in parte principali exponantur sectiones.

16 Prima agit de Deo, hominis Creatore, cuius cognitio omnino necessaria est, adeoque traditur, tum generatim, Membr. I. tum speciatim, Membr. II. scilicet (α) ratione existentiae, Artic. I. (β) ratione essentiae, Artic. II. et (γ) ratione prouidentiae, Artic. III.

17 Secunda exhibet hominem, ut creaturam Dei, consideratum, partim ratione animae, Membr. I. et quidem uel generatim, Artic. I. uel speciatim, Artic. II. scilicet quoad (α) Intellectum, Insp. I. tum uniuerse spectatum, Discursu I. tum speciatim, qua conscientiam, Discursu II. (β) Voluntatem, Inspect. II. (γ) Actiones morales, Inspect. III. partim ratione corporis, Membr. II.

18 Tertia complectitur amorem hominis erga Deum, ut finem creationis, qui consideratur tum ratione indolis, Membr. I. tum ratione felicitatis, inde prouenientis, Membr. II.

19 Quarta sistit Rationem, ut medium Dei uoluntatem cognoscendi, cuius consideratio tum generaliter traditur, Membr. I. tum specialiter, intuitu usus, Membr. II.

20 Quinta proponit mala, Rationis, recte utendae, obstacula, quae sunt partim morbi intellectus, Membr. I. partim morbi uoluntatis, Membr. II. nimirum pravae propensiones, consideratae (α) ratione specierum principalium, Artic. I. (β) ratione causarum, Artic. II. et quidem tum naturalium, Inspect. I. scilicet Temperamentorum, Discursu I. et Affectuum, Discursu II. tum moralium, Inspect. II. (γ) ratione characterum, Artic. III. (δ) ratione remediorum, Artic. IV.

21 Sexta tradit Virtutem moralem, ut hominis, Ratione utentis, proprietatem, perfectionem ac ueluti fructum, et quidem, qua (α) naturam et indolem eius, Membr. I. (β) formale consecutum, seu Honestum, Membr. II. (γ) Cognatum, seu Decorum, Membr. III.

PARS

PARS PRAELIMINARIS

DE

PRAECOGNITIS ETHICIS.

Praecognita Ethica potissimum concernunt (1) Naturam et Constitutionem Ethices, (2) Historiam eius & uariam tractationem, (3) Discrimen Ethicae nostrae a vulgari.

SECTIO I.

DE

NATVRA ET CONSTITVTIONE ETHICES.

I. *Expositio Nominis.* II. *Acceptio eius.* III. *Definitio.* IV. *Differentia.* V. *Affinitas.* VI. *Præstantia.* VII. *Utilitas.* VIII. *Contraria.* IX. *Axiomata.*

1. I *Nomen* Ethices non tam a consuetudine, (796) ut principio quodam, dicitur, quam a moribus, (797) tanquam suo obiecto, a quo aliae etiam disciplinæ denominari solent.

2. Sunt autem mores actiones humanae, seu rationales, ad certam normam relatae, certamque inde affectionem, seu qualitatem, nactae.

3. Quae quidem affectio, seu qualitas, ex relatione actionis ad suam normam procedens, vocabulo abstracto, moralitas dici solet.

4. Hocque inuoluit, ut actiones a convenientia cum norma moraliter bonae, seu honestae, a disconvenientia moraliter malae, seu inhonestae, dicantur, voce hac generaliter accepta.

5. Opponitur ita 70 Morale proprie 70 Physico, ueluti aliquid, quod obiectum, seu actum, in esse suo physico constitutum, afficit, et nova specie determinat.

6. Vt adeo principium actionis moralis constitutum, seu

A 3

forma-

formale, sit entitas, qualitas, seu ratio, actui humano libero superveniens; eumque ita efficiens; ut aliam, et ab esse suo diversam, speciem sortiatur, h. e. tota illa habitudo ac *χρῆσις* actus, omnibus suis circumstantiis uestiti, suamque ad normam relati.

7. Quemadmodum principium actionis moralis effectivum est proaerens, seu propositum, destinatio et electio voluntatis liberae, regulativum vero, seu regula ac norma, lex.

8. II. *Accipitur* autem Ethica vel late, seu universim, pro tota Philosophia practica, vel stricte, seu partitim, pro parte eius, caeteris contradistincta.

9. In posteriore significatione nos eam hic sumimus, et quidem ita, ut non Oeconomicae tantum et Politicae, sed naturalis etiam Iuris prudentiae contradistinguatur.

10. Cum enim Ius Naturae circa actiones morales, ad obsequium legis actuale, seu iustitiam, formandas, versetur, honestatem earum, seu rectitudinem internam, ab emendatae voluntatis proposito, seu legis amore, habituque virtutis provenientem, alicunde praesupponit.

11. Neesse igitur est, dari disciplinam, quae voluntatem hominis corruptam ita emendet, ut, non sui, sed legis amore, agere, adeoque non tantum actiones legi conformes, seu iustas, sed etiam honestas, seu legis amore prognatas, perficiat.

12. Talis disciplina nobis est Ethica, tanquam voluntatis emendatrix, ac veluti praeparans quaedam Moralis Philosophiae pars.

13. III. *Definiri* itaque potest, quod sit scientia practica, hominem ita informans et corrigens, ut actiones suas per rectam Rationem ad honestatem felicitatisque consecutionem dirigere possit.

14. Scientiae nomine Ethicam insignimus, quia, praeter obiectum scibile, certa etiam habet principia, unde certas demonstrare potest hypotheses.

15. Ideo frustra sunt, qui, actuum moralium honestatem hominum

minum opinione et auctoritate niti, cum antiquis quibusdam Philosophis, aut novis Iesuitarum asseclis, statuunt.

16. Practica autem scientia dicitur, quia non in nuda rerum moralium cognitione subsistit, sed operando etiam, vel agendo, sese exerit.

17. Melius quoque definitur per scientiam practicam, seu scientiam de prudentia, quam per prudentiam.

18. Prudentia enim (1) usu potissimum comparatur et experientia, Ethica institutione et praeceptis. (2) Prudentia versatur circa singularia, Ethica universalis etiam praecepta tradit. (3) Prudentia est in intellectu deliberativo, Ethica in scientifico.

19. IV. *Differre*. Ethicam a reliquis Philosophiae practicae partibus, et praecipue a Iuris prudentia, subiecti, finis et mediorum diversitas ostendit.

20. Neque, eundem ob respectum, cum Theologia Morali, quod multi quidem faciunt, miscenda est.

21. Praesertim cum haec alio etiam principio cognoscendi et operandi utatur, ac Philosophia Moralis.

22. V. *Affinitatis* tamen ei quicquam cum caeteris disciplinis practicis intercedere, is facile cognoscet, qui eam, ratione principii essendi, modi, et usus, examinare velit.

23. Ut adeo distinguendae quidem sint hae disciplinae practicae, non autem sibi inuicem opponendae.

24. VI. *Praestantiam* Ethices et subiecti, et obiecti, et finis nobilitas docet.

25. Nobilissimum quippe habet subiectum, hominem: nobilissimum obiectum, mores et uirtutes: nobilissimum finem, honestatem ac felicitatem.

26. VII. *Utilitas* autem Ethices duplex potissimum statui potest, generalis et specialis.

27. Generalis in omnia propemodum uitae genera sese diffundit, cum Ethica, hominis Rationem perficiendo, eiusque actiones ad honestatem formando, eum et sapientem, et felicem, et utilem reddat.

28. Spe-

28. Specialis concernit tum Theologiam, tum Iuris prudentiam, veluti duas praecipuas vitae humanae rectrices.

29. Theologiae quidem inservit Ethica, (1) definitiones et demonstrationes suppeditando, (2) bene vivendi necessitatem argumentis propriis confirmando, (3) uirium naturalium et spiritualium discrimen arguendo, simulque ad Theologiam manu-ducendo.

30. Iuris prudentiam iuuat, (1) honestatis et turpitudinis principia subministrando, (2) legum causas et rationes eruere docendo, (3) circumstantias, in applicando iure observandas, suggerendo.

31. VIII. *Contraria* Ethices sunt obstacula, quae, quo minus debita excolatur cura, impediunt.

32. Talia haberi possunt (1) Praeludicia de studio Ethices non ita necessario, quasi morum principia vel natura sint nota, vel usu possint addisci.

33. (2) Neglectus cognitionis sui, cum plerique aliis potius, quam sibi ipsis noti esse studeant.

34. (3) Doctorum et Scriptorum Moraliū perversitas, ut pote qui, maximam partem, ineptae eruditionis instrumenta tradunt, et memorandi potius, quam meditandi exercitationes proponunt.

35. IX. *Axiomata* sunt: (1) Tanta omnino Ethices est praestantia, ut parum absit, quin, hominem se esse, dememerit, qui culturam eius contemnere velit.

36. (2) Cum enim pleraeque disciplinae Philosophicae externam, eamque lubricam, hominis felicitatem utcunque provehant, Ethica internam, veram et constantem curat.

37. (3) Quare non praestantissimis tantum Philosophis, sed summis etiam Theologis et Iure consultis, ut elogiis maximis, ita singulari amore ac studio digna visa est.

38. (4) Caveat igitur verae sapientiae cultor, ne, Ethica neglecta, fructus amplissimos, ex sui cognitione et emendatione provenientes, perdat.

39. (5) Per-

39 (5) Perpendant nostrates doctrinae sanctioris studiosi, quantum utilitatis ipsi pariter, ac exteri, ab Ethica, rite culta, expectare possint.

40 (6) Videat Iuris cultor, ne, Aristotelicam negligendo Ethicam, ab omnis doctrinae moralis studio prorsus se abduci, patiatur.

41 (7) Sincerae autem Moralis doctrinae cupidus, missis Scholarum ineptiis, idonea tantum & utilia praecepta conquirit, meditandique magis, quam memorandi artem exercent.

42 (8) Nam uiua debet esse cognitio Ethica, utpote sine qua vera uoluntatis emendatio, Ethices scopus, obtineri nequit.

43 (9) Inque animi remedium, non ingenii exercitationem, Ethica, ut tota Philosophia practica, inventa est.

44 (10) Nec modus sciendi, in Ethica adhiberi solitus, imperfectior censeretur debet illo, qui in parte Philosophiae quacunque occurrit.

45 (11) Ethica quippe praeceptiones suas eadem fere euidencia ac certitudine demonstrare potest, ac disciplinae caeterae.

46 (12) Quaecunque igitur Ethica tradit, ita se habere debent, ut ipsius auditor solis humanae mentis viribus ea assequi valeat.

47 (13) Ut adeo perperam agant, qui Philosophiae Moralis praecepta cum Theologia Morali miscent, distincta Rationis ac Revelationis principia haud attendentes.

48 (14) Quemadmodum nec illi recte docendi laudem merentur, qui, nullo inter honestum et iustum seruato discrimine, leges in Ethica tradunt.

49 (15) Nam disciplinas distinctas distincta etiam ratione tradi, Paedia postulat.

B

SE.

SECTIO II.

DE
HISTORIA ETHICES, VARIAQUE
EIVS TRACTATIONE.

I. *Historia.* II. *Historiographi.* III. *Tractationis ratio.* IV. *Scriptores.* V. *Axiomata.*

Historia Philosophiae Moralis duplex nobis uidetur, uniuersalis et particularis.

2 Vniuersalis concernit omnes omnino populos, apud quos studii Ethici cultura obtinuit.

3 Huius notitiam Scriptores, mox nominandi, maxima de parte, subministrant.

4 Particularis Germanos potissimum, moralis doctrinae praec aliis studiosos, respicit.

5 Haec duas potissimum periodos complectitur, unam corruptionis, alteram repurgationis.

6 Periodus corruptionis inde ab anno 1440. usque ad annum 1600. duravit, Peripatetica, Scholastica, aliisque lectis Academicarum pulpita et scamna occupantibus.

7 Periodus repurgationis ab A. 1600. ad nostram usque aetatem obtinet, qua doctores ingenui, excusso Philosophiae sectariae iugo, Ecclecticam, eamque uel nouam, uel a veterum scriptis purgaram, profiteri coeperunt.

8 II. *Historiographi* morales plurimi quidem prostant, praecipui tamen hi uidentur:

9 (1) Vossius. (2) Heinsius. (3) Kortholtus. (4) Ionsius. (5) Goulartius. (6) Rachelius. (7) Paschius. (8) Placcius. (9) Hochstetterus. (10) Tribbechovius. (11) Gundlingius. (12) Langius. (13) Stollus. (14) Reimannus. (15) Groeningius. (16) Rapinus. (17) Barbeyracius. (18) Thomasius. (19) Struuius. (20) Fabricius. (21) Buddeus. (22) Naudaeus. (23) Epitomator Anglicus. (24) Heumannus.

10 III.

10 III. *Tractationis ratio* tam apud veteres, quam apud recentiores, diuersa est.

11 Generatim uero uel Mythologica est, seu Fabulosa, uel Hieroglyphica, seu Symbolica, uel Paraenetica, seu Gnomologica, uel Paradigmatica, seu Exemplaris, uel Characteristica, seu Descriptiua, uel Dogmatica, seu Apodictica.

12 Mythologica Poëtarum praecipue est, Carminibus suis praecepta Moralia inspergentium, quos fabularum, ut vocant, Romanensium Scriptores quodammodo sequuntur.

13 Hieroglyphica Aegyptiis et Pythagoraeis potissimum arrisit, qui Symbolis et Emblematibus arcana Moralia inuoluerunt.

14 Paraenetica ab illis adhibetur, qui monitis breuibusque sententiis, aut prouerbis, seu adagiis, doctrinam moralem tradunt, indeque Aphoristica dicitur.

15 Paradigmatica est, quae exempla proborum et improborum, undique collecta, ad imitandum, fugiendumue, proponit.

16 Characteristica illis probatur, qui, commonstratis uirtutum, uitiorum, temperamentorum affectuumque signis, facienda a fugiendis discernere docent.

17 Dogmatica eorum est, qui Ethicam, praeceptis, definitionibus et demonstrationibus constatam, exhibent.

18 Quæ quidem ultima rursus uel pure Philosophica est, uel Philosophico-Theologica, quo spectant Ethicae Christianae, vulgo sic dictae.

19 Speciatim, ratione ordinis, uel bipartita est, uel tripartita, uel quadripartita, uel plarium partium.

20 Quippe alii, Aristotelem secuti, tres constituunt partes, primam de summo bono, ut sine Ethices, secundam de homine, ut subiecto totali, tertiam de uirtutibus, ut mediis.

21 Alii, priore et posteriore parte retentis, loco secundae doctrinam de anima, ueluti subiecto partiali, surrogant.

22 Alii, Ethicam pro sola summi boni explicatione habentes, partiumque, in summi boni definitione contentarum, seriem

sequentes, partem primam de actione morali, secundam de uirtute, tertiam de uita hominis perfecta inscribunt.

23 Alii duas malunt partes, unam de *ευδαιμονολογία*, seu consideratione summi boni, alteram de *αρεθολογία*, seu doctrina uirtutum, alii, ordine hoc inuerso, *αρεθολογίαν*, seu tractationem de uirtute, *ευδαιμονολογία*, seu disquisitioni de summo bono praeponunt.

24 Alii primam partem considerandae hominis naturae, et nominatim Rationi, secundam felicitati, naturae hominis conuenienti, tertiam mediis, ad consequendam felicitatem idoneis, destinare solent.

25 Alii, Medicorum secuti ordinem, prima parte hominem, secunda morbos mentis humanae, tertia sanitatem eius, quarta remedia morborum et antidota exhibent.

26 Alii denique libera, nullius partitionis generalis legi adstricta, methodo utuntur, naturalem duntaxat rerum tractandarum ordinem sequentes.

27 IV. *Scriptores*, qui Ethicos, uaria eiusmodi methodo usos, commemorant, sunt: (1) Scheurlius. (2) Morhofius (3) Thomasius. (4) Aepinus. (5) Struuius. (6) Gotschlingius (7) Reimannus. (8) Rechenbergius (9) Placcius (10) Paschius, &c.

28 V. *Axiomata* sunt: (1) Gentilium quidem Scriptorum libros Ethicae studiosus legere potest, sed genuina a spuris probe discernere debet.

29 (2) Idcirco, nulli cedens prauiudicio, meditetur omnia, disquirat, iudicet.

30 (3) Nec nouitatis studio tantum tribuat, ut quamcunque doctrinam, recens natam, incaute amplectatur.

31 (4) Maxime uero caueat ab Ethicis, quae, Christianarum nomen prae se ferentes, uel Rationis et Reuelationis lumen confundunt, uel aliud quid absconditi fouent.

32 (5) Permagni quoque interesse, credat, nosse, ex quo principio, quoue ordine, doctrinae moralis praecepta sint tradenda.

33 (6) Etenim tenendae sunt in hac Philosophiae parte, ut in aliis,

aliis, certae quaedam regulae, iustum concernentes ordinem.

34 (7) Quare cauendum est sedulo, ne ὕστερον πρότερον in disponendis materiis committatur, aut ignotiora notioribus praemittantur.

35 (8) Neque naturali cognitionis lege inter se connexa diuellantur, aut coniuncta disiungantur, et disiuncta coniungantur.

36 (9) Nec peregrina, ἀλλότρια, et alterius tractationis themata misceantur, et necessaria ac propria omittantur.

SECTIO III.

DE

ETHICAE NOSTRAE A VVLGARI DISCRIMINE.

I. *Ethicae vulgaris facies* II. *Discrimen nostrae ab illa* III. *Obiectiones.* IV. *Responsiones.* V. *Axiomata.*

I I.

Ethicae vulgaris faciem exhibitori, ante omnia monemus, eam hic nobis dici Ethicam Aristotelico-Scholasticam, in plerisque etiam nunc scholis, saltem Pontificiis, regnantem.

2 Quae scilicet ab Aristotele, eiusque sectatoribus, primum introducta, aliquamdiu uero occultata, tandem nono circiter seculo post C. N. a Scholasticis denuo in lucem protracta fuit.

3 Hi quippe otiosi, rudes, et argutis tricis addicti collegiorum Papalium Magistri ac praefules collapsam Aristotelis auctoritatem restituere sustinuerunt.

4 Adeoque, cum caeteris eiusdem scriptis, Ethicam quoque, suis deturpatam ineptiis, scholis reddiderunt.

5 Circa hanc igitur, plenioris ergo notitiae, sequentia potissimum notari possunt:

6 (1) Auctor illius, qui est Aristoteles, Nicomachi et Phae-
stiadis filius, Anno I Olymp. XCIX. seu ante C. N. CCC
LXXXIV. natus.

B 3

7 A

7 A patria dicitur Stagira, a docendi modo Peripateticus, quia non sedendo ad mensam, uel stando in cathedra, sed ambulando, discipulos in Lyceo erudiuit.

8 Laudatur potissimum (1) a summa ingenii acie, (2) a diligentia indefessa, (3) a simplici philosophandi ratione, (4) a meliori doctrinae ordine.

9 Culpatur (1) ob ambitionem uanæque gloriae studium, (2) ob petulantem alios fugillandi pruritum, (3) ob rerum alienarum compilationem, (4) ob liberio rem uiuendi rationem et peruerforum dogmatum prauitatem.

10 (2) Fontes, qui sunt libri Aristotelis, quot quidem ex quadringentis, quos scripsisse dicitur, benigniore fato, superstites manserunt.

11 Dividuntur uulgo in acroamaticos, s. acroaticos, et exotericos, quorum illi doctrinam, accurata demonstratione, matutinas inter ambulationes, propositam, hi uero res, pinguiore Minerua uesperis traditas, continent.

12 Morales autem, huc spectantes, sunt Libri X. ad Nicomachum; Libri II. magnorum Moraliū, et Libri VII. ad Eudemum, quamquam de libris Nicomachi disputari soleat, an a patre sint compositi, an a filio, Nicomacho.

13 (3) Argumentum, cuius summa in tres redigi potest partes.

14 In parte prima exponitur S. B. ut finis doctrinae Moralis, quod neque in Epicuraeorum uoluptate, neque in auarorum opibus, neque in ambitioforum honoribus, neque in Platonicorum contemplatione, sed in perfecta uirtutis perfectae actione consistere dicitur.

15 In parte secunda agitur de homine, ut Ethices subiecto, et quidem praecipue quoad duas animae facultates, intellectum et uoluntatem, quarum una uirtutes intellectuales, altera morales complecti asseritur.

16 In parte tertia traditur doctrina de uirtutibus, de quarum numero

numero, definitione, connexione, diuisione, oppositis multa operose differuntur.

17 (4) Naeui, quibus laborat, et magni, et multi sunt, quorum tamen sequens sufficiat epitome:

18 (α) Quod Deum, bonum uere summum, omniumque causarum finalium fontem, omittat.

19 (β) Quod bonum imaginarium, temporale, Politicum, bonis potissimum externis suffultum, proponat.

20 (γ) Quod hominem ad sui potius, quam ueri boni amorem ducat.

21 (δ) Quod doctrinam de affectibus, hominumque uitiiis, ac horum remediis, praetereat.

22 (ε) Quod, de uirtutibus uerbosam, inanem uitaeque plane inutilem disceptationem instituat.

23 (ζ) Quod, Regi, Alexandro, adulandi studio, fortitudinem omnibus uirtutibus praeponat.

24 (η) Quod Mathematicis collationibus nonisque uocabulis, ambitiose inuientis, optimam doctrinam obscoret, etc.

25 (5) Scriptores, qui tamen non unius, sed uarii sunt generis.

26 Alii enim uitam Aristotelis descripserunt, uti (1) Diogenes Laërtius (2) Philipponius (3) Nunnesius (4) Hermias Ammonius (5) Beurerus (6) Menagius (7) Launeius (8) Guarinus etc.

27 Alii elogia eius consignarunt, uti (1) Licetus (2) Grotius (3) Camerarius (4) Zeifoldus (5) Pastorius (6) Bosius etc.

28 Alii uitia eius notarunt, uti (1) Vossius (2) Gassendus (3) Becmannus (4) Struuius (5) Langius (6) Stollus (7) Thomasius (8) Bernhardinus Telfsius (9) Grabouius (10) Kelpius (11) Kortholdus (12) Barbeyracius (13) Esprit (14) Omeisius etc.

29 Alii introductionem in eius scripta adornarunt, uti (1) Piccartus (2) Zeidlerus (3) Rachelius (4) Dürrius (5) Scherbius (6) Paschius etc.

30 Alii commentationibus eum illustrarunt, uti (1) Eufstratius (2) Aspa-

(2) Aspasius (3) Michael Ephesius (4) Burleus (5) Auerroes (6) Auicenna (7) Andronicus Rhodius (8) DuVallius etc.

31 Alii in epitomen eum redegerunt, uti (1) Golius (2) Goclenius (3) Melanchthon (4) Heilandus (5) Cellarius (6) Iacobus Thomafius (7) Stollus etc.

32 Alii denique cuncta, et praecepta, et scripta, et commentaria eius recensuerunt, uti (1) Groeningius (2) Morhofius (3) Ionfius (4) Paschius (5) Stollus (6) Naudaeus (7) Scheurlus (8) Eisenhardus (9) Richter (10) Fabricius (11) Adami etc.

33 Alii denique comparationem eius cum Platone instituerunt, uti (1) Picus Mirandula (2) Champerius (3) Foxius (4) Mazzonius (5) Georgius Trapezuntius (6) Rapius (7) Buratellus (8) Io. Baptista Bernardus (9) Bachmannus, f. Riuinus etc.

34 Il *Discrimen* igitur Ethicæ nostræ ab Aristotelica, eademque vulgari, sequentibus nititur capitibus:

35 (1) Aristoteles Deum, de cuius providentia fluctuante disputavit animo, pro summo bono haud habuit: nos contra omnis eum felicitatis fontem constituimus.

36 (2) Aristoteles summum bonum admisit imaginarium, temporale, Politicum, bonis externis indigum: nos uerum, constans, et per se sufficiens.

37 (3) Aristoteles, summum bonum ignorans, media quoque illud obtinendi scire non potuit: nos ad ipsius Rationis ductum omnia eruius.

38 (4) Aristoteles operose magis, et contentiose, quam utiliter, de uirtutibus disputavit, apparentes etiam pro ueris admittens: nos germanam de illis doctrinam, uitæque accommodatam, proponimus.

39 (5) Aristoteles de homine, ut Ethicæ subiecto, perperam philosophatus est, eius uitia et mala, uirtutis actionem impediens, praeteriens: nos debitam horum facimus mentionem, ac salutaria praescribimus remedia.

40 (6) Aristoteles hominem ad sui potius, quam uirtutis, nedum

dum Dei, amorem ducit, felicitatem temporariam pro uitae probioris scopo proponens: nos Dei amorem omnis honestatis felicitatisque fundamentum ponimus.

41 (7) Aristoteles honesti et decori, iusti et aequi, principia inter se miscet: nos debite ea secernimus, de honesto et decoro in Ethica, ueluti disciplina propria, agentes.

42 III. *Obiici* hic potest, (1) hominem esse corruptum, adeoque Rationis, sibi relictæ, uiribus, Dei uoluntatem nec assequi, nec sequi, seu Deum amare, posse.

43 (2) Philosophiam ad corrigendam superandamque hominis prauitatem remedia idonea haud subministrare.

44 (3) Inutilem igitur esse ac superfluam Ethicæ Philosophicæ doctrinam, eiusque loco Moralem duntaxat Theologiam, seu Ethicam Christianam, substituendam.

45 IV. *Responderi* autem potest ad (1) distinguendo inter uoluntatem Dei impressam, seu hominum mentibus inditam, et expressam, seu reuelatione declaratam.

46 Ad (2) concedendo hoc, ratione emendationis et perfectionis Theologicæ, quæ spiritualia potissimum concernit, et Gratia obtingit, non Philosophicæ, quæ naturalia ac ciuilia spectat, et naturæ uiribus hactenus obtineri potest, ut homo ad sublimiorem quaerendam perfectionem impellatur.

47 Ad (3) negando hoc: cum, Ethicam Philosophicam homini ad cognitionem sui ac emendationem, adeoque sanctioris etiam uitæ propædiam, insigniter prodesse, supra dixerimus.

48 V. *Axiomata* sunt: (1) Fuit hæc priscae ætatis miseria, ut maior paganorum, quam sacrorum Scriptorum obtinuerit auctoritas.

49 (2) Inprimis Aristotelis philosophia, e plurimis emerfa discriminibus, caput semper erexit, latumque tenuit principatum.

50 (3) Rudiorum quidem populum mortuo huic Philosopho altare cum monumento exstruxisse, eiusque memoriae festum statuuisse diem, non adeo mirum est.

51 (4) At Christianos eum, de Deo licet, Deique prouidentia,

C

tia,

tia, ac animae immortalitate, male philosopharum, inter diuos retulisse, est omnino, quod mireris.

52 (5) Impium uero prorsus et detestandum est, quod ipsis uiris θεοπνεύστοις, si non superior, saltem non inferior, quin Christi praecursor in naturalibus, quemadmodum Iohannes Baptista in gratuitis, fuerit habitus, nec raro pro concione, loco Euangelistae, expositus.

53 (6) Quare non adeo culpandus est Ramus, quod idololatricum ueluti cultum Aristotelis e schola proscribere tentauerit.

54 (7) Quo ipso Aristoteles eandem expertus est sortem, quam illi habuerunt, a quibus ipse sua dissensit aetate.

55 (8) Quod uero Philosophus hic etiamnum multis plurimi fiat, nec laudandum absolute, nec damnandum prorsus est.

56 (9) Dum modo debitum eius philosophiae statuatur pretium, nec iusto maius, nec minus.

57 (10) Habuit Aristoteles, ut homines omnes, sua uitia, praefertim, cum Graecae non nihil improbitatis ex ingenio aulae traxisse credatur.

58 (11) Habuit tamen etiam suas uirtutes, quae non minus in ipso, quam in aliis Philosophis, commendari merentur.

59 (12) Optimum de Aristotele iudicium est: eum, pro seculi geniique sui ratione, morum disciplinam docuisse, magisque proficere potuisse, si utili potius, ac perspicuae, planaeque Philosophiae, quam subtili et contentiosae, operam dedisset.

60 (13) Certum igitur est, Ethicae uulgaris doctrinam, ex Aristotele, aliisque rudioribus scriptis, petitam, emendandae uitae, recteque formandae, parum inferuire.

61 (14) Quare genuinam docturus Ethicam libera, nullisque sectarum legibus adstricta, methodo, sola Ratione magistra, uti omnino potest.

62 (15) Praestat enim ad honestatem, uitaeque probitatem, homines qualicunque modo formare, quam subtili doctrina ad rixosam eos ostentationem erudire.

PARS

PARS PRINCIPALIS.

COmplectitur haec sex potissimum sectiones: (1) de Deo, ut hominis Creatore, (2) de homine, ut Dei creatura, (3) de amore hominis erga Deum, ut fine creationis, (4) de Ratione, ut medio uoluntatem Dei cognoscendi, (5) de Malis, Rationis, recte utendae, obstaculis, horumque remediis, (6) de Virtute Morali, ut hominis, Ratione utentis, Deumque amantis, proprietate, ac ueluti fructu.

SECTIO I.

DE

DEO, VT CREATORE HOMINIS

Amor erga Deum, Creatorem, praesupponit eius cognitionem, ex naturali hic lumine petendam. Haec duplici potissimum ratione spectari potest, uel generatim, seu uniuerse, uel speciatim, seu sigillatim.

MEMBRUM I.

DE

NATURALI DEI COGNITIONE, GENERATIM SPECTATA.

I. *Necessitas.* II. *Principium cognoscendi.* III. *Diuisio.* IV. *Iudicia.* V. *Requisitum.* VI. *Adiuncta.* VII. *Axiomata.*

I I

N*ecessariam* esse Dei cognitionem, inde patet, quod absque illa homo non ad Dei legisque diuinae, sed sui amorem, actiones suas referret.

2 Sin recte de Deo sentire doctus fuerit, ipsius iussu Rationis, Deum, omnium bonorum largitorem, ipsumque summum bonum, summe amandum esse, statuet.

3 II. *Principium cognoscendi*, seu medium cognitionis, quale hic intel-

C 2

intelligimus, est Ratio, seu lumen naturae, unde naturalis quoque, seu Theologia naturalis, dicitur.

4 Est autem hoc lumen nihil aliud, quam uis animi, diuinitus indita, qua homo ex solis naturae principiis existentiam Dei, essentiam et attributa, uel per, uel citra discursum, solis apprehensis terminis, cognoscere ualet.

5 Quo ipso cognitio naturalis a reuelata, seu Christiana, maxime distinguitur.

6 III. *Diuidi* autem solet haec cognitio, qualis gentilibus etiam obtigit, in Mythicam, seu fabulosam, Politicam, seu ciuilem, et Physicam, seu naturalem, specialiter sic dictam.

7 Mythica est, quam Poëtae, fabularum et dramatum scriptores ad Theatrum accommodarunt.

8 Politica est, quam sacerdotes, rerumque sacrarum antistites ad ciuitatem retulerunt.

9 Physica, quam Philosophi dogmatibus scriptisque suis ad mundum exegerunt.

10 IV. *Iudicia*, de hisce Theologiae naturalis speciebus ferenda, sunt: (1) Mythica Gentilium Theologia crassissimis scatet erroribus, adeoque reprobanda et fugienda omnino est.

11 (2) Politica, in plurimis etiam partibus, hominum potius genium, quam Dei notitiam, redolet.

12 (3) Physica ab omni quidem naëuo immunis hand est, his tamen sequestratis, prae aliis commendari meretur.

13 V. *Requisitum* uerioris cognitionis est, ut practica sit, h. e. actionis causa acquiratur, et actioni, seu uitae, applicetur.

14 Cognitio enim nude theoretica fini fructuque destituitur, adeoque nec mentem hominis satiare potest.

15 Equidem multae sunt propositiones, Dei cognitionem concernentes, quae nullam operationem praescribunt.

16 At inferendis tamen conclusionibus practicis inferuiunt, adeoque, si non formaliter, saltem uirtualiter, sunt practicae.

17 VI. *Adiuncta* potiora sunt: (1) Certitudo (2) Dignitas (3) Insufficiencia.

18 Cer-

18 Certitudo firmis et scientificis de Deo rebusque diuinis demonstrationibus, ex lumine naturae, diuinitus incusso, petitis, nititur.

19 Dignitas et praestantia ex obiecti, finis et effectus nobilitate elucet.

20 Insufficiencia respicit ueram et aeternam animae beatitudinem, cui, nec cognoscendae, nec obtinendae; idonea subministrare potest media.

21 VII, *Axiomata* sunt: (1) Quanti naturalis etiam Dei cognitio habenda sit, insignis eiusdem usus declarat.

22 (2) Quippe hominis mentem excellentissima, quae quidem ex naturae lumine obtingere potest, scientia nobilitat.

23 (3) Ad retundendas Atheorum hominumque sceleratorum opiniones arma subministrat.

24 (4) Formandis ad uitam probiorem moribus, regendisque tanto melius ciuitatibus, inseruit.

25 (5) Ad Theologiam reuelatam manuducit, multisque controuersis, in ea decidendis, subsidium praeber.

26 (6) Quare tantum abest, ut naturalis Dei cognitio reuelatae contradicat, ut potius, ex ueris deducta principiis, ei consonet.

27 (7) Est enim idem luminis Rationis auctor, Deus, qui Reuelationis est, adeoque una tantum ueritas.

28. (8) Philosophiae uero in doctrina de Deo rebusque diuinis errores non ipsi cognitioni, sed subiecto, cui inest, imputari debent.

29 (9) Ideoque tenenda probe est distinctio inter cognitionem Dei naturalem in abstracto, et in concreto spectatam.

30 (10) Hoc tamen uerissimum est, naturalem Dei cognitionem a Theologia reuelata multis differre modis, neque eundem cum ipsa effectum praestare posse.

31 (11) Qua de causa grauiter omnino errant Naturalistae, eiusmodi cognitionem adipiscendae saluti aeternae sufficere, statuentes.

MEMBRVM II

DE

NATVRALI DEI COGNITIONE, SPECIATIM,
SEV SIGILLATIM SPECTATA.

Cognitio Dei, speciatim spectata, concernit potissimum
(1) Existentiam (2) Essentiam (3) Prouidentiam Dei.

ARTICVLVS I

DE

NATVRALI COGNITIONE EX-
ISTENTIAE DEI.

I. *Modi cognoscendi.* II. *Fundamentum.* III. *Scriptores.* IV. *Con-
trarium.* V. *Axiomata.*

I.

Modi cognoscendi existentiam Dei uarii apud uarios scriptores
deprehenduntur.

2 Alii enim ad Ideam, hominibus innatam, iisque, etiam
inuitis, subinde occurrentem, prouocant.

3 Alii plurimarum gentium, etiam barbararum, ac ferocissi-
marum, consensum allegant.

4 Alii a certa cuiusque rei existentia ad causae aeternae ex-
istentiam argumentantur.

5 Alii a perpetua totius mundi innouatione demonstratio-
nem sumunt.

6 Alii Mathematico in infinitum progressu, uel circulari, utuntur.

7 Alii, mentis humanae operationibus summam diuinamque
adumbrari mentem, contendunt etc.

8 II. *Fundamentum* uero omnis cognitionis ac demonstratio-
nis duplex potissimum statui potest, intrinsecum et extrinsecum.

9 Intrinsecum est internus Dei sensus, homini connatus, cum-
que naturali quadam necessitate ad admittendam Dei existi-
entiam impellens.

10 Exerit se autem hic sensus, quem alii notitiam insitam uo-
cant,

eant, (1) assensu, quem homo, solis etiam terminis apprehensis, assertionibus de Deo praebet.

II (2) Propensione hominum, etiam ferissimorum, ad quandam diuinitatis cultum.

12 (3) Testimonio conscientiae, recte facta cum gaudio approbantis, et male facta cum dolore damnantis.

13 Extrinsecum est rerum naturalium inspectio, qua sequentes, ut uulgo dicuntur, uiae ad demonstrandam Dei existentiam nituntur.

14 (1) Via causalitatis, qua in linea ascendente causarum, praesertim essentialiter ac per se subordinatarum, proceditur ad primam, in qua necessario subsistendum est.

15 (2) Via motus, qua per motum rerum omnium primus inuestigatur motor, Deus.

16 (3) Via perfectionis, seu eminentiae, qua ex creaturarum perfectionibus Dei, entis perfectissimi, existentia colligitur, quamuis haec uia, atque ac uia negationis, potius ad quaestionem, qualis sit Deus? quam, an sit? spectet.

17 (4) Via numerica, qua, sicut a numeris ad unitatem, ita a creaturis compositis ad Deum, Creatorem simplicissimum, peruenitur.

18 III. *Scriptores*, qui, praeter Theologiae naturalis Doctores, ex instituto de existentia Dei tractarunt, sunt: (1) Schmidius (2) Sturmius (3) Hambergerus (4) Lockius (5) Raphsonius (6) Laquelotius (7) Kingius (8) Fenelonius (9) Roëlius (10) Baehus, etc.

19 IV. *Contrarium* huius cognitionis est Atheismus, circa quem, plenioris ergo doctrinae, sequentia notari possunt.

20 (1) *Acceptio*: sumitur uox Athei (α) improprie, pro eo, qui uel, uerum Deum nesciens, tamen aliquem forte admittit, uel de Atheismo alieno participat.

21 (2) *Proprie*, pro eo, qui existentiam Dei, uel directe, uel indirecte negat et impugnatur.

22 (2) *Distinctio*: distinguuntur Athei in theoreticos et practicos:

cos: hi dicuntur, qui, irrationalem agentes uitam, ostendunt, se existentiam Dei, iusti malorum uindictis, negare, uel in dubium uocare, illi sunt, qui uerbis et doctrina existentiam Dei impugnant.

23 Et rursus distinguuntur tum in directos et indirectos, tum in haesitantes et obfirmatos.

24 Directi dicuntur, qui Atheismum expressis uerbis profiteri ac disseminare audent, indirecti, qui opiniones, Atheismo fauentes, fouent ac defendunt.

25 Haesitantes sunt, qui Dei existentiam, cum formidine oppositi, uel certum duntaxat ad tempus, negant, obfirmati, qui, sine formidine oppositi, per integrum uitae tempus, nullum existere Deum, statuunt.

26 (3) Existenzia: an dentur Athei, uarie inter eruditos disceptatum fuit, disceptaturque etiam nunc.

27 De Atheis, improprie dictis, dicere nihil attinet, proprie autem dictos, et quidem practicos, dari, dubio caret, tantum de theoreticis, iisdemque directis, anceps est disputatio.

28 Nos, diu cum Theologo, statuimus, dari Atheos theoreticos, sed sequenti sub restrictione:

29 (a) Non per naturam, sed per iustam Dei desertionem, et diaboli astum ac potentiam, et aliquando hominis ipsius malitiam.

30 (b) Non per totalem luminis naturae eradicationem, quoad habitum, sed per suffocationem, quoad actum et exercitium.

31 (γ) Non per totum uitae spatium, et permanenter, sed tantum per quendam paroxysmum transeuntem, ad aliquod duntaxat tempus.

32 Verbo: dantur Athei theoretici directi, etiam obfirmati, non Atheismo interno, sed externo.

33 (4) Exempla: Tales Athei inter alios habentur (1) Mahomed Effendi (2) Lucius, seu Iulius Caesar Vanninus (3) Matthias Kunzenius.

34 Quibus alii plures addunt, sed iniuste, uel saltem, non sufficienti indicio, Atheismi inculpatos.

35 (5)

35 (5) Causae, quarum uariae apud autores recensentur, aliae remotiores, aliae propinquiores, aliae proximae, aliae per se, aliae per accidens, aliae internae, aliae externae, etc.

36 Nominatim uero esse possunt (1) ingenii humani caecitas (2) uitae improbitas (3) exemplorum prauitas (4) abstrusa sciendi curiositas.

37 (6) Characteres, quorum alii primarii, alii secundarii dicuntur.

38 Primarii habentur sententiae sequentes: (1) de naturali necessitate ac fatalitate (2) de aeterna mundi duratione (3) de Scripturae sacrae incertitudine et inconcinnitate (4) de Atheorum argumenta refutandi impossibilitate.

39 Secundarii esse possunt (1) legum et Magistratum contentus (2) opiniones plane singulares (3) Doctorum Academicorum, imprimis Theologorum ac sacerdotum, persecutio.

40 (7) Adiuncta, qualia sunt (a) stultitia, qua Atheus infra brutorum naturam sese deiicit, ueram felicitatem spernit, et inter duo, quae (quamuis perperam) pro aequae incertis habet, tutius eligere negligit.

41 (6) Miseria, qua Atheus cum uariis uitae huius aerumnis conflictatur, perpetuis conscientiae stimulis agitur, et tandem, circa excessum ex uita, spe omni et solatio destituitur.

42 (γ) Noxa, qua Atheus generi humano exitiabilis, pessimusque morum corruptor euadit.

43 (8) Poena, Atheis infligenda, quae quidem a prouidi Magistratus arbitrio dependet, sed capitali tamen supplicio, pro periculi ac damni, in Rempublicam redundantis, ratione, definiri potest.

44 Quali etiam poena non una uice affectos fuisse Atheos, historiae testantur.

45 (9) Argumenta, quibus Athei utuntur: haec multa sunt, et uaria, eorum tamen summa huc redit:

46 (α) Progressum in infinitum dari, non esse impossibile, cum e. g. numeri in infinitum possint multiplicari, et ipsa Dei duratio dicatur infinita.

D

47 (β)

47 (β) Conscientiae de Deo testimonium esse nullum et imaginarium, utpote quod paucissimi mortalium sentiant.

48 (γ) Inanimata aequae ac animata naturali quadam uirtute et inclinatione, citra entis alius directionem, ad suos tendere fines, ipsamque mundi fabricam naturae, ut primae causae, deberi.

49 (δ) Gentium de existentia Dei consensum summi ingenii maximaeque doctrinae uiros contrariis suis assertis destruere.

50 (ιο) Discussio, seu refutatio horum argumentorum, quae fieri potest, respondendo ad (α) ad ascendentem causarum lineam hinc concludi haud posse, nec ullam inter lineam ascendentem et descendentem in hoc esse paritatem.

51 Ad (β) non tam intellectus uitio testimonium hoc ignorari, quam uoluntatis malitia, et praefracta quadam obstinatione, supprimi.

52 Ad (γ) Naturam, si efficaciam quandam uimque agendi et ordinandi denotet, aliquem sui autorem praesupponere, sin summa rerum omnium causa habeatur, id esse, quod plano et recepto nomine Deum uocamus.

53 Ad (δ) homines, Dei existentiam negantes, quantum sint ingenii, superbia tamen ac malitia esse peruersos, adeoque destruendo meliorum consensui plane impares.

54 (ιι) Affines Atheorum, quales fere sunt (1) Sceptici (2) Naturalistae (3) Indifferentistae.

55 Sceptici sunt, qui, praua uoluntatis dispositione, omnem de Deo rebusque diuinis doctrinam in dubium uocant, quantumque penes ipsos est, tollere laborant.

56 Naturalistae, qui, naturam rerum omnium causam, ac ueluti Deum, esse, crepant.

57 Indifferentistae, qui omnes Religiones, omniaque de rebus sacris dogmata, uno eodemque loco habent, id est, omnia contemnant.

58 (ι2) Scriptores, qui partim historice, partim polemice, siue ex instituto, siue prolixiore tractatione, de Atheis, eorumque affinibus, egerunt, sunt sequentes:

59 (1)

59 (1) Voetius (2) Raxandus (3) Spizelius (4) VVeberus (5) Reiferus (6) Morus (7) Fabricius (8) Mersennus (9) Franckius (10) Müllerus (11) Pfeifferus (12) Paparella (13) Boria (14) VVagnerus (15) Iablonsky (16) Bentleius (17) Loescherus (18) Vntereichius (19) Rechenbergius (20) Buddeus (21) ab Elfwich.

60 V. *Axiomata* sunt: (1) Cum existentia Dei caeterarum ueritatum ueluti basis sit et fundamentum, quilibet omnino homo de ea certus esse debet.

61 (2) Tam manifesta autem haec cognitio est, ut, qui in dubium eam uocare, aut negare uellet, leuissimae creaturae, quin uilissimae herbae, consideratione de insania conuinci posset.

62 (3) Nec quicquam in toto homine est, quod impressa Numinis diuini uestigia non exhibeat.

63 (4) Quin insitus Dei sensus neminem, nisi profligatissimus fuerit ac perditissimus, Numinis existentiam negare, patitur.

64 (5) Quare non adeo disputandum est, quomodo Dei notitia homini insit, an per Ideam, an actu, an in potentia proxima, an per modum habitus?

65 (6) Danda potius est opera, ut uera Dei cognitio honestissimis quibusque actibus sese exerat, beneque agendi habitum perficiat.

66 (7) Quippe non subtilis ac curiosa de Deo disceptatio, sed obsequiosus Deo animus, uiuam practicamque Dei notitiam efficit.

67 (8) Vt recte quidam dixerit, simplices et illiteratos ad Deum rapi, literatos Deum argutis quaestionibus subiicere.

68 (9) Inprimis, periculosae semina doctrinae euitaturus temperare sibi debet a curiositate suspectos, aut damnatos, legendi libros, e.g. Ochini, Vannini, Spinosae, Campanellae, etc.

69 (10) Tales enim subtile, uel Atheismi, uel huic affinis Naturalismi, uenenum propinant, unde incauti praesertim iuuenes pestiferam animo opinionem facile imbibunt.

70 (11) Caeterum, suspectae quidem doctrinae homines patrocini non facile excipiendi sunt, nec incrustatae iam scientiae colores addendi.

71 (12) Quamlibet tamen ob opinionem singularem nemo Atheismi

ismi crimine onerari, grauissimaque adeo iniuria, et calumnia atrocissima, affici debet.

72 (13) Etenim pro Atheo quem habere idem est, ac pro generis humani excremento, et ueluti peste, eum reputare.

73 (14) Neque Atheismus, cum Hobbesio, perperam docente, imprudentiae uitium, sed iniustitiae peccatum, grauiter puniendum, existimari debet.

74 (15) Qua quidem de causa Atheus non magis in Republica tolerandus recte asseritur, quam carcinoma in corpore.

ARTICVLVS II.

DE

NATVRALI COGNITIONE ESSENTIAE DEI.

I. *Praesupposita.* II. *Modi cognoscendi.* III. *Terminus cognitionis.*
IV. *Axiomata.* I I.

P*raesupponi* ante omnia hic debet, (1) Deum esse Ens infinitum et perfectissimum, adeoque ab homine, ut finito et imperfecto, non, nisi imperfecte, intelligi posse.

2 (2) Deum simplicissimum quidem esse, sed uno simplici que actu ab homine cognosci non posse.

3 (3) Deum non definiri, sed describi tantum posse, cum definitionis, proprie sic dictae, requisita, uti genus, species, et differentia specifica, hic minime suppetant.

4 II. *Modus* igitur Deum cognoscendi, ratione quaestionis, quid sit? consistit in formatione plurium de Deo conceptuum, quorum singuli quidem essentiam Dei repraesentant, attamen inadaequate.

5 Alius enim est conceptus de essentia Dei, quem conceptum primum uulgo dicunt, alius de singulis eius attributis, quae secundi inde conceptus uocari solent.

6 De primo quidem conceptu inter Theologiae naturalis doctores non conuenit, aliis, talem dari, plane negantibus, aliis inter conceptum late et stricte sic dictum distinguuntibus.

7 Conceptus uero secundi concernunt attributa, uel praedicata Dei, quae, licet neque ab essentia diuina, neque inter se realem admittant

mittant differentiam, melioris tamen perceptionis causa, in absoluta et respectiua, positiua et negatiua, distribui solent.

8 Absoluta, seu naturalia, sunt, quae Deo absolute, citra respectum ad operationem erga creaturas, competunt, uti perfectio, sanctitas, aeternitas:

9 Respectiua, seu relatiua, sunt quae Deo, habito respectu ad operationem erga creaturas, competunt, uti iustitia, misericordia, omnipraesentia.

10 Positiua sunt, quae perfectionem, in creaturis conspicuam, modo eminentiorem, in Deo ponunt, uel affirmant, ut sapientia, potentia, bonitas.

11 Negatiua sunt, quae, uel uocis, uel significationis ui, adhaerentem creaturis imperfectionem in Deo negant, seu a Deo remouent, ut infinitas, immensitas, immutabilitas, unitas, simplicitas, aeternitas.

12 Quorum expositio cum in Theologia naturali prolixè tradatur, partim quoque in nostra Iuris Naturalis prudentia occurrat, ea hic supersedere possumus.

13 Tantum descriptionem Dei, ex coniunctis eius attributis formatam, addemus, qualis est haec: Deus est substantia spiritualis, aeterna, bona, perfecta, infinita, omnipotens, omnia produciens, sustentans et gubernans.

14 Vel breuius: Deus est Ens spirituale, a se subsistens, negatiue scilicet, non positiue, quamuis haec locutio: a multis insufficientiae accusari soleat.

15 III. *Terminatur* eiusmodi cognitio eo, quod unum quidem Deum in essentia, sed non trium in Personis, ex Naturae lumine homo cognoscere ualeat, secus ac multi, cum Mornaeo, Poireto, aliisque, statuunt.

16 Equidem, uariis similitudinibus, ex natura petitis, reuelatum Trinitatis mysterium quodammodo illustrari posse, haud diffitemur.

17 At, firmis solidisque rationibus philosophicis illud demonstrari ac doceri posse, est omnino, quod negemus.

18 Neque tamen alterum ideo extremum probari debet, Theologiae naturali ac Rationi diuinarum Personarum Trinitatem aduersari.

19 Regula enim Philosophica: tot sunt essentiae, quot sunt personae, et uice uersa, de naturalibus tantum ac finitis essentiis ac personis, non diuinis, ualet.

20 IV, *Axiomata* sunt: (1) Finitus hominis intellectus infiniti attributa Dei uno simplici actu simul non comprehendit, nec comprehendere ualet.

21 (2) Idcirco eadem distincte considerat, habita potissimum ratione diuersarum Dei operationum ad extra.

22 (3) Manent igitur attributa Dei cum essentia eius, quoad rem et in se, unum idemque, quamuis, quoad nostrum concipiendi modum, et formaliter differant.

23 (4) Neque adeo distinctio eorum, cum Rationis sit, non realis, ullam in Deo compositionem ac mutationem arguere potest.

24 (5) Praesertim cum omnia tam indissolubili ac naturali ueluti nexu sint coniuncta, ut, nostro etiam concipiendi modo, unum ex altero deduci possit.

25 (6) Quare etiam multis, Aegyptiorum Hieroglyphicum intuitis, infinitus dicitur Deus per modum circuli, cuius initium et finis nusquam apparet.

26 (7) Caeterum, quo Ratio, infinitum cognitura Deum, pertingere nequit, eo Reuelatio tantum ducat, necesse est.

27 (8) Ideoque satius est, pia subinde admiratione de Deo tacere, quam ratione Deo inconueniente ac displicente de Deo loqui.

28 (9) Id modo moralis cultor doctrinae curet, ut imperfectam quoque Dei cognitionem debite recteque adhibeat.

ARTICVLVS III.

DE

NATVRALI COGNITIONE PROVIDENTIAE DEI.

I. *Notatio uocis.* II. *Definitio.* III. *Antecedens.* IV. *Demonstratio.*
V. *Obiectum.* VI. *Forma.* VII. *Obiectiones.* VIII. *Responsio.* IX. *Scriptores.*
X. *Axiomata.*

i I. Vox

I I.

Vox Providentiae, ratione etymi, idem est, ac praeventia, denotatque futurorum, antequam sunt, uel fiunt, uisionem ac cognitionem, et quidem uel simplicem, uel qualificatam, quatenus prudentiae partem constituit.

2 Hic nobis est cura rerum, a Deo productarum, ad certum usum ac finem tendens.

3 II. *Definiri* itaque potest Providentia Dei per actum transeuntem, quo Deus, liberrimae ex uoluntatis proposito, circa res, a se creatas, et conseruatas, omnia sapientissime et saluberrime ordinat ac disponit.

4 Seu, est uoluntaria, perpetua et sapientissima creaturarum conseruatio et ordinatio, ac ueluti continua rerum productio.

5 III. *Antecedens* igitur Providentiae diuinae est creatio, seu rerum, non existentium, ex nihilo productio.

6 Creare enim nobis, proprio in sensu, est uolendo efficere, ut res, quae non erant, sint.

7 Quod certus quidam Philosophus et Theologus ita exprimit: creare est rerum, quae non sunt, naturam et modum secum describere, et Ratione designare, et infinitae mentis ui ita uocare et conficere, ut dicto citius praesto sint.

8 In sensu autem Theologico producere aliquid ex materia praexistente, ad recipiendam uero hanc formam natura sua inhabili ac indisposita, aequae creare dicitur, ac aliquid ex nihilo producere.

9 Creationem uero ex lumine naturae cognosci, adeoque philosophicis rationibus demonstrari posse, ea, quae superius de progressu causarum in infinitum diximus, omnino arguunt.

10 Dummodo distinguatur inter creationem materialiter, seu in genere, et formaliter, seu in specie, spectatam, siue inter cognitionem confusam et distinctam.

11 Ab eadem igitur illa infinitae mentis ui, unde originem res habent, suam quoque durationem eas accipere, et continua quadam creatione conseruari, necesse est.

12 IV. *Demonstrari* hoc potest (1) a creaturarum necessitate et indigentia

gentia, quippe cum absque provida Numinis ope, ne ad momentum quidem, subsistere possent.

13 (2) Ab attributis Dei, sapientia, perfectione et bonitate, utpote quae rerum, a se productarum, curam abicere non patiuntur.

14 (3) Ab effectis, quotidie conspicuis, videlicet constanti rerum omnium ordine, creaturarum propagatione, causarum secundarum efficacia, etc.

15 V. *Obiectum* Providentiae divinae generale sunt omnes omnino res, non nobiliores tantum, sed uiliores etiam, quin uilissimae.

16 Speciale autem est homo, creaturarum, quas Ratio nouit, praecipua.

17 VI. *Forma* Providentiae consistit in scientia dirigente, uoluntate imperante, et potentia exequente.

18 Vnde tres potissimum Providentiae constitui solent actus, duo interni, *πρόγνωσις*, seu praeuidencia, et *πρόθεσις*, seu propositum, et unus externus, *διόκνησις*, seu actualis conseruatio et gubernatio, quae quam uariis modis circa hominum actiones sese exerat, uid. infra Sect. 2. Insp. III. §. 20. seqq.

19 VII. *Obicitur* quidem contra Providentiam, (1) ei minus conuenire cum conditione hominum, utpote quibus, si boni fuerint, male, si mali, bene plerumque sit.

20 (2) Eam pugnare cum maiestate diuina, utpote qua indignum sit, rerum omnium, etiam uilissimarum, cura affici, et quasi tam tristi et multiplici ministerio sollicitari.

21 VIII. *Responderi* autem potest ad (1) distinguendo inter bona et mala uere et apparenter talia.

22 Ad (2) negando hoc: cum potius res, a se productas, curare sapientissimi, potentissimi optimique Numinis Maiestatem maxime deceat.

23 IX. *Scriptores*, ex instituto de Providentia commentati, sunt: (1) Spinaeus (2) Mazollus (3) Roëlius (4) VValterus (5) Arpius.

24 X. *Axiomata* sunt: (1) Nullus opifex, nisi summa, uel impotentia, uel negligentia, uel maleuolentia laboret, opus, a se productum, negligit.

25 (2) Qui igitur fieret, ut potentissimus, sapientissimus ac benignissimus creator, Deus, nulla creaturas suas providentia complecteretur?

26 (3) Praefertim, cum miserrima futura foret rerum omnium conditio, si provido Numinis oculo, uel tantisper, eximerentur.

27 (4) Ut igitur Dei Providentia, materiae uniuersae moderatrix, ex obuiis quotidie rebus apparet.

28 (5) Ita, quae eam antecessit, creationem, huius fabricam mundi considerans, ignorare nequit.

29 (6) Caueat modo Philosophus, ne modum creationis uiribus ingenii metiatur, uel, si eum assequi non ualeat, Rationi contrarium pronunciet.

SECTIO II.

DE

HOMINE, VT CREATURA DEI.

Creatura, ad cognoscendum amandumque Deum facta, est homo. Huius consideratio secundum duas, quibus constat, partes essentiales, animam et corpus, institui potest.

MEMBRUM I.

DE

ANIMA HOMINIS.

Consideratio animae rursus uel generatim fieri potest, uel speciatim.

ARTICVLVS I.

DE

ANIMA HOMINIS, GENERATIM CONSIDERATA.

I. Praesuppositum. II. Ratio ordinis. III. Definitio. IV. Ortus. V. Sedes. VI. affectiones. VII. Scriptores. VIII. Axiomata.

E

I. I. Prae-

I L

P*raesupponi* ante omnia hic debet, homini cognitionem sui, ut in omni philosophia, ita etiam in doctrina morali, insigniter prodesse.

2 Si enim Medici non, nisi cognitis, mediante anatome, corporis humani partibus, felicem adhibent curationem, homo certe grauissimis, quibus laborat, morbis uix idoneam afferet medelam, absque praeuia sui cognitione.

3 Quae ideo totius prudentiae moralis principium et finis non immerito dicitur, multisque encomiis a celeberrimis mactatur uiris, uti Vossio, Tuldeno, Holstenio, Lamy, Nemefio aliisque.

4 II. *Ratio ordinis* uero, cur homo cognitionem sui ab anima auspicari debeat, animae prae corpore praestantia est ac dignitas.

5 Anima enim instar principis est, diuino quodam caractere splendentis, cuius hospitium, domicilium, ac ueluti receptaculum est corpus.

6 III. *Definitur* uulgo anima, quod sit substantia spiritualis, finita, incompleta, intelligendi ac uolendi facultatem complectens, arctissimaque cum corpore unione hominem constituens.

7 Quae quidem definitio, seu potius descriptio, cum ab adiunctis potissimum et effectis sit desumpta, ab iis, quae subsequuntur, lucem accipit.

8 IV. *Ortus*, seu origo, animae magnas inter Theologos, aequae ac Philosophos, contentiones excitat.

9 Alii enim, eam a parentibus ad liberos per traducem propagari, ideo existimant, quod (1) per generationem non materia tantum geniti, sed forma etiam, produci debeat, (2) parentes, nisi animam simul cum corpore filii producerent, non possent esse causa physica filii, nec essentiam ei dare, cum rei essentia specifica ab eius forma sit.

10 Alii contra, eam etiam nunc a Deo immediate creari, statuunt, ideo, quod ea, neque ex femine parentum, neque ex eorum anima, produci possit, nisi quis dicere uellet, ex corpore posse produci spiritum, aut filium cum parentibus unum numero, ac ens per se, esse.

u Vtram-

11 Vtramque uero sententiam tot premunt difficultates, ut fere tutius sit, cum magni nominis Theologis, τὸ *non liquet* amplecti, quam de re abstrusissima indubitato aliquid asserere.

12 V. *Sedes* animae propria ac specialis ubi sit, non magis inter doctores conuenit.

13 Alii enim, Aristotelem secuti, eam in corde, alii, in cerebro, alii, in glandula pineali, alii, in uentriculo sedere, existimant.

14 Alii contra, imprimis scholastici, eam totam in toto corpore, et totam in qualibet eius parte, esse, autumant.

15 Quae ultima quidem opinio plurimas patitur obiectiones, a Physicis passim allegari solitas.

16 Adeoque melius omnino sentiunt, qui, eam peculiari modo in cerebro, et quidem circa principia neruorum, existere, statuunt, his subnixi rationibus:

17 (1) Quoniam exinde spiritus animales ad omnes corporis partes influunt.

18 (2) Quia omnes organorum sensoriorum nerui eo protendantur.

19 (3) Quia ibidem omnes motiones sensuales terminantur.

20 VI. *Affectiones*, seu proprietates, animae sunt spiritualitas, seu immaterialitas, et immortalitas, seu incorruptibilitas.

21 Spiritualem esse animam, ex effectis eius ac operationibus patet.

22 Nam (1) sine omni organo corporeo de rebus, etiam spiritualibus, cogitat et intelligit, adeoque res, omnis materiae expertes, quasque nec sensus ullus, nec phantasma, exprimere solet, percipit.

23 (2) Ex singularibus uniuersale format, et ab uniuersali ad singularia concludit.

24 (3) Vnum prae altero libere eligit, appetitui sensitiuo, ac ipsis etiam affectibus, imperat, etc.

25 Immortalitatem uero animae tum probabilia argumenta, tum gentilium testimonia, adstruunt.

26 Argumenta potiora sunt: (1) quia ex nullis partibus materialibus realiter est composita, neque adeo per suam essentiam, seu

quoad principium internum, corruptibilis, quamvis a Deo corrumpi omnino possit.

27 (2) Quia iustitiae et bonitati Dei convenire videtur, animas post mortem manere superstites, ut probae probitatis praemia, nondum accepta, sortiantur, improbae improbitatis, nondum punitae, poenas luant.

28 (3) Quia homines subinde, per internum motum, ac desiderium ex hac vita et miseria decedendi, mentem, immortalitatis suae consciam, produunt.

29 Gentilium vero de immortalitate animae testimonia partim ex dictis sapientum colligi possunt, partim ex sepulturae sollemniscura, partim ex factis eorum, qui pro patria, pro Republica, pro recto et iusto, fortunarum, dignitarum et ipsius vitae discrimen subire non detrectarunt.

30 Hi enim, nisi, immortalitatis ac, mansurae post mortem, remunerationis fiducia, hoc fecissent, splendidam admisissent stultitiam; ut illustris quidam scriptor loquitur.

31 Idcirco ualde errarunt ex ueteribus Sadducei et Stoici, quorum illi, Antigoni Sochaei doctrinam de Deo, absque spe praemii amando, non recte interpretati, animas cum corpore simul extinguere, statuerunt, hi uero, animas tantum longaevas esse, dixerunt.

32 Ex recentioribus uero Cowardus et Dodwellus, Angli, quorum ille, animam hominis corpoream esse, ac subtilem quandam ignem, cum corpore pereuntem, hic uero, animam, sua natura mortalem, ex pacto inter Deum et hominem immortalem fieri, docuit.

33 VII. *Scriptores*, qui praeter Theologiae naturalis, Pneumatices ac Physices doctores, de anima hominis ex instituto egerunt, varii sunt.

34 Alii enim de origine eius commentati sunt, uti (1) Iacobus Thomaeus, (2) Vakius, (3) Posnerus, (4) Stahlius, (5) Zeidlerus, (6) Planerus, (7) Zeifoldus, etc.

35 Alii immortalitatem eius inquisiverunt, quales sunt (1) Gazaeus, (2) Mitylenaeus, (3) Bechmannus, (4) Placcius, (5) Calixtus, (6) Schwe-

Schwelingius, (7) Hildebrandus (8) Ehrenbergerus, (9) Treu-
fani, (10) Digbaeus.

36. Alii ueterum de anima opiniones, data occasione, college-
runt, uti (1) Grotius, (2) Mornaeus, (3) Pfannerus, (4) Gassendus,
(5) Poiretus, (6) Reinhardus.

37 VIII. *Axiomata* sunt: (1) Quanto pars hominis immaterialis
materiali praestat, tanto dignior etiam animae, rerum omnium
pretiosissimae, est consideratio, prae consideratione corporis.

38 (2) Huius immaterialitatem non possumus non intelligere,
dum res, omnis expertes materiae, sensuque nullo, aut phantaf-
mate, perceptibiles, anima intelligimus.

39 (3) Vnde nec immortalitas eius obscura esse potest, siqui-
dem, quod natura sua mortale est, materialibus, in quas resolui
possit, partibus constat.

40 (4) Quare haec, tanquam germanae moralis doctrinae fun-
damentum, omnino asserenda est.

41 (5) Nec sine causa negatio eius inter dogmata Reipublicae
perniciosa habetur, cum alias nulla boni praemia, nullas mali poe-
nas sperare possent.

42 (6) De ortu autem animae, modoque unionis eius cum
corpore, adeo disceptare nil iuuat.

43 (7) Equidem firmam aliquam de eo habere opinionem, in
multis omnino controuersis Theologicis, luridicis ac Medicis
decidendis prodest.

44 (8) Cum autem inter difficillimas haec referenda sit quae-
stiones, praestat de egressu animae ex corpore esse sollicitum,
quam de eius ingressu.

45 (9) Vt adeo uir quidam, pie eruditus, non inepte monu-
erit, dispiciendum potius esse, quomodo anima, a contagio-
ne corporis libera, egredi possit, quam quomodo in corpus sit
ingressa.

ARTICVLVS II

De

ANIMA HOMINIS, SPECIATIM
CONSIDERATA.

Anima hominis speciatim considerari potest, partim ratione duarum, quibus se exerit, facultatum, intellectus et uoluntatis, partim ratione actionum, praecipue moralium, inde prouenientium.

INSPECTIO I.

De

INTELLECTV HOMINIS.

Intellectus hominis uel uniuerse, et in communi considerari potest, uel sigillatim, et in specie, ratione conscientiae, seu iudicii intellectus practici.

DISCVRSVS I.

De

INTELLECTV HOMINIS, VNIVERSE
CONSIDERATO.

I. Differentia intellectus a uoluntate. II. Definitio. III. Operationes. IV. Media. V. Dotes. VI. Habitus. VII. Diuisio. VIII. Affectio, seu proprietas. IX. Axiomata.

I I.

Differunt intellectus et uoluntas, uti ab anima, ita a se inuicem, non realiter, sed ratione, seu nostro concipiendi modo, et quidem intuitu diuersi muneris.

2 Sunt enim intellectus et uoluntas termini respectiui, a diuersis animae circa obiecta diuersa operationibus sic dicti.

3 Scilicet, quando anima uersatur circa obiecta cognoscibilia, dicitur intellectus, quando uero circa appetibilia, uoluntas.

4 Sic una eademque manet anima, seu essentia spiritualis, cognoscens, uel appetens, quemadmodum unus manet homo, qui patris, mariti, aut principis respectum sustinet.

5 II. *Definitur* autem intellectus, seu mens, per primam animae rationalis

onalis facultatem, res apprehendendi, cognoscendi ac diiudicandi.

6 Dicitur primaria facultas, seu princeps, unde ipse etiam homo uocari solet substantia intellectualis, corpori alligata.

7 III. *Operationes* igitur, quibus intellectus sese exerit, tres potissimum sunt, apprehensio, combinatio et illatio.

8 Apprehensio, seu perceptio, est ideae, seu conceptus, de re quapiam formatio.

9 Combinatio, seu iudicium, est conceptuum de re quapiam collatio.

10 Illatio, seu ratiocinatio, est a notiori ad ignotius transitio, mediante tertia aliqua idea assumta, quae dicitur medium illatiuum, seu medius terminus.

11 Haec posterior mentis operatio prae caeteris eminet, uariasque complectitur species, in Logica quidem tradi solitas, in Ethica autem omnino attendendas.

12 Quippe, si principia, quibus ratiocinatio innitur, firma sunt, aut certa, illa dicitur scientia, sin probabilia, aut uero similia, opinio.

13 Opinio uel coniecturam progignit, uel praesumptionem, quarum illa est ratiocinatio ex signo proprio, haec ratiocinatio ex signo communi procedens.

14 Si uero principii uicem autoritas subit et testimonium, ratiocinatio fidei, in sensu philosophico acceptae, nomine uenit.

15 Ratiocinatio denique de actionibus humanis, ad legem relatis, peculiari uoce, conscientia dicitur, de qua in discursu secundo.

16 IV. *Media* autem potiora, quibus mens hominis in cognoscendo, seu intelligendo, ad perfectionis suae contemplatiuae consecutionem, utitur, sunt Inductio, Definitio, Diuisio et Demonstratio.

17 Inductio est a singularibus ad uniuersalia progressio, qua mediante mens nostra similitudinem et conuenientiam rerum intuetur, indeque essentiales format definitiones, et quidem specierum, respiciendo ad indiuidua, generum, spectando species.

18 Definitio, in sensu Philosophico, non Iuridico, accepta, est adaequatae scientiae cuiusque rei declaratio, seu oratio, quae naturam rei exprimit.

19 Di-

19 Diuisio est totius, siue essentialis, siue uniuersalis, siue integralis, in partes suas distributio.

20 Demonstratio est doctrinae, uel scientiae, cuiuspiam per rationem necessariam probatio, seu est scientifica quaestionis, an? et cur? decisio.

21 V. *Dotes*, seu potentiae et facultates, quarum ope intellectus operationes suas perficere potest, sunt sequentes:

22 (1) Docilitas, seu ingenium, stricte sic dictum, hoc est, facultas res propositas facile recteque percipiendi.

23 Criterium huius est, si quis distincte ac perspicue rem intellectam uerbis, uel factis, exprimere et imitari nouit.

24 Adminiculum ei praebet rerum uariarum, auscultatione, uel lectione, perceptarum, communicatio, aliis facta.

25 Vsum habet in munere didactico, scriptorumque interpretatione ac exegeti.

26 (2) Memoria, seu facultas lecta, uel audita, prompte recipiendi, fideliter retinendi, ac facile reddendi.

27 Criterium eius est, si quis ea, quae legit, percepit, uel composuit, ordine recitare ualeat.

28 Adminiculum inde haberi potest, si distincta ac ordinata ratione, circa somni in primis tempora, memoriae recipienda tradantur.

29 Vsum exerit in studio historiarum, linguarum artiumque instrumentalium ac philosophicarum.

30 (3) Iudicium, seu facultas res obuientes in suis circumstantiis debite considerandi, affectiones, probationes et obiectiones rite perpendendi, ac deceptiones cauendi.

31 Criterium eius est, si quis, e. g. proposito casu iuridico, circumstantias facti alte penetrare, et ex illis iudicium formare nouit.

32 Adminiculum suppeditat frequens et diligens rerum difficultiorum et obscuriorum tractatio ac disquisitio.

33 Vsum praebet in disciplinis praestantioribus, uti Theologia, praesertim Polemica et Casuistica, Iurisprudentia ac Medicina.

34 (4) Ratio, stricte, uel proprie, sic dicta, seu potentia ratiocinandi, h. e. facultas ex propositionibus notis alias ignotiores, mediantes aetiologia, eliciendi.

35 Cri-

35 Criterium eius est, si quis datum aliquod problema apte resolvere ualeat.

36 Adminiculum esse potest, si quis artem ratiocinandi ac demonstrandi ex Logica sibi perspectam reddidit.

37 Vsum praeber in scientiis Mathematicis, Mechanicis, aliisque.

38 (5) Solertia, seu facultas facile inuestigandi medium, inferendae conclusioni, aut obtinendo fini, idoneum.

39 Criterium eius est, si quis in disputatione, uel casu etiam ancipiti, medium aliquod elabendi inuenire nouit.

40 Adminiculum subministrant crebriora disputandi exercitia, rerumque arduarum molimina.

41 Vsum largitur in arte disputatoria, expeditionibus grauioribus, nec non artium augmento.

42 (6) Sagacitas, seu facultas circumstantias rerum indagandi, quaeque cum re quapiam coniungi, aut inde sequi possunt, prospiciendi.

43 Criterium eius est, si quis in coniiciendis rerum euentibus felix est.

44 Adminiculum afferre potest circumspecta et prouida rerum omnium consideratio, ac περιεργασίαν disquisitio.

45 Vsum praestat in munerum publicorum, praesertim politicorum ac bellicorum, functione.

46 (7) Imaginativa, seu facultas percepta ac cognita, seu intellecta, distincte, apte et perspicue referendi ac communicandi.

47 Criterium eius est, si quis animi sui sensa alteri, siue narrando, siue informando, facile communicare potest.

48 Adminiculum concedit instituta subinde rerum descriptarum, sine praeunte scriptione, recitatio.

49 Vsum parit in Oratoria, Musica, praxi Mathematica, Theologia Homiletica, epistolographia, arte pictoria, sculptoria, aliisque.

50 VI. *Habitus*, seu effecta operationum mentis, harum ope facultatum, in habitum traductarum, sunt intelligentia, scientia, sapientia, prudentia et ars.

51 Intelligentia est principiorum primorum habitualis notitia.

F

53 Sci-

52 Scientia est conclusionum ex primis principiis deductio, non solum theoretica, sed etiam practica.

53 Sapientia est conclusionum ex primis principiis circa nobiliora et praestantiora obiecta deductio.

54 Prudentia est praeceptorum uniuersalium ad actiones, sub certis circumstantiis consideratas, applicatio.

55 Ars est utilium inuentorum, seu effectus singularis, secundum rectam Rationem, et certa praecepta, productio.

56 VII. *Diuiditur* intellectus, in se licet unus, ratione obiecti et finis, in theoreticum et practicum.

57 Ille uersatur circa res cognoscendas, cognitionis causa, hic circa res practicas, praxeos ergo, ut scilicet uel propter conuenientiam eligantur, uel propter repugnantiam respiciantur.

58 VIII. *Affectio* denique, seu proprietas, intellectus est necessitas, qua, positis omnibus ad intelligendum necessariis, non potest non intelligere, seu percipere, iudicare et ratiocinari.

59 Quo factum uidetur, ut intellectus dicatur facultas passiva, quamuis in sano sensu haec accipienda sit locutio, non quasi intellectus sit facultas mere passiva, et uoluntas mere actiua, ut Cartesiani docent.

60 Hinc recte infertur, neminem ad aliam, ac intelligit, uel intelligere potest, Religionem esse cogendum.

61 IX. *Axiomata* sunt: (1) Cum intellectus sit principium dirigens actionum humanarum, tanto maiori etiam iure primam sibi poscit tractationem.

62 (2) Quippe, ad euitandos errores fugiendaque uitia, omnino iurat de ueritate, uel falsitate, bonitate, uel prauitate rerum genuinum in intellectu conceptum formare.

63 (3) Absque hoc enim ad iudicandum, eligendum, fugiendumue prolabi, praeceptum est temeritas.

64 (4) Idcirco axioma, quod hominis emendatio a uoluntate incipere debeat, non, nisi cum grano salis, accipiendum est.

65 (5) Quatenus nimirum uoluntas aliquando intellectum praecedat, eumque ad hoc, uel illud, accurate, aut minus accurate, cognoscendum, determinat.

67 (6)

66 (6) Puta, si, e. g. uoluntas affectibus est corrupta, qui, quo minus res debite possit considerari, impediunt.

67 (7) Ut adeo probe distinguendum sit inter uoluntatem disponentem, seu praeparantem, et perficientem, seu consequentem.

68 (8) Intellectum uero in perficiendis suis operationibus multum iuuant dotes, seu facultates, a nobis expositae.

69 (9) Hae enim quo excellentiores et perfectiores sunt, eo melius etiam intellectus suo fungi potest munere.

70 (10) Quare ab ineunte aetate ab omnibus hominibus, recte intelligendi habitum desiderantibus, perfici debent.

71 (11) Quippe in aliis imbecilliores sunt, in aliis firmiores.

72 (12) Inprimis in addiscendis scientiis harum facultatum habenda est ratio, ne quilibet cuilibet sese applicet studio.

73 (13) Vocandi etiam sunt in subsidium scriptores de ingenii humani scrutinio, uti (1) Huartus, (2) Neuhusius, (3) Barclaius, (4) Morhofius, (5) Voglerus, alique, de quibus infra.

DISCVRSVS II.

DE

INTELLECTV, SPECIATIM CONSIDERATO, SEV CONSCIENTIA.

I. *Expositio uocis.* II. *Definitio.* III. *Norma.* IV. *Antecedentia.* V. *Comparatio.* VI. *Diuisio* VII. *Scriptores.* VIII. *Axiomata.*

I I.

Vox conscientiae, ui etymi, quatenus a con et scientia est, denotat scientiam cum aliis.

2 Iure consultis ueteribus dicitur fides, e. g. fidei commissum, quasi conscientiae commissum.

3 Hinc nata est distinctio inter bonam et malam fidem, quasi inter bonam et malam conscientiam, unde possessor bonae uel malae fidei.

4 Nimirum utraque fides est approbatio animi, negotium agentis, adeoque bona fide agere est ex iudicio, seu bona conscientia, agere.

5 Quare etiam bona fides in possessore est iudicium, seu opinio,

nio, qua quis credit, rem suam esse, seque possidere ex iusta causa.

6 II. *Definiri* hinc potest conscientia, quod sit ratiocinatio, argumentatio, seu iudicium intellectus practicum de actionibus suis, ad legem relatis, ut earum bonitatem inde colligat, uel prauitatem.

7 Vel: Iudicium mentis humanae, quod principia practica, legemque inprimis congenitam, ad actiones singulares applicat, quidue hic et nunc, hoc illoue tempore ac loco, faciendum omit-tendumue sit, disquirat.

8 Vnde casus conscientiae dicuntur quaestiones iuris, factis singularibus applicatae.

9 Perperam uero a Chauuino aliisque definitur per Deam, menti nostrae insidentem, cumque ea intime differentem.

10 III. *Norma* conscientiae, seu fundamentum, est regula aliqua, eam in actionibus, debite instituendis, dirigens, et uinculo morali, seu obligatione, constringens.

11 Talis regula uel absoluta est, seu directa, uel relatiua, seu indirecta.

12 Absoluta, seu directa, rursus uel proxima est, et immediata, nimirum omne principium, seu lumen, menti pro tempore praesens, uel summa et adaequata, scilicet uoluntas Dei, quocunque modo innotescens, ueluti omnis obligationis origo.

13 Relatiua, seu indirecta, quae non absolute, et ui propria, sed secundo, et respectu uoluntatis diuinae, obligat, sunt leges civiles, Oeconomicae, Ecclesiasticae, nec non uota, iuramenta, pacta, lex scandali, etc.

14 Ergo conscientiae norma non est bona agentis intentio, nec aliorum iudicium, aut peritorum praeceptio.

15 IV. *Antecedere* debent conscientiam, ut praesupposita, (1) scientia, (2) consultatio (3) decretum.

16 Scientia, cum sine hac non conscientia sit, sed brutalis reminiscentia.

17 Consultatio, quia de actione, suscipienda, uel omittenda, deliberandum omnino est ante, quam suscipiatur, uel omittatur.

18 Decretum, ut ex uoluntatis approbatione unum eligatur, et alterum reiciatur.

19 V.

19 V. *Comparatur* conscientia cum syllogismo practico, qui tribus propositionibus, uulgo notis, constat, maiore, minore, ac conclusione.

20 Maior, Graecis συντήρησις, aliis πρότασις, dicta, est notitia principii, regulae, seu praecepti, aut iuris alicuius communis.

21 Minor, συνειδήσις, uel πρόσληψις dicta, est applicatio principii, regulae, uel praecepti, ad actionem aliquam patrandam, uel patratam.

22 Conclusio, Φερόμεσις dicta, est iudicium, ex collatione actionis cum regula elicatum.

23 Inde uarias conscientia sortitur denominationes, ut ratione maioris dicatur regula, norma, lex, etc. ratione minoris actor, liber, ac testis, et ratione conclusionis, iudex, executor, etc.

24 Hoc nomine non inepte δικῶνον, δικαστήριον uocatur, ubi adsint actor, reus, aduocatus, testis, tortor, iudex, executor.

25 VI. *Diuiditur* conscientia uarie, pro uaria eius consideratione.

26 Nimirum (1) ratione principii cognoscendi, ac subiecti, uel naturalis est, uel illuminata.

27 Naturalis est, qua homo, solo Rationis lumine gaudens, principia naturalia ad actus suos singulares, seu in indiuiduo, applicat.

28 Illuminata est, qua homo, Reuelationis lumine collustratus, secundum principia reuelata actiones suas examinat.

29 (2) Ratione obiecti materialis, est uel antecedens, uel consequens.

30 Antecedens iudicat de actione futura, seu facienda, an suscipienda sit, an minus.

31 Consequens iudicat de actione praeterita, seu facta, an suscipi debuerit, an minus.

32 (3) Ratione obiecti formalis, seu effectus, uel bona est, uel mala.

33 Bona, quae circa actiones bonas, seu lege praescriptas, aut licitas, uersatur, ac gaudium excitat.

34 Estque iterum uel firma, uel infirma: illa in legis et actionis ueritate est confirmata, iustumque habet robur, et quando actiones rigidissime examinat, tenera dicitur, haec uera quidem

fiducia, sed non firmiter, nititur, seu iustum robur haud habet.

35 Mala, quae circa actiones malas, seu lege prohibitas, aut illicitas, occupatur, et dolorem parit.

36 Estque pariter uel mortua, uel experrecta: illa iterum uel stupefacta, uel hebetata, uel cauteriata, haec uel perturbata, uel desperata.

37 (4) Ratione modi ratiocinandi, seu principii demonstrandi, uel uera est, seu recta, uel erronea, seu falsa, uel dubia, seu haesitans, uel scrupulosa, seu pungens.

38 Vera, seu recta, est, quae ex principiis ueris procedit, erronea, seu falsa, quae ex principiis falsis concludit.

39 Vera iterum uel certa est, uel probabilis, quamuis erronea etiam sub certitudinis, uel probabilitatis, specie fallere possit.

40 Certa, seu demonstratiua et apodictica, est, quae iudicium suum ex rationibus certis, indubitatis, ac ueritatem necessariam parientibus, demonstrat.

41 Probabilis, seu opinatiua, est, quae iudicium suum argumentis probabilibus, et contingentem duntaxat ueritatem afferentibus, fundat.

42 Quippe probabilia, seu ueri similia, Graecis *ἔνδοξα*, dicuntur, quae omnibus, aut plurimis, aut saltem sapientioribus ac praestantioribus, probantur.

43 Nituntur autem potissimum auctoritate, exemplis, imitatione, consuetudine, institutis maiorum, aut parentum etc. utpote quibus plurimorum hominum agendi rationes constare, multi docuerunt scriptores.

44 Excluduntur autem a probabiliis, proprie sic dictorum, classe opiniones, quibus mundus, seu potius uulgus, doctum aequae, ac indoctum, regitur, seu errores, ex praeiudiciis orti.

45 A probabilitate differt probabilismus Iesuitarum et Casuistarum, quo statuunt, posse aliquem, dummodo uiri alicuius docti pique auctoritate nitatur, dissentientibus aliis omnibus, quidlibet facere, et tutam hoc nomine conscientiam habere.

46 Quod figmentum, uelut cauillandi cum Deo ars, omnem omnino doctrinam moralem subuertere, hominumque conscientias

tias a libidine sacerdotum, commodis suis seruientium, suspendere recte iudicatur.

47 Quare etiam, ut dogma pestilentissimum, ab Alexandro VII, Pontifice Romano, peculiari bulla damnatum fuit ac proscriptum.

48 Nec temperare sibi potuerunt scriptores quidam Gallici, quo minus acriter illud impugnandum sibi sumserint, praecipue Ludouicus Montaltius, seu Blasius Paschalius.

49 Quamuis alii, ad inducendam ei crustam, distinguant inter probabilioristas et probabilistas.

50 Dubia conscientia est, quae ancipiti circa actionem iudicio haeret, ob rationes, pro et contra, seu in utramque partem, sese offerentes.

51 Est talis conscientia non tam iudicium, quam iudicii suspensio, adeoque ad conscientiam reducitur, ut priuatio ad habitum.

52 Scrupulosa est, quae quidem de actione quapiam eligenda, uel reiicienda, iudicat, sed ita, ut, ratione oppositi, scrupulo quodam angatur.

53 Est autem scrupulus, sumpta a lapillo, in calceo latente, pedemque pungente, metaphora, difficultas, quaedam, sollicitudo et anxietas.

54 Differt conscientia scrupulosa a dubia eo, quod (1) illa non decidat, haec autem decidat, quamuis cum formidine oppositi. (2) illa actionem consequatur, haec antecedit.

55 Comparantur hae conscientiae species testibus, et quidem dubia testi, nescienti, recta uero, erronea falso, certa oculato, probabilis aurito, scrupulosa uarianti.

56 Caeterum tam uariae conscientiae species inter humanae documenta imbecillitatis omnino habentur.

57 VII. *Scriptores*, qui sigillatim de conscientia egerunt, sunt (1) VVitius, (2) Sanderfonius, (3) Amesius, (4) Dilherrus.

58 VIII. *Axiomata* sunt: (1) conscientia, proprie sic dicta, omnibus inest hominibus, eo ipso, dum intellectum ac iudicandi potentiam habent, licet aliquando lateat, actiue se minus exerat.

59 (2) Est enim, ueluti paedagogus quidam ac doctor, animae sociata,

ciata, ut eam de melioribus moneat, uel de culpis castiget et arguat.

60 (3) Neque tamen ideo pro norma actionum humanarum uenditari, ac legi contra distingui debet.

61 (4) Aliud enim *συντήρησις*, seu principiorum practicorum ac regularum notitia est, aliud ipsa regula, seu norma, aut lex.

62 (5) Hinc conscientia attentio dicitur ad obligationem legis, cum actionum nostrarum secundum eam aestimatione iuncta.

63 (6) Curet igitur quisque, ut debitam de lege, actionum suarum norma, cognitionem habeat, nec, nisi bene informatus, quicquam agat.

64 (7) Quam peruersae enim actiones ex conscientia, male docta, proueniant, uel Martyrum persecutiones testari possunt.

65 (8) Hac de causa multi, ne falsum pro uero iudicent, suae directionem conscientiae uiris, egregie doctis, committunt.

66 (9) Adeoque consiliarii conscientiae in aulis constitui solent, quamuis Principis conscientiae consulere, cuiusque consiliarii sit officium.

67 (10) Dolendum modo est, quod hominum multi conscientiae obligationem, uimque intellectus diiudicatricem, datam humanis actionibus ducem, haud attendant, sed, ea saepius neglecta, animam obbrutescere, patiantur.

68 (11) Sic diuina fit Nemesis, ut, quae gaudii tranquillitatisque parens esse deberet, conscientia, mille cruciatuum euadat genitrix.

69 (12) Quippe actiones omnes, diu occultatae, huic tandem iudicio subiiciuntur, neque, ut profanus quidam Italus dixit, conscientia, ceu mala bestia, occidi potest.

70 (13) Et leuiora etiam delicta, excusso conscientiae freno, a scientibus ac uolentibus commissa, longe grauiora coram Deo sunt iis criminibus, quae caeco quodam animi impetu fiunt.

71 (14) Contra, qui rectae testimonio conscientiae gaudet, Deique absoluitur iudicio, hominum iudicia nihil moratur, nec humana tristatur sorte.

72 (15) Laetitiae plenum est symbolum : Recte faciēdo neminem timeas.

73 (16) Sic bona gaudens fide, suoque utens iure, nemini iniuriam facere dicendus est.

74 (17) Faceſſat modo acerbitas omnis et arrogantia, ſiquidem ipſum ius cum graui humanitate dicendum eſt, ac benigna iuſtitia.

75 (18) Vt igitur recto quiſque hic incedat tramite, circa ſingulas conſcientiae ſpecies hae notari poſſunt regulae:

76 (19) (α) Cui duplicem circa actiones morales conſcientiam, naturalem et illuminatam, conſulere contigit, is, duplici etiam obligatione ſe conſtringi, tantoque grauiori, ſi eam laeſerit, poena teneri, perpendat.

77 (20) (β) Quo conſequens actiones noſtras conſcientia laetitia ac quietem afferre poſſit, curandum eſt, ut antecedens recti bonique ſit ſcientiſſima.

78 (21) (γ) Cogitandum in omni uita eſt, conſcientiam malam malorum omnium peſſimum, et bonam bonorum omnium optimum eſſe.

79 (22) (δ) Nullius rei perfectioni tanta impendi debet cura ac opera, quanta conſcientiae, ut, iuſtum nacta robur, firma euadat, et abſque ſuperſtitione tenera.

80 (23) (ε) Cauendum eſt, ne conſcientia, aliquamdiu neglecta, uel ſtupefacta fiat, uel cauteriata, quae, ut diuinae ſignum deſertionis, maximae poenae loco haberi debet.

81 (24) (ς) Aeterna nobis cautio ſit, ne quid contra conſcientiam rectam eamque certam, faciendo, proaereticum admittamus peccatum, Deique uiolemus legem, ſi non materialiter, et uere, ſaltem formaliter, et interpretatiue.

82 (25) (ζ) Equidem mortalium plerique probabili reguntur conſcientia, cum tamen errori haec facile occaſionem praebet, nec excuſandis actionibus ualide praetendi poſſit, caute hic probior quiſque agere debet.

83 (26) (θ) Cum dubia agens conſcientia (ſaltem propoſito) peccet, ſiue rectum agat, ſiue minus, uel nihil ea agendum eſt, uel, ſi quid agere oportet, inter praeceptum, prohibitum, permiſſum, et illicitum, probe diſtingui debet.

G

84 (28) (ι)

84 (27) (i) *Scrūpulus*, conscientiae inhaerens, si alicuius momenti fuerit, intermissa actione, attendi, sin uanus, animo euelli debet.

85 (28) (x) *Vt* quisque ab erronea sibi cauere debet conscientia, ita omnes circa eam quaestiones solui possunt, distinguendo, tum inter iudicium mentis, generaliter et specialiter acceptum, tum inter errores uincibiles et inuincibiles.

INSPECTIO II.

DE

VOLVNTATE HOMINIS.

I. *Acceptio*. II. *Definitio*. III. *Differentia ab intellectu*. IV. *Obiectum*. V. *Antecedens* VI. *Actus in genere* VII. *Actus in specie*. VIII. *Affectio- nes*. IX. *Axiomata*. 1 I.

Accipitur uoluntas triplici potissimum modo, uel pro facultate, uel pro habitu, uel pro actu uolendi.

2 Quod praecipue notandum est contra Spinosam, conceptus hosce, pessima intentione, confundentem.

3 II. *Definitur* autem uoluntas, pro facultate sumta, per potentiam animae rationalis, qua bonum cognitum appetimus, et malum auersamur.

4 Appetere est ferri ad aliquod obiectum, et unionem cum eo eiusue possessionem cupere, seu desiderare, auersari est fugere obiectum, et quasi sese retrahere ab illo.

5 Pro actu igitur sumta, uoluntas, idem erit, ac uolitio, seu intentio, pro habitu, idem ac studium firmum ac perpetuum.

6 III. *Differt* uoluntas ab intellectu non realiter quidem, sed sola operatione, et quidem sequenti potissimum ratione:

7 (1) Ratione operationis ipsius: intellectus obiecta cognoscit et diiudicat, uoluntas appetit, uel auersatur.

8 (2) Ratione ordinis operationis: functio intellectus est ministerialis, uoluntatis principalis.

9 (3) Ratione modi operationis: intellectus necessario operatur, uoluntas libere.

10 Ratione obiecti operationis: intellectus quodcunque obiectum

crum cognoscit, uoluntas ad bonum fertur, unde etiam *αγαθουδις*, seu boniformis, dicitur.

11 Sic ualde errant, qui differentiam in eo ponunt, quod intellectus sit facultas mere passiuæ, uoluntas autem actiuæ.

12 IV. *Obiectum* igitur uoluntatis est bonum, quod nobis conforme et conueniens est, seu, ad conseruandum, perficiendum, et augendum quacunque ratione facit, aut facere uidetur.

13 Voluntas itaque malum sequitur, non qua malum, sed qua boni speciem induit, adeoque qua bonum, uel malum, respectuum est, non absolutum.

14 Adeoque in genere quidem uoluntas bonum appetit, malumque aduersatur, ratione certi autem boni, maliue, maxima deprehenditur uarietas, aduersante uno, quod alter appetit, et uice uersa.

15 Haec autem uarietas non a diuersa obiectorum repraesentatione oritur, sed a diuersis etiam propensionibus, quæ uarias iterum habent causas, cum naturales, tum morales, de quibus infra in Sect. V.

16 Bonum itaque uel uerum est, uel apparens, seu imaginarium, illudque uel honestum, seu morale, uel utile, uel iucundum.

17 V. *Antecedere* uoluntatem debet qualiscunque intellectus cognitio, ut pote sine qua nihil appetere, uel auersari, potest uoluntas.

18 Sequitur quippe uoluntas intellectus iudicium, comparatum scilicet, expensis de re, eligenda, respuendaue, circumstantiis.

19 Equidem uoluntas intellectum ad bonum, uel malum, accuratius adhuc cognoscendum, determinare potest.

20 Cum tamen intellectus ignorantia plerumque laboret, ac errore, ab eius emendatione fieri debet initium.

21 Quamuis ea intellectus uitia, quæ a uoluntate dependent, emendari quam rectissime possint, si et uoluntas emendetur.

22 Neque etiam negari potest, uoluntatem et mouere posse intellectum ad cognoscendum, et a cognoscendo auertere.

23 Contra intellectus practici officium est, ut uoluntatem moueat ad sese determinandum, obiectum ostendendo, formalem in eo boni maliue rationem commonstrando, media agendi proponendo, ac de iis iudicando.

24 Speciatim intellectus uoluntati operam suam praestat circa media, tum inquirendo ea, tum diiudicando.

25 Dicitur hic actus consultatio, qua nimirum intellectus practicus media, ad consequendum finem idonea, diligenter inuestigat, et inuestigata recte diiudicat.

26 Obiectum igitur consultationis sunt media, non finis, utpote qui, tanquam certus, iam supponitur.

27 Media autem debent esse (1) non certa ac determinata, sed incerta et dubia (2) non impossibilia, sed possibilia (3) non aliena, sed propria (4) non fortuita, sed nostri arbitrii (5) non praesentia, sed futura (6) non diuina, sed humana etc.

28 Modus consultationis consistit (1) in mediorum inquisitione (2) in eorum diiudicatione.

29 Inquisitio complectitur (1) diligentem finis, seu scopi, observationem (2) attentam mediorum considerationem, ratione tum quantitatis, tum qualitatis.

30 Diiudicatio fieri potest (1) mediorum naturam, tum seorsim, tum coniunctim, examinando (2) media discreta debito ordine disponendo (3) e dispositis certi quid concludendo (4) concludorum executionem uoluntati denunciando.

31 Vsum habet haec doctrina in rerum agendarum deliberationibus, rite instituendis, capiendisque consiliis.

32 VI. *Actus uoluntatis in genere* duplices sunt, uel elicit, seu interiores, et immanentes, uel imperati, seu exteriores, et transeuntes: illi immediate, citra aliam interuenientem potentiam, eliciuntur, hi, mediante alia potentia, producuntur.

33 Differunt autem inter se eo, quod elicitos uoluntas et imperet et eliciat, imperatos imperet, non eliciat.

34 Actuum elicitorum alii finem spectant, uti uolitio, intentio, alii media, ut consensus, electio et usus.

35 Quippe uoluntas (1) finem, ab intellectu cognitum, uult, (2) ad eum consequendum efficaciter se mouet (3) eo obtento fruitur et acquiescit.

36 Sic media (1) consensu approbantur (2) quae idonea uisa fuerint, eliguntur (3) usui debite applicantur.

37 Actus

37 Actus imperati dicuntur ab imperio, quo uoluntas reliquas potentias ad actus suos eliciendos mouet.

38 Intellectiua quidem potentia hactenus a uoluntate mouetur, ut aciem intentionis ad res cognoscendas dirigat, minime uero, ut, quod ita intellexit, ad illius nutum aliter intelligere, aut, quod uerum iudicauit, falsum iudicare possit.

39 Loco-motiuæ autem uoluntas imperat, dum membra externa, ueluti organa animæ, ad edendas suas operationes adæquatas mouet, nisi uel morbis sint deprauata, uel ui externa constricta.

40 Sensitiuam, quoad sensus internos et externos, nec non affectus, imperio uoluntatis, non quidem despotico et irrefragibili, sed politico, et partim modo indirecto, seu per accidens, subesse, experientia nouimus.

41 Vegetatiua pariter indirecte, et per accidens, non directe, et in se, uoluntati subiecta dicenda est, respectu subministrationis, uel subtractionis obiectorum.

42 VII. *Actus uoluntatis in specie* est intentio, quæ quidem a uolitione eo differre dicitur, quod hæc sit uoluntas simplicis approbationis, illa autem uoluntas beneplaciti, seu propensionis in rem cognitam.

43 Cum autem uoluntas non eodem semper modo erga obiectum suum se habeat, diuersa etiam ratione actio, inde dependens, ad hominem refertur, indeque uariæ intentionis habentur species, quales sunt:

44 (1) *Efficax et inefficax*: illa est, qua aliquis aliquid intendit, ut efficiendum, certisque mediis obtinendum, hæc, qua aliquis rem ita haud intendit.

45 *Vsum* habet in imputatione actionum moralium, præsertim delictorum attentatorum, ubi inefficax etiam intentio, seu conatus, propositum et uoluntas, non exitus, spectatur.

46 (2) *Mera et non mera*: illa in interno tantum proposito subsistit, hæc externo sese exerit actu.

47 *Vsum* præstat, tum circa explicandam actionum humanarum impunitatem, tum circa Stoicorum dogma de tollendis euellendisque affectibus.

48(3) Directa et indirecta : illa est, qua aliquid, ut tale, expresse et immediate intenditur, haec, qua quidem aliquid, ut tale, non intenditur, intenditur tamen aliquid, ex quo istud secuturum fore, praesumi poterat.

49 Vsum exerit circa poenam delictorum, ex uoluntate directa et indirecta commissorum, e. g. homicidii, nec non circa doctrinam de causa morali.

50 (4) Pura et mixta : illa ex uoluntate prorsus libera procedit, haec ex affectu, aut ignorantia, difficulter uincibili.

51 Vsum praestat in doctrina de iure affectuum, et praecipue doloris iusti, qui, cum difficulter temperari possit, omnino attendi solet.

52(5) Primaria et secundaria : illa aliquid propter se ipsum, et ultimo, haec aliquid propter aliud quid, et intermedio, intenditur.

53 Vsum subministrat in explicatione actionum formaliter, uel materialiter, bonarum, uirtutumque, uere et apparenter talium.

54 (6) Plena et minus plena : illa est, qua aliquid, secundum circumstantias notum, intenditur, haec, qua quis rem, ita haud notam, uult, uel, metu, aut praesumptione maioris mali, minus eligit.

55 Vsum largitur in materia obligationum, quae cognitionem rei, ad praestandum consensum sufficientem, requirunt, nec non in explicatione actionum mixtarum.

56(7) Expresa, tacita et praesumpta, seu interpretatiua : ista uerbis, uel signis externis, exprimitur, illa ex silentio scientis colligitur, haec ab altero, non sciente, ob negotii naturam, praesumitur.

57 Vsum praebet in conuentionibus, contractibus, et quasi contractibus, nec non in doctrina de praesumptionibus.

58 VIII. *Affectiones*, seu proprietates uoluntatis sunt (1) imperium (2) spontaneitas (3) libertas.

59 Imperium est affectio uoluntatis, qua illa caeteras animi potentias mouet ac determinat: in quo autem consistat, antea exposuimus.

60 Spontaneitas est proprietas uoluntatis, qua, citra intrinsecam aliquam necessitatem, sese ad agendum, uel non agendum, determinat.

61 Libertas est affectio uoluntatis, qua illa, propria uirtute, diuersis praesentibus obiectis, ad agendum, uel non agendum, hoc, uel illud, agendum, sic, uel aliter, agendum, sese determinare potest.

62 Caeterum uarie accipitur libertas: opponitur quippe uel coactioni, ceu immunitas ab externa uiolentia, uel obligationi, tanquam exemptio a lege superioris, uel necessitati naturali, ueluti indifferentia uoluntatis ad opposita.

63 Posterior huius est loci, et triplex uulgo constituitur: (1) libertas contradictionis, seu quoad exercitium actus. (2) contrarietatis, seu diuersitatis, quoad speciem actus. (3) modi, quoad rationem actus.

64 Ista est, qua quis, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, et non agere: illa, qua quis, obuientibus pluribus obiectis, potest agere hoc, uel aliud: haec, qua quis, positis ad agendum requisitis, potest agere hoc, uel alio modo.

65 Asserenda autem uoluntati omnino est libertas, secus ac multi, Spinosam inprimis secuti, et absolum hoc ridiculumque pronunciantes, statuunt.

66 Non quidem in rebus spiritualibus, neque quoad internos animi motus, sed in rebus naturalibus, ciuilibus, ac moralibus, quoad actus externos.

67 Alias enim (1) frustra darentur leges, adhortationes, dehortationes. (2) praemiis et poenis nullus foret locus. (3) nulla institui posset deliberatio, seu consultatio. (4) liber Deoque gratus cultus praestari non posset.

68 Nec tollit hanc libertatem praescientia Dei, eiusque cum causis secundis concursus, utpote qui modo, naturae humanae, reique cuiuslibet, conuenienti, et quoad materiale actus, non formale, fit.

69 Neque fatum, siue sidereum, siue Stoicum, hic locum habet, ut illud fortiter impugnarunt Sauanarola, Pererius, Mirandulanus etc. hoc autem Iacobus Thomaeus, Buddeus, alique.

70 Quo autem pacto praeuae hominum electiones, ex liberi abusu arbitrii profluunt, cum bonitate Dei ac potentia constant, caute philosophandum est.

71 Ob-

71 Obsistunt quidem libertati uariae in homine propensiones, a uariis excitatae causis, de quibus infra dicitur, eam tamen minime tollunt.

72 Caeterum libertas, ratione obiectorum, uel Philosophica est, uel Politica, uel Christiana, uel Ecclesiastica.

73 Quae, iustos egressae limites, in licentiam, proteruiam, aut temulentiam degenerare solent.

74 Contraria itaque libertatis sunt (1) licentia (2) obstinatio (3) coactio.

75 Ista est male dispensata libertas, quae in Theologicis dicitur libertinismus, in Politicis licentia, in uita priuata petulantia: illa est pertinax in re quadam perseuerantia: haec impulsio ad aliquid, ui externa, cum reluctantia animi, facta.

76 Vnde coactum dicitur et inuitum: quae ita differunt, ut hoc cum reluctantia animi, illud simul cum ui quadam externa fiat, uid. Inspect. proxim.

77 IX. *Axiomata* sunt: (1) Datus est intellectus uoluntati humanae dux, eiusque adeo cognitionem huius sequitur determinatio.

78 (2) Alias uoluntas caeca foret potentia, ad eum modum, quo intellectus rasa dicitur tabula, cum ignoti nulla sit cupido.

79 (3) Hinc omnia, quae animi destinatione agenda sunt, non, nisi uera et certa scientia perfici possunt.

80 (4) Inprimis practicum intellectus iudicium uoluntati inseruit, eamque in moralibus exercendis actibus dirigit.

81 (5) Multum proinde refert, quale intellectus sit iudicium, rectum ne, an corruptum, uerum, an falsum.

82 (6) Quamuis enim uoluntas non, nisi in bonum, feratur, a uero tamen bono saepe aberrat, falso intellectus decepta iudicio.

83 (7) Quo quidem fit, ut ambitiosus honores, uoluptuosus delectationes, avarus diuitias appetat.

84 (8) Adeoque nullus, qui, uitiiis immerfus et corruptus, agit, uera gaudet libertate, licet sponte agat, ac uoluntarie.

85 (9) Indifferentia enim ad bonum et malum infimus libertatis in uoluntate gradus est, libertatis nomine uix dignus.

86 (10)

86 (10) Libertas quippe perfectio est, et posse abstinere a malo, quando id agi potest, potestas in se perfectiua est, contra imperfectio, posse uelle malum.

87 (11) Huius itaque memor amansque libertatis caueat, ne propensionibus prauisque succumbat affectibus.

88 (12) Exerceat potius imperium, uoluntati in caeteras animae potentias concessum.

89 (13) Magisque curet, an motus uoluntarii ad bonas fiant actiones, quam, quomodo fiant.

90 (14) Hoc enim balbutiens Philosophia, ad ineffabilem prouidentissimi Numinis potentiam nos ablegans, sufficienter explicare nequit.

91 (15) Neque perficiendi tantum intellectus habenda est ratio, sed corrigendae etiam uoluntatis.

92 (16) Etenim, quantum interest, illum ab ignorantia sua liberari, tantum quoque, ab inordinatis suis propensionibus hanc emendari, refert.

93 (17) Adeoque ueram negligit sapientiam ac felicitatem, qui, solam intellectus perfectionem, seu eruditionem, curans, uoluntatis emendationem fusque deque habet.

94 (18) Vnde fieri solet, ut homines tales, etiam si maximum eruditionis culmen conscendant, miseri tamen maneant ac infelices.

95 (19) Dum scilicet eruditione ad ambitionem, uoluptatem et auaritiam abutuntur, eoque ipso rixis, odiis, et mille aerumnis materiam praebent.

INSPECTIO III.

DE

ACTIONIBVS HVMANIS.

I. *Ordo tractationis.* II. *Differentia actionis humanae et actionis hominis.* III. *Definitio.* IV. *Principia.* V. *Disiunctio.* VI. *Affectio.* VII. *Scriptores.* VIII. *Axiomata.*

I I.

O *Ordo tractationis* hic est: actiones humanae ab intellectu et uoluntate, ut suis principiis, proueniunt.

H

2 Cum

2 Cum igitur duabus supra Inspectionibus de his dictum sit, proximam ab illis tractationem istae postulant.

3 II. *Differunt* actio humana et actio hominis eo, quod illa procedat a facultatibus, homini propriis, intellectu et uoluntate, haec a facultatibus, homini cum animantibus brutis communibus, ut uegetatiua, sensitiua et loco motiua.

4 Hoc respectu triplices esse dicuntur actiones (1) naturales (2) rationales et (3) morales.

5 Istae a sola naturae operatione procedunt, neque Rationi directe subiacent.

6 Illae ab hominis quidem Ratione procedunt, sed citra respectum ad legem, adeoque in se quidem indifferentes sunt, pro ratione obiecti autem et finis, moraliter bonae malaeque fieri possunt: quò certo etiam modo pertinent artificiales.

7 Hae ab intellectu et uoluntate hominis, certaue adeo destinatione, procedunt, ac legum directioni subiacent.

8 Quo quidem modo actio spectata κατ' ἐξοχήν humana dicitur, neque enim nobis inter actionem humanam et moralem ullum hic discrimen est.

9 Contra actio hominis, et actio humana, aequè differunt, ac actio regis, et actio regia.

10 III. *Definiri* autem potest per motum hominis uoluntarium, ab intellectu et uoluntate proficiscentem, et, ratione conuenientiae cum lege, aut disconuenientiae, bonum, uel malum.

11 Duo igitur actio humana complectitur, materiale, quod est actus ipse, a facultate animae proueniens, et formale, quod est moralitas, seu relatio ad legem, quaeque inde consequitur, imputatiuitas.

12 Ideo actiones duplici ratione considerari posse dicuntur, tum in genere naturae, tum in genere moris.

13 Priori respectu, sunt motus, a facultate aliqua naturali procedentes, uel ea, quae ad naturam sibi debitam requiruntur, habentes, uel iis destituti.

14 Posteriori autem, relationem ad regulam suam moralem inuol-

inuoluunt, per quam eidem uel conformes sunt, uel diffformes.

15 Quae adeo relatio recte dicitur ratio formalis actionis humanae: non perfecte uoluntarium, nec liberum, nec ualor inaeſtimabilis, nec ordo ad exiſtimationem laudis, uel uituperii.

16 IV. *Principium* itaque actionis humanae uel conſtitutiuum eſt, ſeu materiale, uel regulatiuum, ſiue formale.

17 *Principium conſtitutiuum*, ſeu effectiuum, productiuum et cauſale, uel internum eſt, uel externum.

18 Internum, et quidem remotius, eſt intellectus et uoluntas, propius, ex parte intellectus, conſcientia et conſultatio, ex parte uoluntatis, uolitio et electio, proximum *προαίρεσις*, ſeu propoſitum et conſilium agendi.

19 Hoc Ariſtoteſi dicitur deſtinata appetitio, Grotio uis electrix, alius uoluntas, inſtitutum, praedeſtinatio, deſtinatio, electio, etc.

20 Externum uel ſupra hominem eſt, uel iuxta hominem, uel in homine, ſed extra intellectum.

21 *Supra hominem* eſt prouidentia Dei, actiones humanas dirigens ad commoda hominum, nunquam uero ad mala.

22 Quae quidem uariis ſeſe exerit modis, tum manifeſtis et cognitis, tum occultis et incognitis, unde praefagia, prodigia, fatum et fortuna, in ſano accepta ſenſu.

23 *Iuxta hominem* ſunt ſpiritus et alii homines, ad actionum humanarum productionem concurrentes.

24 Quamuis de ſpiritibus, geniis, et angelis, eorumque ad actiones humanas concurſu, tanto cautius philoſophandum ſit, quanto incertior eorum doctrina ex principiis naturalibus haberi poteſt.

25 In homine, ſed extra intellectum, ſunt diſpoſitiones et inclinationes naturales, quarum exercitia non inepte dicuntur mores, de quibus infra.

26 *Regulatiuum*, ſeu *normatiuum*, eſt lex, quae, proprie accepta, eſt praefcriptum ſuperioris, inferiorem ad actiones ſuas, iuxta illud dirigendas, obligans, de hac pariter infra in lure naturae.

27 V. *Diuiditur actio humana* (α) ratione principii conſtitutiui (1) in elicitam et imperatam (2) in deliberatam et praecipitatam (3) in uoluntariam, inuoluntariam et mixtam. H₂ 28 Eli-

28 Elicita est, quae immediate a uoluntate producit, iterumque in ea recipitur.

29 Imperata uero est, quae ab aliis facultatibus ad imperium uoluntatis perficitur, ut supra diximus.

30 Deliberata est, quae ab homine ex praeuio intellectus iudicio, omnes et singulas actus circumstantias excutiendo, elicitur.

31 Praecipitata est, quae ab homine, sine praeuia deliberatione ac circumstantiarum excussione, procedit.

32 Voluntaria, seu proaeretica et libera, est, quae a libera hominis uoluntate procedit, h. e. a sciente et uolente.

33 Ad talem igitur actionem requiritur tum plena et efficax uoluntas, tum scientia facti et circumstantiarum.

34 Voluntaria autem actio et spontanea ita uulgo differre dicuntur, ut haec proprio agentis motu citra ullum principium externum fiat, illa uero cum principio aliquo externo consistere possit.

35 Adeoque non, nisi cum grano salis, intelligenda sunt pragmaticorum Brocardica: Sponte, uoluntarie et libere idem important. Quae sponte fieri dicuntur, non excludunt alterius instantiam, aut requisitionem etc.

36 Inuoluntaria, seu inuita, est, quae a non sciente, uel nolente, suscipitur.

37 Duplex proinde datur actio inuita, alia per ignorantiam, alia per uolentiam, seu uim externam.

38 Ignorantia est absentia, seu priuatio, scientiae, quae adesse debebat, aestimatione nimirum morali, non physica.

39 Iure consultis ignorantia triplex est (1) ignorantia proprie et speciatim sic dicta, quando nulla rei cognitio animum subiit. (2) error, quando falsum de re fertur iudicium (3) dubitatio, quando animus inter scientiam et opinionem fluctuat.

40 Philosophis diuiditur (a) ratione principii, seu subiecti, in uoluntariam et inuoluntariam (b) ratione effectus, seu influxus, in efficacem et concomitantem (c) ratione modi, seu adiuncti, in uincibilem et inuincibilem (d) ratione obiecti, seu materiae, in ignorantiam iuris et facti.

41 Vo-

41 Voluntaria, seu affectata, ignorantia est, quam homo culpa sua contraxit, neglectis sciendi mediis.

42 Inuoluntaria, seu uera, est, qua quis praeter culpam laborat, ea ignorans, quae scire non poterat.

43 Estque iterum uel secundum quid, et in se, sed non in sua causa, uel in se, et in sua causa.

44 Efficax, seu antecedens, est, quae efficit, ut actio fuerit suscepta, huiusque poenitentiam post se trahit.

45 Concomitans est, quae actionem ita concomitatur, ut, etiamsi abfuisset, actio tamen futura fuisset, adeoque nulla facti poenitentia excipitur.

46 Vincibilis est, quae, adhibito studio debito, superari poterat, adeoque ignorantia prauae dispositionis, aut malitiosae priuationis, dicitur, ICTis error et ignorantia iniusta.

47 Inuincibilis, quae nullo studio exui poterat, ac uulgo ignorantia purae negationis, aut priuationis uocatur, ICTis imperitia, et ignorantia iusta.

48 Ignorantia iuris, seu uniuersalium, est, qua quis ignorat, quid in actione honestum, aut iustum, uel contra, sit.

49 Ignorantia facti, seu particularium, est, qua quis ignorat circumstantias facti, utpote in quibus praecipua actionis uis consistit.

50 Est autem circumstantia singularis et externa facti determinatio, seu adiectio et circumiectio eorum, quae rem propositam consequuntur, uel ipsi subiiciuntur.

51 Spectatur autem uel materialiter, quatenus negotii moralitatem non afficit, seu extra aestimationem moralem, adeoque plane indifferens et accidentalis est, uel formaliter, quatenus actionis moralitatem attingit, eam uel specificando, uel augendo, uel minuendo.

52 De numero circumstantiarum inter doctores non conuenit, aliis quatuor, aliis quinque, aliis sex, aliis denique septem statuentibus.

53 Communiter tamen, ad imitationem ICTi Saturnini, septem numerantur, uulgari hoc comprehensae uersu : Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? H3 54 Sci-

54 Scilicet circa omne factum duo potissimum occurrunt: causae et adiuncta.

55 Causae sunt uel internae, eaeque siue efficiens principalis (quis?) aut instrumentalis (quibus auxiliis?) siue finalis (cur?) uel externae, eaeque uel materialis circa quam (quid?) uel formalis (quomodo?)

56 Adiuncta sunt uel temporis (quando?) uel loci (ubi?)

57 Quantum momenti ad diiudicandas hominum actiones circumstantiae afferant, uno alteroue exemplo, ex lure petito, demonstrabimus, quamuis sola solutionis materia illustrationi inservire possit.

58 Circumstantia quis? seu causa efficiens, maxime in delictis et poenis attendenda est, e. g. grauius punitur mas solutus, cum coniugata, quam soluta, cum uxorato rem habens.

59 Quid? non ipsum modo factum sed eius etiam qualitatem concernit, ut, si res, furtim ablata, sacra est, ex furto fit sacrilegium.

60 Vbi? saepius delictum et poenam aggrauat, e. g. iniuria in loco publico, aut privilegiato, in iudicio etc. commissa.

61 Quibus auxilium? magnum momentum affert ad cognoscendam intentionem indirectam in delictis, e. g. in homicidio genus armorum attenditur.

62 Cur? indicat finem actionis, qui saepe ad mitigandam poenam facit, e. g. in ablatione rei sacrae ad leuandam extremae famis necessitatem.

63 Quomodo? respicit formam facti, an dolo et proposito, an culpa, an ex errore, an ex affectu uehementiore, an casu sit commissum, e. g. homicidium, furtum, etc.

64 Quando? delictum uel auget, uel minuit: hinc furem nocturnum occidere licet, diurnum non aequè.

65 Inuita igitur actio per ignorantiam, seu ex ignorantia, est, cuius causa est defectus cognitionis, quam agens habere non poterat.

66 Quare differentia omnino est inter id, quod ab ignorante fit, et id, quod ob ignorantiam fit: cum hoc poenitentiam habeat consequentem, illud minus.

67 Vsum

67 Vsum habet haec doctrina in Iure circa contractus et aestimationem delictorum, ubi omnino attendi debet, qua ignorantia, quoue errore, actio fuerit patrata.

68 Quare ignorantia etiam cum culpa coincidere dicitur, quae uel commissionis est, uel omissionis, et utraque uel lata, uel leuis, uel leuissima.

69 Lata est, cum ea ignorantur, quae omnes scire solent, leuis concernit ea, quae mediocriter prudens scire solet, leuissima est ignorantia eorum, quae prudentissimus scire potuisset.

70 Maxima in primis circumstantiarum habenda est ratio in examinandis exceptionibus et limitationibus.

71 Quare frequens occurrit apud ueteres Ictos formula: Respondi secundum ea, quae proponerentur, hoc est, prout casus in circumstantiis mihi propositus est.

72 Inuita actio per uiolentiam est, cuius causa est principium extrinsecum cogens, cui intrinsecum ita resistit, ut agens patientisue, per se, et proprie loquendo, nihil ad actionem conferat.

73 Dicitur autem uis, seu uiolentia, Ictis maioris rei impetus, qui repelli non potest, et necessitatem impositam, uoluntati contrariam, importat.

74 Et triplex quidem habetur (1) compulsiua, qua quis ad aliquid agendum compellitur. (2) expulsiua, qua quis re quapiam expellitur. (3) ablatiua, qua quid alteri aufertur.

75 Inuitae per uiolentiam actioni affinis est ea, ad quam metu quis cogitur, saltem quoad effectum iuris, ne cogenti iniquum accrescat lucrum.

76 Dicitur autem metus Ictis uiolentus terror atque atrox, qui affectum metus in altero parit, et animum facit trepidare, instantis, uel futuri, periculi causa.

77 Iustus autem requiritur metus, ratione patientis sic dictus, non reuerentialis, qui ex ueneratione oritur, cum quodam semper pudore coniuncta.

78 Vsum haec doctrina habet in materia iuris de damno dato, de ui metusque gestis etc.

79 Mixta

79 Mixta actio, quae alias uiolenta, apparenter talis, dicitur, ea est, quam homo in se auersatur, nec, nisi certas ob causas, suscipit, ex duobus nimirum malis minus eligendo.

80 Quod quidem in physicis tantum malis, non moralibus, procedit, cum non facienda sint mala, ut inde eueniant bona.

81 Vera autem aestimatione actio mixta habetur pro uoluntaria, ob actionis uoluntariae principia, ad eam concurrentia, qualia sunt conscientia, uolitio, consultatio, et electio.

82 Hinc dici solet: uoluntas coacta etiam est uoluntas, licet non plena, sed cum dolore et odio in rem coniuncta.

83 Quatuor autem actionum mixtarum statuuntur genera (1) cum homo, boni alicuius, et commodi consequendi, aut grauissimi damni declinandi causa, graue quid, aut damnosum, patitur.

84 (2) Cum homo, eandem ob causam sordidum quid ac indecens admittit.

85 (3) Cum homo, quodcunque malum declinaturus, aut bonum consecuturus, actionem suscipit, prae qua tristissimam potius mortem oppetere debuisse.

86 (4) Cum homo, metu mali grauioris, animique humani uim superantis, aliquid facit, quod facere non debebat.

87 Primum laudem, secundum et tertium uituperium, quartum ueniam et comiserationem meretur.

88 (β) Ratione normae, seu legis (1) in necessariam, permissam et indifferentem. (2) in honestam et turpem, seu iustam et iniustam.

89 Necessaria est, quae lege aliqua praecepta est, uel uetita, adeoque moralem secum fert necessitatem, seu obligationem.

90 Lex quippe uoluntatem, alias liberam, ad certos actus, uel faciendos, uel omittendos, restringens, agendi, uel omitendi, necessitatem causatur.

91 Adeoque obligatio nihil aliud est, quam libertatis, ad certum quid, certoue modo agendum, uel non agendum, restrictio, a uoluntate superioris directe, uel indirecte orta.

92 Permissa, seu licita est, cuius suscipiendae facultatem lex concedit.

93 Talis

93 Talis autem actio proprie, seu perfecte, et ethice, licita est, respectu facultatis, omnino et actu positivo competentis.

94 Improperie autem, seu imperfecte, et politice, licita dicitur, quae quidem a lege non permittitur, impune tamen perficitur, seu in foro humano non attenditur.

95 Nata hinc est distinctio inter permissionem plenam et minus plenam: illa agendi ius concedit, haec impunitatem in foro.

96 Indifferens actio dicitur, quae in se neque bona, neque mala, est, adeoque modo suscipi, modo omitti potest.

97 Triplici autem ratione actio indifferens dici potest: (1) quatenus physice, citra respectum ad normam Moralem consideratur, quosensu omnes actiones, quamdiu a lege abstrahuntur, indifferentes sunt.

98 (2) Quatenus moraliter in relatione ad legem spectatur: sic actio indifferens uere a lege permittitur.

99 (3) Quatenus quamuis legis dispositionem recipere potest: hac ratione non omnes actiones sunt indifferentes, sed plurimae necessariae.

100 Ac proinde moralis ille indifferentismus, seu Iesuitarum dogma, quo, omnes actiones humanas aequae praecipi a lege ac prohiberi permittitae posse, statuunt, omnino reici debet.

101 Etenim honestatem omnem legemque naturalem tollit, hocque nomine absurditatis merito a doctoribus inculpat.

102 Philosophico autem huic indifferentismo contradistinguitur Theologicus, de quo uariae prostant commentationes.

103 Caeterum an detur actio moraliter indifferens, quoad indiuidua, seu cum omnibus circumstantiis spectata, uarie, pro principiorum, quae quisque fouet, uarietate, decidi potest.

104 Honestae est, quae cum norma sua exacte conuenit, turpis, quae a regula sua quocunque modo aberrat.

105 Vtraque, ratione applicationis debitae, uel indebitae, a sciēte et uolente factae, iusta, uel iniusta dici consuevit.

106 Ad exactam uero conuenientiam requiruntur (1) proaerescis, seu destinata uoluntas. (2) necessaria in agente qualitas. (3) obiectum, a lege praescriptum. (4) finis debitus. I 107 Ver-

107 Verbo: tam quoad formale, quam quoad materiale, omnesque adeo circumstantias, principio suo ac normae congruere debet.

108 Quare si uel tantillum uitii actioni in haereat, non bona est.

109 Quo spectat, quod dici solet: actio bona est, quae omni ex parte legi congruit, mala, quae una tantum ex parte deficit.

110 Quod quidem de moralitate, proprie sic dicta, intelligendum est, non de improprie accepta, seu politica, secundum ea tantum, quae in oculos incurrunt, aut alias probari possunt, ualere solita.

111 (γ) Ratione modi (1) in actionem commissionis et omissionis (2) in facilem et difficilem, celerem et tardam, leuem et grauem etc.

112 Actio commissionis, seu positiua, est, quae positiuo quodam effectu, seu motu, sese exerit.

113 Actio omissionis, seu negatiua, physice et stricte loquendo, actio non est, seu motus positivus, morali autem aestimatione et sensu latiori talis habetur.

114 Quippe in moralibus tam late actionis uocabulum sumitur, ut et passiones nonnunquam et internos motus quoslibet comprehendat.

115 Adeoque eiusmodi omisio cum uoluntario affectu, et interdum cum actione, rei omisae opposita, coniungitur.

116 Actio facilis et difficilis, celeris et tarda, leuis et grauis etc. ita dicitur, ratione accidentium, quae eidem, uel ex causis eius, uel ex subiectis, uel ex obiectis, superueniunt, et moralitatem omnino afficiunt.

117 VI. *Affectio* actionis, seu consecutiuum formale, est imputatiuitas, seu aptitudo ad imputandum, qua actio et moralis eius effectus agenti tribuitur.

118 Imputare enim nihil aliud est, quam actionem ad agentem, tanquam eius causam, et auctorem, referre, cum effectu morali, ut inde uel laudem, aut praemium, uel uituperium, aut poenam mereatur.

119 Sic malam alicui actionem imputare est eidem exprobare, quod ita, et non aliter egerit, cum agere potuisset, uel ad rationem reddendam eum adstringere.

120 Fun-

120 Fundamentum igitur imputationis et causa est libera hominis uoluntas, a qua actio provenit, cum penes hominem fuerit, ut actio, cuius ratio poscitur, fieret, uel non fieret.

121 Adeoque a uoluntate ad imputationem affirmatiue pariter, ac negatiue, argumentari licet.

122 Et generalis loco regulæ circa actiones, in foro humano imputari solitas, hoc esse potest axioma:

123 Quaelibet actio, directionis humanæ capax, ei imputari potest ac debet, qui eam, sciens et uolens, mediate, aut immediate, directe, aut indirecte, committendo quid, uel omittendo, produxit.

124 Quod quidem intelligendum est de imputatione propria et ordinaria, qualis ex debito fieri solet, non de impropria, qualis est imputatio ex gratia, nec non peccatorum alienorum, publicas calamitates post se trahentium.

125 Speciatim uero, ubi imputatio obtineat, uel cesset, sequenti modo declaratum ibimus:

126 Obtinet imputatio, uel circa actiones proprias, uel circa alienas.

127 Propriæ sunt: (α) actio ex errore uincibili, aut culpa quadam commissæ (β) actio ex neglectu uirium profecta.

128 Alienæ sunt: (α) actio, alterius directioni subiecta, et dirigi apta, (β) actio, cuius alter est causa moralis, (γ) actio, alterius consensu, uel expresse, uel tacito, uel præsumto, nitens, (δ) actio, dirigendo patrata.

129 Cessat, uel deficit, imputatio pariter uel circa actiones proprias, uel circa alienas.

130 Illæ sunt (α) actio, ex errore inuincibili patrata. (β) actio, deficiente occasione, omiſſa (γ) actio physice, uel moraliter, impossibilis, (δ) actio ex affectu uehementiore, coactione, metu, casu etc. suscepta.

131 Hæc sunt (α) actio, quam alter dirigere nec potuit nec debuit. (β) actio, quam alter nec directe nec indirecte causatus est. (γ) actio, quam alter nec præmii nec poenæ loco habere debet.

132 VII. Scriptores, huc spectantes, uarii sunt: alii enim actionum huma-

humanarum principia exposuerunt, ut (1) Hündshagen (2) Rache-
lius (3) VVerndelerus (4) Röhrensee etc!

133 Alii de actionum humanarum speciebus et affectionibus
egerunt, uti (1) VVilduogelius (2) Philippinus. (3) Röhrensee, etc.

134 VIII. *Axiomata* sunt: (1) Cum proximum actionum humana-
rum principium sit proaerescis, eo magis etiam, minusue, sunt mo-
rales, quo magis, minusue sunt uoluntariae.

135 (2) Hocque nomine plus etiam laudis et praemii merentur,
si bonae fuerint, aut uituperii, si malae.

136 (3) Liberae autem uoluntatis electioni ignorantiam, uim et
metum obsistere, diximus.

137 (4) Necessarium igitur est, ut, quantum ad actionum mora-
litatem haec ualeant, uel non ualeant, omnino attendatur.

138 (5) Ignorantia quidem iuris plerumque est affectata, adeo-
que agentem non excusat, neque eidem prodest, sed damnum,
inde secutum, refarciri debet.

139 (6) Quilibet enim iura et regulas uitae nosse debet, utpote
quas, publica facta promulgatione, facile scire potest, siue per la-
inquendo, siue prudentiores consulendo.

140 (7) Quippe finitum est ius, h. e. explicante Schiltero, de-
finitum, descriptum, promulgatum et potest esse, et debet, ac per
consequens cognosci, et ignorantia expelli et uinci potest.

141 (8) Adeoque scire iura, et scire debere, sunt paria, hacte-
nus, ut, qui ex ignorantia iuris agat, uolens agere, hocque nomine
ad reddendam actionis rationem teneri praesumatur.

142 (9) Considerandum modo est, quale sit ius illud, quod igno-
retur, an naturale, an ciuile.

143 (10) Ratione iuris naturalis, distinguendum est inter prin-
cipia iuris naturalis prima et generalia, seu communissima, et in-
ter conclusiones, inde deductas.

144 (11) Illa uitae rationalis ac socialis fundamentum sunt, per
se euidens, nec ulterioris demonstrationis indigens.

145 (12) Adeoque tam parum ignorari possunt ac debent, quam
prima aliarum scientiarum principia.

146 (13)

146 (13) Hae uero, saltem remotiores, non aequae ab hominibus cunctis intelligi queunt, propter hebetudinem mentis, ad ratiocinationem, recte instituendam, uel institutam ab aliis percipiendam, ineptae.

147 (14) Ideoque ignorantiam reddunt excusabilem, praesertim accedente subiecti diuersitate, respectu sexus, aetatis, aut conditionis.

148 (15) Ratione iuris ciuilibus, pariter distinguendum est inter ius ciuile commune, et singulare, seu statutarium, nec non inter ciues nouos et antiquos.

149 (16) Iuris communis, in societate, cuius quis membrum est, obtinentis, ignorantia ciuibus, praesertim antiquis, omnino nocet.

150 (17) Exceptis saltem foeminis, minoribus, rusticis et militibus, in quibus ignorantia talis quodammodo natua habetur, seu naturalis.

151 (18) Iuris statutarii ignorantia, pro diuersitate subiecti, modo uitio uertitur, modo minus.

152 (19) Ignorantia facti, seu circumstantiarum, regulariter hand nocet, quia facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallit, h. e. qualitas facti et circumstantiae particulares, ex quibus facti interpretatio et iusta cognitio dependet, etiam prudentissimos fugiunt.

153 (20) Distinguendum tamen hic pariter est inter factum proprium, et inter factum alienum.

154 (21) Ignorantia facti alieni eatenus patrocinium praebet, quoad probabilis fuerit, seu media inter scrupulosam inquisitionem, et supinam negligentiam.

155 (22) Vtraque enim hic abesse debet, et nimia securitas, et delatoria curiositas.

156 (23) Illa, quia turpe habetur, ea negligere, quae diligenter inquirendo sciri potuissent.

157 (24) Praesertim, ubi officii ratio diligentio rem inquisitionem adhibere, deque aliorum factis respondere iubeat.

158 (25) Haec, quia uitio uertitur ei, qui in rebus alienis nimium curiosus est, nec sine culpa esse dicitur, qui rei, (aestimatione morali) ad se non pertinenti, sese immiscet.

159 (26) Contra, qui facti, ab alio patrati, moralis est causa, omnino de eo tenetur.

160 (27) Hoc est, qui realiter quidem, seu physice, actum non producit, ita tamen in ordine ad mores se habet, ac si actu influeret, illi non minus imputatur effectus ad meritum, uel culpam, ac si reuera, et per se, eum produxisset.

161 (28) Ideo recte dicitur: quod quis per alium facit, per se fecisse putatur.

162 (29) Modos causae moralis, uulgato uersu comprehensos, passim apud doctores legere datur.

163 (30) Proprii autem facti ignorantia, nisi difficultas negotiorum, aut antiquitas, allegari possit, iusta haud est, sed ita nocet, ut damnum, inde profectum, resarciri debeat.

164 (31) Maxime, cum in facto proprio plus, quam mediocris, requiratur scientia, quam si quis adhibitam fuisse, dicat, probare tenetur.

165 (32) Adeoque nec ebrietas, sponte contracta, excusandae actioni praetendi potest: cum causa causae sit etiam causa causati.

166 (33) Et tali ignorantia agens, non tam ob ignorantiam, seu per ignorantiam, uel ex ignorantia, quam ignorans, agere dicitur.

167 (34) (β) Vis, seu uiolentia, proprie dicta, seu mera coactio, et impetus, qui repelli nequit, a culpa aequae ac obligatione liberat.

168 (35) Etenim nihil tam contrarium est consensui, quam uis, neque ex tali actu resultat obligatio in uim passo.

169 (36) (γ) Metus, quatenus ob praesentis casum necessitatis consensum elicit, non attenditur, et sic recte dicitur: coacta uoluntas etiam est uoluntas.

170 (37) Quatenus uero cum uiolentia coincidit, consensui habetur contrarius, ideoque ueniam iure naturali saepe operatur, iure ciuili restitutionem in integrum.

171 (38) Sed iustus debet esse metus, maioris, ut aiunt, malitatis, non uanus, cuius iusta excusatio haud est.

MEMBRUM II.

DE

CORPORE HUMANO.

I. *Definitio.*

I. *Definitio.* II. *Structura.* III. *Vnio.* IV. *Status.* V. *Contraria.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.* 1 I.

Definitur corpus humanum per substantiam materialem, partibus mobilibus, et ad uaria applicabilibus, tanquam organis, constantem, ad hospitium ministeriumque animae ordinatam.

2 Aliis dicitur machina elegantissima, e diuersis organis uitalibus et animalibus a creatore fabrefacta, ad constituendum cum anima hominem.

3 Hoc etiam nomine organicum dicitur, hoc est, uariis membris, uelut organis, ad certum usum certamue operationem destinatis, instructum.

4 Itaque non inepte comparatur cum machina automatica, seu hydraulico-pneumatica, in qua omnes partes solidae a fluido aliquo mouentur ac diriguntur.

5 II. *Structura* corporis considerari potest uel quoad partes, uel quoad totum.

6 Partes duplici potissimum ratione spectari solent, ratione essentiae, et ratione functionis.

7 Ratione essentiae sunt uel solidae, uel fluidae: illae rursus uel musculosae, uel membranosae, uel glandulosae, uel cartilagineosae, hae uel humorosae, uel spirituosae.

8 Ratione functionis sunt uel uitales, uel genitales, uel animales, de quibus adeundi sunt Physici.

9 Totum exhibet artificiosam, planeque admirandam, partium symmetriam, ad praestantissimas operationes perficiendas aptam.

10 Sic sanguinis circulatio, eiusque auxilia, ut muscularis cordis uis, ualuularum in uenis artificium, eodem opere et priuatae individui innutritioni inseruiunt, et publico funguntur officio.

11 Sic humanam phantasiam et memoriam mirifice iuuat cerebrum, quo etiam solo a caeteris animantibus homo distinguitur.

12 Quippe, cum corporis humani mediocris pondus non ultra quartam corporis bouini partem assurgat, duplo tamen plus cerebri concessum ei est, in tantilli regimen corporis.

13 III. *Vnio* cum corpore arctissima est, consistens in mutua actionum

rum et passionum reciprocatione, quam contactum uirtutis cum Claubergio et VVesensfeldio uocare solent.

14 Etenim corpus et mentem ipsa essentia sua non posse se mutuo contingere, ex utriusque natura liquet.

15 Quomodo autem ea, quae sua essentia se contingere nequeunt, actionum tamen et passionum reciprocatione mutuaque dependentia constare possint, ignoramus.

16 Nimirum existentiam eius experientia comprobatur, modus uero cognitu difficilis manet.

17 Credendum modo est, Deum, condendo hominem, ipsum uinculum quoddam mundi mentalis et sensibilis constituere, certoque adeo fini destinare uoluisse.

18 Hic finis est, ut rebus corporeis quidem uteretur, sed illas uicissim ad mentem illam summam, Numen, eiusque amorem et gloriam, referret.

19. Huius causa, et corpore, quo cum omnibus rebus extensis, et mente, qua praecipue cum Deo, certo modo cum sibi similibus creaturis rationalibus, connecti possit, instructus est.

20 Has substantias, mentem et corpus, tota natura diuersas, arcta quidem, sed conuenienti unione coniungi, finis hic postulat.

21 Ita nimirum, ut ipsae quidem substantiae immediate sese haud contingant, neque inter se confundantur, sed uitalis saltem maximeque actiuosa ipsarum sit unio.

22 Puta talem, qua certi corporis motus cum certis perceptionibus mentis tam arcte iuncti sunt, ut, corpore aliter atque aliter moto, alia atque alia ad mentem transeat perceptio.

23 Vicissim, ad aliam perceptionem, aut determinationem mentis, alius atque alius corporis motus, ex naturae lege semel posita, consequatur.

24 Ita, extrema cutis parte tacta, mens statim, aliquid circa corpus suum agi, percipit.

25 Pariter ad mentis determinationem corpus corporisque organa, manus, pedes caeteraque membra, dum modo rite constituta sint, eo mouentur, quo menti uisum fuerit.

26 Sic,

26 Sic, una parte male affecta, ad alteram quoque uel ingratus sensus, uel praeternaturalis motus, continuo transfertur.

27 Nec tranquillus unquam hominis status esse potest, nisi utrique parti bene sit.

28 IV. *Status* corporis humani duplex est, uel naturalis, seu sanitatis, uel praeternaturalis, seu morbi.

29 Ille consistit in congrua omnium partium dispositione, qua mediante naturales fieri possunt operationes, e.g. respiratio, nutritio, sensus, motus, generatio.

30 Hic oritur ex turbata partium dispositione et structura, unde fit, ut naturales operationes non amplius, uel saltem non debito modo, edi possint.

31 Ratio appellationis est, quia, asserente *Iacobo Thomasso*, naturae uocabulo, si per se sumitur, bonitatis quaedam ac perfectionis notatio inest, et mala non secundum naturam sunt, sed illi aduersantur.

32 Adeoque certum est, generis nostri corruptionem naturae humanae, qualis nimirum ea condita praesumi debet, repugnare, statumque ideo perfectum non inepte naturalem appellari posse.

33 Igitur sanitas nihil aliud est, quam talis partium corporis humani conditio, unde debitae eius operationes sine impedimento, prout corporis humani natura, primitus condita, eiusque conseruatio requirit, sequuntur.

34 V. *Contraria* corporis humani sunt figmenta corporis, qualia deprehenduntur in molis, cambionibus, monstris etc.

35 De quibus quid notari debeat, scriptores, cum morales, tum Physici, passim monent.

36 VI. *Scriptoribus* autem, hic consulendis, accenferi possunt (1) Nemesius (2) Hornius (3) Bohnius (4) Queccius (5) Hagendornius (6) VVesefeldius, similesque plures.

37 VII. *Axiomata* sunt: (1) Agnoscendum est corpus humanum potentissimi sapientissimique Numinis opus, homini ideo concessum, ut anima, mediante arctissima cum illo unione, operationes suas rationales perficere possit.

38 (2) Quae ipsa mentis cum corpore coniunctio inter ea pariter refe-

K

referenda est, quae homo profunda potius pietate admirari debet, quam intellectu imbecilliore rimari.

39 (3) Quippe, quomodo res, sua natura distinctissimae, ita coniungi possint, ut una cum altera in operationibus omnibus concurrat, et una ab alterius conditione participet, nemo assequi ualet.

40 (4) Nec anima tantum, spiritus nobilissimus, corpori, quod inhabitat, dignitatem affert, sed propria etiam huius structura, ad stuporem artificiosa.

41 (5) Etenim ne minima quidem eius particula est, quae non mira cum ceteris symmetria constet, usumque insignem habeat.

42 (6) Ideo uel inde, ut cognoscendae Dei existentiae, ita seruandae inter homines socialitatis argumentum sumere licet.

43 (7) Nec inepte ad Physiologiae *Mechanicae* principia in demonstranda naturae lege *Cumberlandus* alique prouocasse uidentur.

44 (8) Quemadmodum enim opificis officinam ingressus, uaria instrumenta, ibi reposita, certo usui destinata, nec casu, aut fortuito, facta fuisse, iudicat.

45 (9) Ita tot corporis organa considerans, non potest non intelligere, ea instinctum motumque suum certo artifice, certas intendenti operationes, certosue praestituenti fines, debere.

46 (10) Vt adeo corpus humanum, cum anima coniunctum, et Numinis diuini artificium, et Politiae perfectae exemplar merito dixeris.

47 (11) Cuius etiam erecta in coelum forma admonere nos debet, ut summo ueroque bono potiri nitamur.

SECTIO III.

De

AMORE HOMINIS ERGA DEVM, VT FINE CREATIONIS.

GLoria Dei, creatoris, ut ultimus rerum creatarum finis, in homine, creatura rationali, requirit amorem erga Deum, Voluntatisque diuinae adimpletionem, ut finem intermedium. Amor erga Deum mutuum Dei amorem

rem obtinet, unde summa hominis dimanat felicitas. Consideranda igitur hic ueniunt et indoles amoris erga Deum, et proueniens hinc summa hominis felicitas.

MEMBRVM I.

DE

INDOLE AMORIS ERGA DEVM.

I. *Praesuppositum*. II. *Definitio*. III. *Requisita*. IV. *Affectiones*. V. *Criteria*. VI. *Fundamentum*. VII. *Obiectio*. VIII. *Responsio*. IX. *Oppositum*. X. *Scriptores*. XI. *Axiomata*.
I I.

P*raesupponi* hic debet cognitio amoris in genere, nimirum quoad acceptionem eius, descriptionem et diuisionem.

2 Accipitur amor uel improprie, uel proprie, pro quacunque propensione, seu inclinatione et uergentia unius erga alterum, ad eoque etiam pro sympathia in rebus inanimatis.

3 Describitur autem, in proprio acceptus sensu, per desiderium uoluntatis humanae, eum eo se coniungendi, quod intellectus bonum, seu sibi conueniens, cognouit.

4 Diuiditur, pro diuersitate obiectorum, in quae fertur, et modi, quo in ea fertur, in amorem concupiscentiae et complacentiae, hique in amorem amicitiae et obedientiae.

5 Concupiscentiae, seu appetentiae, amor est, qui tendit in obiectum aliquod consequendum, tanquam bonum relatiuum, conseruationem et perfectionem nostri concernens.

6 Complacentiae est, qui tendit in obiectum, ut bonum quidem, non tamen praecise, et praecipue cum respectu nostri, sed absolute consideratum.

7 Amicitiae, seu beneuolentiae, est, qui tendit in obiectum, quod amorem intelligere, et amorem mutuum reddere potest.

8 Obedientiae, seu deuotionis, est, qui tendit in obiectum, cui, tum propter praestantiam et excellentiam, tum propter eximia in nos merita, obsequium debemus.

9 Ultima amoris species huc potissimum referenda uenit, quamuis, pro diuersa Numinis repraesentatione, caeterae etiam locum habere possint.

10 Scilicet exhibetur nobis creator maximus, modo ut ipsa bonitas, omnisque boni scaturigo, modo ut perfectio, summaque pulchritudo, modo ut autor et conditor nostri.

11 Adeoque, pro diuerso hoc respectu, diuerso etiam amore homo in eum tendere, seu concupiscentiae, amicitiae obedientiaeque amore eum amplecti potest.

12 Dummodo tres istae amoris species inter se coniungantur, debitoque se excipiant ordinae.

13 Ita nimirum, ut amor amicitiae primo, obedientiae secundo, et concupiscentiae tertio loco ueniat.

14 Etenim Deus praecipue, ut praestantissima ac perfectissima Mens, quae hominis amorem agnoscere, mutuumque ei amorem retribuere potest, amore amicitiae amandus est.

15 Deinceps ei, ut summae causae, debetur amor obedientiae, et cultus, in totali uoluntatis subordinatione, intimaque propensione et promittitudine consistens.

16 Tandem, rationis felicitatis, a mutuo eius amore expectandae, amore concupiscentiae amari potest.

17 Ergo et amicitiae et obedientiae amori subordinandus est amor concupiscentiae, quia felicitas non primario, sed secundo, expetenda est.

18 II. Definiri autem potest amor obedientiae per propensionem habitalem, quia homo uoluntati diuinae se totum suasque operationes uniuersas in omniuita, cum intima mentis deuotione ac promittitudine, subordinat.

19 Quatenus uero amor caeteras amoris species s. modificationes simul complectitur, dici potest motus animi, quo homo in Deum, tanquam summum, ut in se, ita et suum Bonum, omnisque boni autorem et datorem, complacentiae, deuotionis et unionis studio, fertur.

20 Breuiter: est motus animi, quo homo Deum, ut summum Bonum, amplectitur, et ueram in eo quietem inuenit.

21 III. Requisita huius amoris sunt, (1) ut sit rationalis, h. e. ex uera Dei cognitione, quam Ratio affectus est, proueniens.

22 Quip-

22 Quippe natura rationalis nullam in rem, suavi illa uoluntatis propensione, quam amorem dicimus, ferri debet, quin intellectu illam antea cognouerit.

23 (2) Vt sit summus, ac ueluti centralis, h.e. nulli amori subordinatus, sed, ut creaturarum omnium, ita sui ipsius amore longe maior, et talis, ex quo aliarum rerum amor debito fluat modo, et ad quem iterum redeat.

24 Etenim, qui causa nostri est, seu essentiam nobis ac existentiam largitur, super omnia, et super nos met ipsos amandus est.

25 (3) Vt sit adæquatus, h.e. omnes Dei proprietates, relationes et actiones æque concernens.

26 Qui enim non omnia in Deo amat, Deum, non qualis est, sed qualis fingitur, uel optatur, amat, seu potius amare cupit.

27 (4) Vt sit effectiuus, h.e. cum studio grata quæuis Deo præstandi, eiusue uoluntati sese conformandi, coniunctus.

28 Quippe amare Deum, ut par est, nemo potest, quin pariter et uoluntatem ipsius amet, eiusue iussa obseruet.

29 IV. *Affectiones*, seu adiuncta amoris sunt: (1) Sedulitas, s. diligentia, qua amans Deo amando omnibus modis inferuire et placere studet.

30 (2) Suauitas, seu delectatio, qua homo, Deum amans, intime perfunditur.

31 (3) Satietas, seu *αὐτάρεση*, qua Dei amator in amato hoc bono acquiescit.

32 (4) Perpetuitas, seu constantia, qua propensio in Numen infinitum summumque Bonum perdurat, suaue quid semper amandum in eo deprehendens.

33 V. *Criteria* uero amoris sunt: (1) Debita legum observatio, uopote sine qua amans amato placere nequit.

34 (2) Sedula malorum fuga: mala enim Deo amando sunt aduersa.

35 (3) Iucunda in rebus diuinis delectatio, quippe quae sincerum et impensum amorem semper comitatur.

36 (4) Studiosa gloriae diuinæ amplificatio, ueluti medium ad declarandum amorem aliosue homines incitandos aptum.

37 VI. *Fundamentum*, unde amor hic primus, summus, centralis, hominique ueluti naturalis, demonstrari potest, est natura Dei et hominis.

38 In Deo quidem cognoscimus, eum praestantissimum et summum esse, adeoque summi etiam amoris obiectum adaequatum et proportionatum.

39 Quemadmodum enim amor natura sua non, nisi in bonum, tendit, ita summus etiam amor non, nisi summum bonum, amplecti potest ac debet.

40 Deus etiam fons sine dubio et radix omnis boni est, hocque nomine centrum quoque omnis inclinationis liberaeque in hominibus propensionis, seu amoris, esse debet.

41 Quippe homines demum, seu creaturae rationales, super infinitam et inexhaustam Dei bonitatem reflectere possunt, eoque propensiones suas omnes referre.

42 In hominis uero natura deprehenditur, tum omnimoda eius a Deo dependentia, tum indefinita mentis inclinatio.

43 Nimirum Deus est, cui homo, quicquid est, et quicquid habet, acceptum referre, hocque nomine tantum ei obstrictus esse debet ac obligatus, quantum natura sua patitur, hoc est, summe.

44 Etenim omne beneficium ex natura subordinatorum est obligatorium, cum omnis cuiuscunque rei concessio dirigat eius usum ad uoluntatem concedentis.

45 Qui igitur a tali se liberare uult obligatione, ex natura oppositorum tantum debet retribuere posse, quantum accepit.

46 Nullam uero compensationem homines Deo praestare ualent, cum et omnia in se sufficientissime habeat, et, quicquid boni eidem redditur, ipsius gratia et beneficio obtingat.

47 Superest igitur, ut homo beneficiis, a Deo concessis, ita utatur, quemadmodum ipsi placet, et quicquid ipsi gratum praestare potest, lubens pronusque praestet.

48 Hoc nobis amor est, seu intima mentis propensio, placendique studium, a libera uoluntatis determinatione proueniens.

49 Quippe hunc in finem Deus mentibus libertatem reliquit, ut liberum ei cultum promptumque praestare possint.

50 Talis igitur cultus, quo ardentiori cum amore coniungitur,
60 promptior etiam est et liberior.

51 Hocque demum nomine Deo gratus est, reliquumque cultum corporeum, et externarum rerum obligationes Deo gratas reddit.

52 Graui igitur errore falluntur, qui, cum *Antonio Sirmondo*, Iesuita, amoris diuini consilium, non praeceptum agnoscunt, uel saltem non rigoris praeceptum, sed clementiae, et tale, quod impune liceat negligere.

53 Indefinita autem mentis humanae inclinatio arguit, rerum creaturarum finitarumque nullam esse, cuius fruitione impleri queat.

54 Ergo non alitid, quam infinitum summumque bonum, Deus, est, in quo actuositas mentis acquiescere possit, semper aliquid, quod cupiat anxietue, deprehendens.

55 Et tale etiam bonum mens, debito gaudens lumine, Deum agnoscit, eiusque fruitione, si recte procedit, appetitum suum illimitatum terminare studet.

56 VII. *Obiici* quidem solet (1) inaequalitas amantium, Dei nimirum et hominum, infinitis modis disparium.

57 (2) Defectus amoris in Deo, ut Ente simplicissimo, affectuum motuumque omnium experte.

58 VIII. *Responderi* autem potest ad (1) neque naturae neque perfectionis aequalitatem ad amorem requiri, cum alterius affectum cognoscere, eidemque amore mutuo respondere posse sufficiat.

59 Ad (2) in Deum non proprie quidem, improprie tamen, non formaliter, sed uirtualiter et eminenter, non affectiue, at effectiue, amorem cadere.

60 Scilicet talis quidem impulsus unius cogitationis in alteram haud obtinet, qualis in passionibus creaturarum mentalibus datur.

61 Ob eadem tamen effecta externa idem Numini sanctissimo affectus tribuitur, quemadmodum hoc sensu irasci et odisse dicitur.

62 Adeoque spectat huc Theologorum regula: quae de Deo dicuntur *αὐθροπικὰ ὄντα*, seu locutione imbecillitati humanae accommodata, intelligenda sunt *θεοπεπρωτά*, seu modo natura diuina digno.

63 Est igitur amor in Deo nihil aliud, quam aeterna, immutabilis et inuariata uoluntas ac propensio in id, quod sibi suaeque perfectioni conueniens nouit.

64 Vn-

64 Vnde, pro diuerſitate obiectorum et reſpectuum, uaria fortitur nomina, uti amicitiae, gratiae, miſericordiae, etc.

65 Quid? quod Deus ipſe amor dicit ſolet, quia haec propenſio tam uniuerſalis eſt, ut effectus omnes, qui caeteris paſſionibus tribui ſolent, iuxta eam diſpenſentur.

66 IX. *Oppoſitum* amoris erga Deum eſt odium, inobedientiae poſſiſſimum et inimicitiae, quo homines creatori ſe ſubtrahere, debitumque ei obſequium, uel directe, uel indirecte, denegare audent.

67 Naſcitur autem tale odium ex inordinato ſui amore, ut propenſionum prauarum omnium centro.

68 Hic enim, occupato in hominum animis folio, motibus omnibus dominatur, eosdemque ab eo, quod ſibi contrarium uidetur, abripit.

69 X. *Scriptorum*, huc ſpectantium, praecipui ſunt: (1) Henricus a ſancto Ignatio (2) Weſenfeldius. (3) Lichtſcheidius (4) Saurinus; (5) Malebranchius.

70 XI. *Axiomata* ſunt: (1) Cum ipſae creaturae brutae Deum, ut Plaſten ſuum amare (improprie) dicantur, multo magis homini hoc incumbit officium.

71 (2) Etenim homo et ſummam creatoris perfectionem bonitatemque ſupereminentem intellectu cognoſcere, et libera uoluntatis propenſione amplecti poteſt.

72 (3) Hunc etiam in finem intelligendi potentiam ac uolendi libertatem Deus conceſſit, ut, pro ratione obiectorum cognitorum, inclinationes ſuas determinare poſſit.

73 (4) In ſemetipſo praeterea deprehendit, illimitata mentis deſideria non, niſi Summo hoc Bono, expleri poſſe.

74 (5) Nec ſtabilis ulla eſt felicitas, aut ſalus, niſi diuini amore Numinis ſuffulta.

75 (6) Itaque tanto magis attendendus eſt Dei amor, quo magis intereſt, noſſe, ex quo fonte noſtrae promanent propenſiones.

76 (7) Si enim amor primus et ſummus, primum in mentibus mobile, uitioſus eſt et declinans, in omnes hominum paſſiones actionesque uitioſitas iſta ſe diſfundit et inordinatio.

78 (8)

77 (8) Contra, si primus et summus amor genuinus est ac sincerus, haec pariter sinceritas caeteris sese insinuat moribus.

78 (9) Caveat igitur homo, ne, prava abreptus voluntate, primum amoris centrum sui constituat amorem, huicque Dei amorem subordinet.

79 (10) Hinc enim non, nisi lineae curvae, ductusque perversi, procedent, h. e. pravi corruptique ebullient motus, in dicta et facta erumpentes.

80 (11) Qua quidem labe plurimae Gentilium actiones, uirtutis speciem mentitae, a sanioribus non iniuste notantur.

81 (12) Neque tamen amoris sinceritatem omnem inordinatae quaedam tollunt propensiones, humanae corruptionis foetus.

82 (13) Haec enim tanta est, ut Christianis etiam, supernaturali gratiae influxu adiutis, infirmi quid semper adhaereat.

83 (14) Tantum abest, ut homo solis naturae uiribus Deum summe et perfecte amare possit.

84 (15) Quin potius Philosophia, sui conscia, hominem, sinceri amoris cupidum, a Ratione ad Reuelationem ablegat.

85 (16) Vtpote quae deficientem hic naturam corrigendi, hominesque ad perfectiorem Dei amorem reuocandi, media suggerit.

86 (17) Exhibendo in primis tertium quendam, seu mediatorem, quo interueniente, nostrumque supplente amorem, tum demum accepti Deo gratique sumus.

87 (18) Proinde frustra sunt, ipsamque amoris naturam quodammodo tollere uidentur, qui, hominem, sine ullo ad se respectu, felicitatisue intuitu, Deum amare posse et debere, contendunt.

88 (19) Amandus est Deus summe, h. e. super omnia et super nosmetipsos, amore, quam fieri potest, impensissimo.

89 (20) Amandus tamen etiam est, ut Deus noster, a quo uitam, cumque uita beneficia omnia, habemus.

90 (21) Horum recordatio quo penitus crebriusue mentem subit, eo ardentior etiam amor in creatorem elicitur.

91 (22) Naturale enim est, ut homo, beneficii sensu affectus, amoris etiam motu in benefactorem afficiatur.

92 (23) Neque beneficium, ut par est, aestimat, uel alienae adscribit causae, qui nullo benefactorem amore excipere sustinet.

93 (24) Contra diuinam bonitatem sedulo contemplans, id quoque consequitur, ut Deum propter seipsum amare discat.

94 (25) Diuinae quippe bonitatis excellentia, quam primum ad illam amandam nostrae felicitatis sensu stimulamur, tantis se explicat diuitiis, ut mentem ad uberiorem sui amorem facile rapiat.

95 (26) Praesertim cum ipsa bonitatis uox perfectissimi Ideam Numinis nobis exhibere apta sit.

96 (27) Bonitas enim Dei, absolute spectata, nihil aliud est, quam ipsa Dei perfectio, seu essentia Dei, omnes in se perfectiones complexa.

97 (28) Media igitur hic incedendum est uia, cauteque ac distincte circa tres illas, quas explicuimus, amoris species philosophandum.

98 (29) Ne scilicet, uel omnis appetentiae amor proscribatur, h. e. Deus intuitu felicitatis, ab eo ipso propositae, amari uetetur.

99 (30) Vel homo, si nimium huic amori tribuat, in uitiosam prolabatur Philautiam, non datorem bonorum propter bonitatem, sed bona propter felicitatem, amans.

100 (31) Statuatur amor obedientiae omnium propensionum et actionum fundamentum, eidemque et amicitiae et appetentiae amor subordinetur.

101 (32) Etenim sine hoc amore, amor concupiscentiae uanus est, et sine fructu, amor amicitiae irritus, et sine amore mutuo.

102 (33) Sic amoris sinceri, ueraeque cum Deo amicitiae, indicium est agere, quae Deo placent, eiusque uoluntati uolendo agendoque se submittere.

103 (34) Contra agere, quae Deo displicent, obsequiumue Deo denegare, est Deum odisse, Deique se profiteri inimicum.

104 (35) Proinde, ut omne peccatum, seu legis transgressio, odium inobedientiae inuoluit, ita peccator omnis Dei inimicus haberi debet.

105 (36) Denique igitur amaturus erit peccatum, peccatum euitaturus inordinatum sui supprimat amorem, ut omnis mali, ita superbiae, Deo exosae, fomitem.

MEM-

MEMBRVM II.

DE

SUMMA HOMINIS FELICITATE, QUAE AMOREM ERGA DEVM CONSEQVITVR.

I. *Differentia S. F. et S. B.* II. *Errorres.* III. *Confutatio eorum.* IV. *Sententia vera.* V. *Probatio huius.* VI. *Bona S. F.* VII. *Scriptores.* VIII. *Axiomata.*

Differunt omnino S. F. et S. B. licet confundi inter se uulgo soleant.

2 Nimirum S. F. seu beatitudo, est complexus illorum omnium, quae ex possessione et fruitione S. B. proueniunt.

3 S. uero B. est ultimum illud praestantissimumque bonum, cuius perceptio et communio plenam ac perennem affert satietatem, in qua S. F. seu B. consistit.

4 Vt adeo S. B. sit causa, antecedens, uel subiectum S. F. ipsa autem S. F. effectus, consequens, uel adiunctum.

5 Alias, cum S. B. dicatur ultimus actionum humanarum finis, homo, si S. F. pro fine ultimo haberet, seipsum potius, quam S. B. amare uideretur.

6 Hoc uero quam indignum sit, ea, quae proximo Articulo de inordinato sui amore diximus, declarare possunt.

7 Summa autem Felicitas et summa Beatitudo nobis hic aequipollent, licet aliis ita differre uideantur, ut Felicitas complectatur bona externa et accidentalia, Beatitudo uero interna, seu essentialia.

8 Quippe utriusque generis bona utrumque uocabulum, locutione Latinis recepta, denotare aptum est, saluo hoc bonorum discrimine.

9 II. *Errorres* autem, circa doctrinam de S. B. hic notandi, uel crassiores sunt, uel leuiiores.

10 Crassiores ad quatuor potissimum capita reduci possunt: (1) Eorum, qui, cum Epicuraeis, S. B. in uoluptate statuunt, eam in omni uita summo cum studio sectantes.

11 Dico cum Epicuraeis: an etiam ipse Epicurus infamem hanc sententiam fouerit, dubium omnino est.

12 Quin potius tranquillitatem animi, cum corporis indolentia

coniunctam, per ἡδονήν suam intellexisse uidetur, hocque sensu accipienda fuisset inscriptio hortuli Atheniensis: Hospes hic bene manebis: hic S. B. voluptas est.

13 Sic innoxiam hanc doctrinam uel sectatores Epicuri, Epicuræi dicti, uel Epicuri obrectatores, Stoici, diffamarunt.

14 Quemadmodum Sadducaei, Antigoni, Sochæi, doctrinam de Deo, absque spe præmii aut mercedis amando, male interpretati, in errorem de mortalitate animæ inciderunt, ut supra dictum.

15 Quare Epicurum a crimine isthoc uindicare multi, iique præstantissimi, Philosophi sustinuerunt.

16 Inter ueteres quidem Cicero, Seneca et Laërtius, ex recentioribus autem Picolominaeus, Buchnerus, Meisnerus, Gassendus, Ankiel, le Grand, Rondellus, Amandus, Bonciarius, Queuetus, Menagius, Rappoltus, des Coutieres.

17 Quibus, quasi Epicuro-Mastiges, opponi possunt Diodynus, Epictetus, Lactantius, Egesippus, Ebersbachius.

18 (2) Eorum, qui diuitias pro summo Bono habent, id potissimum agentes, ut, corrahis opibus, caetera uitæ bona, existimationem, potentiam et commoditatem, acquirant.

19 Sunt autem diuitiae, uel naturales, uel artificiales: illae naturæ potissimum beneficio, hae opera hominum et industria obtingunt.

20 De utrisque legi possunt Aristoteles libro I. Politicorum cap. 6. et Cicero libro I. de finibus cap. 13.

21 (3) Eorum, qui honoribus tantum statuunt pretium, ut homini, iisdem potito, S. B. tribuant.

22 Honoris autem nomine non dignitates tantum ueniunt, sed Nobilitas etiam, Fama, Gloria ac Potentia ciuilis.

23 (4) Eorum, qui contemplatiuæ se mancipant uitæ, in studiis rerumque sublimium et eximiarum scientia summum quaerentes Bonum.

24 Et tales Aristoteli audiunt Platonici, qui in idearum contemplatione felicitatem suam posuisse dicuntur.

25 Quamuis, quid idearum nomine intellectum uoluerit Plato, doctores inter se ambigant, notante Zeno graeco.

26 Leuiiores errores eorum sunt, qui, neglecta differentia inter ipsum S. B. ac S. F. siue inter felicitatem absolute et secundum quid summam, in uarias secesserunt opiniones.

27 Harum potiores sunt (1) Eorum, qui cum Seneca tranquillitatem animi, seu immunitatem a pauore, uel bonum, pacatum et imperturbatum animi statum propugnarunt.

28 (2) Eorum, qui cum Pythagoricis assimilationem, unionem, uel amicitiam cum Deo, desiderarunt.

29 (3) Eorum, qui cum Peripateticis operationem uirtutis perfectae in uita perfecta, pro S. B. declararunt.

30 III. *Confutari* autem facile possunt erroneae istae opiniones, dum modo requisita S. B. attendantur.

31 Horum potiora sunt: (1) ut optimam hominis partem, Rationem, perficiat.

32 Cum enim anima, seu Ratio, melior sit corpore, melius etiam debet esse bonum, animum perficiens, eo, quod corpus perficit.

33 (2) Vt hominis animum sola sui possessione, aut fruitione, expleat, seu satiet.

34 Si enim aliud daretur bonum, quo obtento homines demum acquiescerent, non summum foret, seu ultimus finis, ad satiandum aptus.

35 (3) Vt hominem a reliquis creaturis imperfectioribus fecernat, ac singulari eum praestantia, seu nobilitate, donet.

36 Quippe praestantissimum esse debet summum hominis bonum, quemadmodum ipse est creatura praestantissima.

37 (4) Vt hominem nunquam destituat, seu ei perpetuo et constanter adsit.

38 Alias non summum foret Bonum ac perfectum, quod hominem semper tranquillum posset reddere ac beatum, sed aliud quae-rendum esset.

39 (5) Vt cuius homini, serio illud appetenti, obtingat.

40 Etenim frustra foret, tale homini bonum monstrare, quod obtineri non posset.

41 Quae S. B. requisita si rebus supra memoratis applicantur, nihil minus, quam S. B. nomen eas mereri, patefcet.

42 Quid enim aliud est uoluptas, quam res fragilis, caduca, spurca, pecorum bonum.

43 Quare in ciuili etiam iure uoluptates odiosae habentur et suspectae.

44 Exesse iubentur deliciae numero causarum manumittendi seruos.

45 Sumtus uoluptuarii in re aliena facti non restituntur, sed tolli saltem possunt, si citra laesionem prioris status fieri potest.

46 Diuirtiae, fluxae pariter ac instabiles, instrumentum uitae agenda sunt, non ultimus hominum finis.

47 Corpori plus inferuiunt, quam animo, cum summa saepe miseria, infamia, morbis, stultitia, impietate coniunctae.

48 Neque adeo in iure attenduntur hactenus, ut acquirendis dignitatibus solae sufficiant.

49 Honores, alienae potestatis bonum, sollicitudinis plenum, fortunae ludibrio expositum, uanam potius opinionem, quam ueram felicitatem gignunt.

50 Quos penitus cognituro Typotium de Fama, Osorium de gloria, Tiraquellum de Nobilitate, aliosque commendamus.

51 Contemplatiua denique uita doctorum ac sapientum nec animum semper perficit, nec uitam reddit beatam.

52 Praesertim cum Theoreticum sit bonum, multis imperfectionibus obnoxium, inane saepius, et umbraticum.

53 Adeoque recte dictum est, sapientiae studio a rebus gerendis abduci contra officium est, uirtutis enim laus omnis in actione consistit.

54 IV. *Vera igitur Sententia* eorum est, qui Deum pro summo hominis bono nobiscum reputant, utpote cui omnia S. B. requisita perfecte competunt.

55 Hic enim (1) hominis intellectum et uoluntatem, duas animae facultates, perficere potest.

56. (2) Hominis animum, spiritum ad diuinitatis imaginem factum, satiare potest.

57 (3) Hominem a reliquis creaturis, Dei cognitione destitutis, secernit.

58(4)

58 (4) Hominem nunquam, ne quidem in morte, destituit, intuitu aeternitatis suae.

59 (5) Homini cuius, serio hoc bonum expetenti, sese exhibet, cum, neminem, pro bonitate sua, infelicem aut miserum esse, uelit.

60 Ideo Deus, ut ultimus actionum moralium finis, et unicus felicitatis humanae fons, in Ethica omnino proponi debet.

61 Nec obstat, quod Deus neque in Ethica doceri, neque in uita perfecte obtineri posse dicatur.

62 Nam Ethica Dei quidem cognitionem ex instituto tradere, haud tenetur, sed eam ex Theologia naturali praesupponere potest.

63 Id tamen agit, uel saltem agere debet, ut hominem, Dei, S. B. cognitione instructum, ad summam felicitatem, a Deo obtinendam, ducat.

64 Manet etiam Deus in se summum et perfectum Bonum, licet in hac uita perfecte obtineri nequeat.

65 Sufficiat homini, maximo, quo potest, studio ad S. hoc B. contendere, felicitatisque, inde promanantis, quantam huius uitae ratio capit, potiri.

66. Intelligi nimirum debet S. F. intra hos limites: quantam uita mortalis capit.

67 Id est, talis hominis status, in quo ei quam optime sit, quantum liceat, seu in quo bonorum necessariorum quam plurimum, malorum quorumuis quam minimum adsit.

68 Ita ut suauiter, tranquille et permanenter degatur uita, in quantum loci, rerum, hominumque conditio fert.

69 Quemadmodum enim, Tullii effato, mercatura quae stuosa et aratio fructuosa dicitur, non si altera omni damno, altera omnis tempestatis calamitate semper uacat, sed si multo maiore ex parte, in utraque extet felicitas.

70 Sic beata dici potest uita, non solum, si undique referta bonis est, sed si multo maiore ex parte bona propendent.

71 Summa igitur hic uocatur felicitas, non absolute, et simpliciter talis, sed secundum quid, et in certo genere, pro huius nimirum uitae ratione.

72 Vnde id rursus colligi debet, quod articulo proximo monuimus: naturales hominum uires neutiquam hic sufficere, sed Philosophiae Theologiam succurrere.

73 Haec quippe, mediatorem *θεάνθρωπον*, uera fide apprehendendum, proponens, et amorem longe perfectiorem, et felicitatem multo certiore, assequi docet.

74 Praesertim, quantum ad futuram attinet felicitatem, in beatifica Dei uisione, corporisque, aliquando resurrecturi, glorificatione consistentem.

75 Hanc quippe Ratio, sibi relicta, ignorat; quamuis animae immortalitatem argumentis admodum probabilibus, non tamen apodicticis, et immoram plane certitudinem afferentibus, demonstrare possit.

76 Quare falluntur Naturalistae, qui, non tantum ex Ratione naturali hanc beatitudinem cognosci, sed solius etiam naturae uiribus obtineri posse, somniant.

77 V. *Probatio* autem sententiae nostrae de Deo, pro S. B. unice agnoscendo, huc potissimum redit:

78 Homo, amore, proxime explicato, Deum amans, mutuum Dei amorem consequitur, eoque ipso summam, quanta in eum cadit, felicitatem, seu beatitudinem.

79 Est enim amor medium illud, quo summum hoc Bonum, Deum, obtinere, eoque obtento, ut summe felices, acquiescere possumus.

80 Declarant hoc uberrime Numinis diuini attributa, Perfectio et Bonitas.

81 Haec sane non patiuntur, ut Deus hominem, a quo summe amatur, redamare, et redamando beare, uel non posset, uel non uellet.

82 Quomodo enim bonus foret, summeque bonus, qui sincerum, quo se amari intelligit, amorem, amore mutuo rependere nolle?

83 Quomodo perfectus summeque perfectus, qui creaturam, quam amat, beare non posset?

84 Annon, quae Deo tribuuntur, summae debent esse perfectionis, ob perfectissimam pariter ac simplicissimam Dei essentiam?

85 Sum-

85 Summus igitur amor Dei est, hoc est, summa et immutabilis diuinæ uoluntatis erga rem amatam propensio.

86 Summus autem Dei amor est ipse Deus amans, seu homini amanti optime cupiens.

87 At Deus Summum est Bonum, quin ipsa beatitudo: qui ergo fieri potest, ut hominem, quem amat, summe beare, aut non possit, aut non uellet?

88 Accedit, quod Deus naturæ intelligenti desiderium felicitatis commensuratae, firmæ, ac semper duraturæ, iniecit.

89 Quæ felicitas cum nullibi, nisi in Deo ipso, inueniatur, homo, id intelligens, naturali eo inclinatione fertur.

90 Obtineri autem nequit felicitas, nisi a Deo, summe amato, summeque redamante.

91 Ergo non potest non Deus hanc uersus se inclinationem explere, cupitamque homini felicitatem impertiri.

92 Sicque Deus non modo passiuum uocari potest bonum, quatenus ab hominis uoluntate ueluti recipitur, sed actiuum quoque, cum hominem amantem et ipse redamet.

93 *En ἀναγκαστικῶς*: (1) Deus, pro bonitate sua, hominem, creaturarum mundanarum nobilissimam, magis et magis perfici, summeque beatum fieri, uult, adeoque nec mutuum ei amorem denegare potest.

94 (2) Deus, pro sapientia sua, hominis animo quandam erga se, ut summum bonum, propensionem naturalem indidit, adeoque nec mutuo eum amore, uelut effectui, frustrari potest.

95 (3) Deus, pro iustitia sua, hominem probum, seu Dei amantem, præmiis afficit, adeoque nec mutuo eum amore, ut dono optimo, priuare potest.

96 (4) Deus, pro perfectione sua, hominem, Dei amantem, mutuoque dignum amore, summæ felicitatis expertem relinquere nequit, adeoque nec amorem mutuum summa felicitate incommittum esse sinere potest.

97 VI. *Bona*, quæ S. F. ex amore Dei proueniens, complectitur, uel essentialia sunt, uel accidentalia.

98 Essentialia, quae amorem Dei semper sequuntur, sunt potissimum sapientia, tranquillitas, praestantia, dignitas, amicitia, seu unio cum Deo.

99 Sapientia est rerum praestantissimarum, diuinae praesertim voluntatis, intima et recta perceptio, seu cognitio.

100 Obtinetur autem eo, quod Deus, iuxta primum S. B. requisitum, meliores hominis facultates, intellectum et uoluntatem, perficit, nobilissimaque adeo cognitione eum imbuunt.

101 Tranquillitas illam mentis humanae conditionem designat, qua homo quietus semper, liber et aequabilis est.

102 Oritur autem inde, quod Deus, iuxta requisitum secundum, hominis animum satiat, h. e. laetum, sua sorte contentum, immotum, constantem et aequabilem reddit.

103 Praestantia, seu dignitas est, qua homo, Dei amans, non tantum, super reliquarum creaturarum sortem euehitur, sed hominum quoque uulgo praefertur.

104 Nascitur eo, quod Deus, dum hominis summum Bonum fit, eum, iuxta tertium requisitum, a reliquis creaturis fecernit, dignumque reddit, ac praestantem.

105 Dignum scilicet, cui ob amabilitatem amor, ob probitatem honor, ob praestantiam reuerentia, ob sapientiam imperium, laus, admiratio et gloria exhibetur.

106 Amicitia, seu unio cum Deo, in perpetua Dei beneuolentia, patefactione sui et communicatione in animis hominum consistit.

107 Nititur eo, quod Deus, iuxta quartum et quintum requisitum, homini amanti obtingit, eique perpetuo adest.

108 Accidentalibus bona, quae, citra amoris Dei ueraeque felicitatis iacturam, abesse possunt, uaria sunt, e. g. dexteritas, peritia, sanitas, diuitiae, honores, amici.

109 Haec enim ex amore Dei immediate non fluunt, neque adeo hominis probi, Deumque amantis, propria sunt.

110 Neque etiam perpetuo durant, firmamque homini felicitatem afferunt.

111 Quin potius Dei amator absque illis contentus, tranquillus et felix manere potest.

112 VII.

112 VII. *Scriptores*, quorum lectio in penitiorem nobilissimi huius argumenti cognitionem deducere potest, uaria sunt.

113 Alii enim de S. B. historicam consignarunt tractationem, uti (1) Deutsehmanus. (2) Simonis. (3) Graumüllerus. (4) Klausingius, et anonymus.

114 Alii, uulgari Peripateticorum methodo, de illo commentati sunt, ut (1) Heiderus, (2) Müllerus, (3) Boeclerus etc.

115 Alii tranquillitatem pro S. B. tradiderunt, ut (1) Morus (2) Thomafius (3) Scriptor anonymus.

116 Alii Deum pro S. B. agnoscendum, docuerunt, uti (1) de Raconis (2) du Hamel (3) Placcius (4) Buddeus (5) Gundlingius etc.

117 VIII. *Axiomata* sunt: (1) Disquisitio de S. B. ac summa, quae inde prouenit, felicitate, maxima ad omnem uitam momenta afferre potest.

118 (2) Est enim finis ultimus, quo omnia bene uiuendi recteque agendi consilia referenda sunt.

119 (3) Prout igitur quisque de fine suo ultimo statuerit, ita sua quoque desideria, uota, consilia et facta comparabit.

120 (4) Quippe finis dat modum et mensuram medijs.

121 (5) Ideo sapiens et stultus hoc etiam inter se distant, quod illius actiones ad certum quendam ac summum colliment finem, huius uita temeraria sit ac uaga.

122 (6) Ut uero sua hominem quemque trahit uoluptas, suaque cuius est sententia, ita maxima circa S. B. est dissensio.

123 (7) Quippe plerique, post habita creatoris cognitione, ex affectu magis genioque suo, quam rectae rationis iudicio, S. B. aestimant.

124 (8) Quare nil mirum, quod Augustinus trecentas fere de eo opiniones ex Varrone referat.

125 (9) Equidem crassos circa illud errores sanior quisque ac probior maximopere detestatur.

126 (10) Nec Doctor Ecclesiae est, aut Academiae, qui non auditoribus suis inculcet, S. B. in uoluptate, diuitiis ac honoribus neutiquam consistere.

127 (11) At dolendum maxime est, hominum praxin, ut in Ecclesiis *οὐδοξω[α]ται*, ita in summis etiam Scholis, Principum Aulis, dogmati huic repugnare.

128 (12) Quotus enim quisque, si non uoluptate, saltem dignitate, auctoritate et opulentia studia sua non metitur?

129 (13) Quis honoribus, cum aliarum quoque rerum iactura, inhiare, non honestum ducit ac gloriosum?

130 (14) Cauemus igitur, ne, dum, S. B. Deum esse, profiteamur, alienum quid curemus quaeramusque.

131 (15) Nec aliter, quam amore sincero S. hoc B. summamque cum eo felicitatem obtineri posse, putemus.

132 (16) Si amor noster erga Deum ascendit, Dei amor in nos descendit.

133 (17) Vt speculum fixe intuentis faciem reddit, sic Deus pro amore amorem mutuum tribuit.

134 (18) Quid autem ad ueri nominis felicitatem deesse possit illi, quem Deus amat?

135 (19) Quid desiderare possit, quem Deus amore, quanto creaturam, ad imaginem sui conditam, complecti potest, maximo prosequitur?

136 (20) Quid ab illo amore non expectet, quod dare potest omnipotens, quod dare uult optimus?

137 (21) Stolidus foret, qui, splendente solis lumine, terrestrem accendere uellet faculam.

SECTIO IV.

DE RATIONE, VT MEDIO VOLUNTATEM DEI COGNOSCENDI.

Voluntas Dei, quam homo, Deum amaturus, sequi tenetur, uel praescripta est, quae lege positiua declaratur, uel inscripta, quae lege naturali decernitur. Illius cognoscendae amplectendaeque medium est Reuelatio, huius Ratio. Haec igitur explicanda nobis est, tum genera-

neratim, secundum naturam suam ac proprietates, tum
sigillatim, quoad usum.

MEMBRUM I.

DE

RATIONE, GENERATIM CONSIDERATA.

I. *Acceptio nominis.* II. *Definitio.* III. *Existentia.* IV. *Subiectum.* V. *Affectiones.* VI. *Adiuncta.* VII. *Controversiae circa eam.* VIII. *Scriptores.* IX. *Axiomata.*

I I.

Nomen *Rationis* bifariam potissimum accipitur, (1) subiective
(2) obiective.

1 Subiective, uel generaliter, seu totaliter, pro utraque animæ
rationalis facultate, intellectu et uoluntate, uel specialiter, seu par-
tialiter, pro intellectu tantum, uel specialissime, pro facultate intel-
lectus.

3 Obiective, pro principiis *Rationis*, seu axiomatibus, quorum
ueritas in dubium uocari non debet, siue ea innata sint, siue ab obiectis
externis, naturali tamen intellectus facultate, petita.

4 Adeoque rationale etiam uarie accipitur, nimirum, uel pro
eo, quod ad mentis essentiam pertinet, uel pro notionibus, uel pro
ratiocinationibus, etc.

5 Hoc loco *Ratio* subiective ac specialissime accipitur pro intel-
lectus facultate, intellectui, nostro concipiendi modo, contradi-
stincta.

6 *Iuris Naturalis* et *Rationis* nomina synonymice accipi-
untur, quia *Rationis* ope *Ius Naturae* cognoscitur.

7 Vnde, insignia etiam sortitur elogia, ut dicatur actionum hu-
manarum directrix, ueritatis et honestatis dux etc.

8 II. *Definiri* autem potest per facultatem *κρίσιν*, seu diiudicatri-
cem, qua homo de rebus quibuscumque, animo sese ingerentibus, prout
illas apprehendit, ac accepit, ex certis principiis ita diiudicare pot-
est, ut uerum a falso, bonum a malo discernat, discretaque eligat,
uel reiiciat.

9 Dicitur facultas *κρίσιν*, quia super rerum perceptiones, forma-
tosque de earum natura conceptus, distincte et cum iudicio re-
flectitur.

M 3

10 Certis nimirum adhibitis principiis, tum formalibus, et universalibus, tum materialibus, et particularibus.

11 Postquam intellectus, stricte, seu *μετὰ τὸν*, dictus, res apprehendit et cognouit, h. e. ideas de rebus concepit, easque, memoria asseruatās, Rationis operationi subiicit.

12 Quo ipso intellectui contra distinguitur, siue late hic sumatur, pro ipsa mente, siue stricte, pro simplici mentis operatione.

13 Quamuis, ut supra diximus, omnes animae humanae facultates, non realiter, sed formaliter tantum differant, h. e. nostro concipiendi modo, pro diuersitate muneris et operationis.

14. Rationis officium, in definitione expressum, est, ut uerum a falso, bonum a malo, discernat, alterumque eligere, alterum reuocare praecipiat.

15 Quo respectu recta dici solet, aut sana, non distinctiua tamen locutione, quasi Ratio in rectam, uel sanam, et corruptam, seu aegram, distingui possit, sed expressiua, ad significandam Rationis essentiam.

16 Quippe Ratio, in se et abstractiue spectata, non potest non recta esse, et Rationem esse, neque tamen rectam esse, contradictionem inuoluit, idemque foret, ac si Rationem non-Rationem dicere quis uellet.

17 Bonitas enim transcendentalis, seu essentialis, hoc inuoluit, ut quaelibet res id habeat, quod ad esse suum requiritur.

18 Et Creatoris donum in sua essentia non, nisi bonum, et ualde bonum, esse potest.

19 Quare nec Reuelationi, Dei itidem dono, absolute repugnare dici potest, ut frustra statuerunt Hoffmannus, Schillingius, Schraderus, Baelius, alique.

20 Concretiue autem considerata Ratio hactenus corrupta dici potest, quatenus homo, neglecto Rationis ductu, pessimis erroribus prauisque propensionibus sese corrumpi, patitur.

21 Sic Ratio, in se bona, ex accidenti fit mala, quaeque optimum Dei donum est, in pessimum humanae malitiae abit instrumentum.

22 III. *Existencia* autem Rationis, in se rectae, demonstrari potest (1) a causa eius efficiente, Deo nimirum, creatore maximo. 23

23 Hic enim, pro perfectione sua, ac bonitate, Rationem aliter, ac rectam et bonam, creare nec potuisse nec uoluisse credendus est.

24 (2) A forma eius essentiali, quae non, nisi rectitudo in cognoscendis diiudicandisque rerum naturis, esse potest.

25 Quae cum Rationis essentiam ingrediatur, necessario Rationi asserenda est, nisi, ut supra monuimus, Rationem non-Rationem dicere uelimus.

26 (3) Ab effectis, quae Ratio, tum in disciplinis, tum in actionibus uitae, exerit.

27 Etenim pleraque Philosophiae et Iuris Prudentiae principia, ex recta Ratione deducuntur, morumque honestas illius dictamine constat.

28 Vt adeo recte homini connata quaedam tribuantur principia, quibus intellectus, per potentiam suam intellectiuam, de agendis omittendisque iudicare ualet.

29 IV. *Subiectum* igitur, cui Ratio inest, solus est homo, cui et intelligendo iudicandoque rerum naturam assequi, et uolendo, aut nolendo, sese determinare posse, diuinitus contigit.

30 Quamuis enim Deus, aequae ac spiritus creati, intelligere et iudicare dicantur, tamen, stricte et accurate loquendo, non tam Ratio ipsis tribuitur, quam intellectus, unde etiam non rationales, sed intellectuales substantiae uocantur.

31 Alias quidem Ratio in Deo dicitur lex Dei aeterna, mensura illa, summaue Ratio, in mento diuina ab aeterno concepta, de modo regendi mundum et dirigendi omnes creaturarum actus.

32 Excluduntur igitur bruta, quibus intelligendi iudicandisque potentia tam parum competit, quam uolendi nolendique libertas.

33 Adeoque frustra sunt, qui cum Valla, Campanella, Rorario, Aruerni, Gassendo, Hugone de Roy, Sonnero, aliisque Rationem, saltem analogam, brutis tribuunt.

34 Nec uirtutum ac uitiorum simulacra, in belluis conspicua, argumento esse possunt, cum a sensuum, non Rationis operatione proueniant.

35 Nec Vlpiana Iuris Naturalis definitio pr. I. de I. N. G. et G. et

L. 1. §. 3. ff. de l. et l. item conficit, cum Stoicam de anima uniuersali sententiam redolet, et contraria l. 1. §. 3. ff. si quadrupes, refelli possit.

36 Nec brutorum, in grauioribus delictis adhibitorum, occisio id, quod probandum est, probat, cum non poenam, proprie dictam, sed omnimodam criminis abolitionem, pro fine habeat.

37 V. *Affectiones*, seu proprietates Rationis sunt: (1) Rem in sua natura cognoscere, hoc est, perspicere indolem et dispositionem rerum, quam ipsis indidit Numen, cum respectu ad naturalem ipsarum finem.

38 (2) Res nominare, h. e. de natura rei cognitae conceptum exprimere.

39 (3) Res secundum naturam suam comparare, adeoque numerare, ponderare, metiri.

40 (4) Res ordinare, seu plura iuxta se inuicem disponere.

41 (5) Res omnes, humano imperio subiectas, ad debitos suos fines dirigere.

42 (6) Res prospicere, seu euentus, ex certa causarum dispositione futuros, cognoscere.

43 VI. *Adiuncta* sunt (1) Procliuitas ad errandum, ex connexione cum reliquis mentis humanae facultatibus proueniens.

44 Hae quippe plurimis infirmitatibus sunt obnoxiae.

45 (2) Insufficiencia ad Deum, uerum ac summum Bonum, perfecte ac salutariter agnoscendum et amandum.

46 Ignorat enim ueri erga Deum amoris fundamentum, Meditorem, fide saluifica amplectendum.

47 (3) Ineptitudo ad demonstranda ac diiudicanda ex suis principiis Christianae Religionis capita.

48 Haec quippe speciali Dei reuelatione nituntur, nec, nisi ab hominibus, superiori quodam lumine collustratis, salutariter intelligi possunt.

49 VII. *Controversiae* insigniores, circa Rationem inter eruditos agitari solitae, sunt (1) An lumen Rationis et ipsa Ratio sint distincta?

50 Aiunt hoc illi, qui nimiam cum Scholasticis distinctionum subtilitatem affectant.

51 (2)

51 (2) An Ratio iudicare possit ex principiis innatis, an uero omnis cognitio a sensatione et experientia sit petenda.

52 Prior est sententia, antiquitus recepta, posteriori recentiores potissimum ad stipulantur, ut Gundlingius, Rüdigerus, alique.

53 (3) An Ratio et Fides sibi inuicem possint opponi, seu inter se pugnent.

54 (4) Hanc quaestionem Cartesiani, Lockius et Poiretus inter se disceptarunt, de qua iudicium suum peculiari tractatu exposuit laegerus.

55 VIII. *Scriptoribus*, huc referendis, accenseri possunt (1) Musaeus (2) VVitius (3) Antonius (4) Löffcherus, (5) Huertius, (6) Macius, (7) Pritius.

56 IX. *Axiomata* sunt: (1) Equidem Ratio commune intelligendi principium est, quod omnes homines secum circumferunt, quodque sequi se, omnes gloriantur.

57 (2) At dolendum maxime est, plerosque, quid ea sit, ignorare, paucos, quomodo utenda sit, curare.

58 (3) Quippe, omnium aliarum rerum curiosi, sui quam maxime ignari uiuunt atque exules.

59 (4) Et, aliis nimium noti, sibi met ipsis moriuntur ignoti.

60 (5) Ut adeo homini, quid homo sit, et Rationi, quid Ratio, potissimum inculcari debeat.

61 (6) Nec tamen leuis in naturam iniuria est, tam pretiosum eius depositum ignorare studio, aut negligere.

62 (7) Ratio enim ea animae humanae est forma, qua a caeteris animantibus discernitur, hisque felicius euadit.

63 (8) Est illustre hominis insigne, et tantum non unicum bonum, quo sanctius euadit animal et diuinius.

64 (9) Est uitae humanae directrix, qua neglecta, homo de semita recta per asperas incertasque aberrat salebras, donec in praeeptum feratur.

65 (10) Hoc est, apprehendit falsum pro uero, et malum pro bono.

66 (11) Adeoque Rationis neglectus humanae deprauationis fons merito statuitur.

67 (12) Contra, Ratio, recte adhibita, humanae perfectionis ac sapientiae parens haberi potest ac conseruatrice.

68 (13) Quare Philosophiam non inepte dixeris habitum iuxta rectam Rationem iudicandi et statuendi de iis, quae ad uitam hanc, honeste, iuste ac prudenter instituendam, faciunt.

69 (14) Quippe Rationis beneficio et naturam rerum cognoscimus, et rebus, humano dominio subiectis, imperamus.

70 (15) Nec rectum de rebus iudicium est, nisi quod naturae rerum, a Ratione cognitae, respondet.

71 (16) Clarius: Ratio res omnes ad naturalem debitumque finem, a Creatore praestitutum, accommodare docet.

72 (17) Hoc ipso actiones nostrae ab actionibus brutorum, sensuali apprehensioni inhaerentium, discernuntur.

73 (18) Ergo intemperantia, omnisque libido, brutalis est, carnalem tantum appetitum sequens.

74 (19) Imo brutalis est actio omnis, quae naturae rerum, a Ratione cognoscendae, repugnat.

75 (20) Puta, si homo non Dei gloriam ueramque suam salutem, sed cupiditatis indulgentiam quaerit.

76 (21) Quare recte agendi cupidus rerum agendarum naturam, cum Antonino, Philosopho, rite consideret.

77 (22) Quantaunque uero praestantia Rationi asserenda, tanta tamen non est, ut Reuelationi aequiparari, nedum praeferri possit.

78 (23) Neque etiam Ratio Reuelationi, Fanatico quodam modo, plane subiicienda censeretur debet.

79 (24) Sed utriusque limites sollicite ponendi, debiteque regendi sunt.

80 (25) Non omnia, quae Reuelatio proponit, ui sua penetrare ualet Ratio.

81 (26) Hinc apparens subinde pugna (ἐναντίοφάνασις) oritur.

82 (27) Quae autem, rebus diuerso respectu consideratis, examinisque uerae contradictionis requisitis, statim expirat.

83 (28) Praesertim ubi ad independentem et infinitam Dei potentiam recurritur.

84 (29) Absit igitur, ut, Scripturae sensum sola Ratione eruendum, resque fidei eadem metiendas esse, statuamus:

85 (30) Sic enim Ratio omnium ueritatum iudex et effectrix, adeoque quoddam ueluti idolum, constitueretur.

86 (31) Deus, ut boni omnis, ita ueri, summus autor est, iudex ac uindex unicus.

87 (32) Hinc ita hominem condidit, ut ueritates, per omnia eius opera diffusas, largiterque satas, sollicitè inquirere, submisse diiudicare, distincteque recipere possit, ac debeat.

88 (33) Medium concessit Rationem, quae ueritates, non actiue inuenit, sed passiuè admittit, non autoritatiue iudicat, sed approbatiue exhibet.

89 (34) Non magistratam se gerere debet, sed discipulam, dato sibi lumine obsequiose utentem.

90 (35) Orandus modo, cum Iamblichò, Chalcedonensi, Deus est, ut Rationis usum sua prouehat ope et gratia.

91 (36) Sine hac enim uis eius torpet, omnis hebescitacies.

92 (37) Et arduum omnino est, tot eluctari mala, quae Rationem intus forisque premunt.

93 (38) Maximum inprimis studiosae iuuentuti detrimentum affert nimia propriae Rationis fiducia.

94 (39) Hinc quippe nascitur in iudicando moliendoque temeritas, in praeiudiciis propriisque opinionibus tenacitas, in omni uita morum perversitas.

95 (40) Utamur ergo Ratione, quemadmodum decet, si, ut habentibus amplius quid detur, uolumus.

MEMBRUM II.

DE

VSV RATIONIS.

I. *Requisita.* II. *Adminicula.* III. *Cautelae.* IV. *Effectus.* V. *Axiomata.*

I I.

Requirit debitus Rationis usus (1) ut Ratio, circa omnes uitae humanae actus, diligenti meditatione et auscultatione consultetur.

N 2

2 Ne-

2 Nemo enim Rationis dictata sequi et rationaliter uiuere potest, nisi, quid ea dictiter, percipere studeat.

3 Sicuti doctrinam et eruditionem nemo assequetur, quamdiu Doctores consulere et audire detrectat.

4 (2) Vt bonum, a Ratione cognitum, promte agatur, malum o-mittatur.

5 Nam sine prompta boni cogniti actione, et mali intermissione, Rationis consultatio nulla est.

6 Et facile quicquam interuenit, quod mentem et uoluntatem a Rationis obsequio abripere potest.

7 (3) Vt actiones accurate ad Rationis iussum conformentur, omnisque adeo defectus et excessus euitetur.

8 Actio enim, uel minimum ab eo, quod Ratio, ex legis praescripto, agendum esse, dicit, deflectens, non amplius bona est, sed mala euadit.

9 Sic correctrice opus est iustitia, ne quid plus minusue, quam par est, agatur, uel o-mittatur.

10 (4) Vt ideo bonum agatur, et malum o-mittatur, quia Ratio, legi diuinae attendens, agere, uel o-mittere iubet.

11 Quippe ad amorem Dei, quicquid agimus o-mittimusue, primario referendum est.

12 Sin proprium praecipue bonum, gloriam, uoluptatem fortunamque, spectamus, non rationali, sed brutali modo agimus.

13 II. *Adminicula* sunt (1) Crebra repetitio eorum, in quibus clare et liquido ueritas affulsit.

14 Haec consultationem Rationis ac meditationem mirum in modum iuuat.

15 Sic enim familiaris quasi consuetudo cum Ratione contrahitur, et facilius ad alias res ignotiores intelligendas paratur uia.

16 Quippe, ut disciplinarum, ita ueritatum omnium, quoddam ueluti encyclion (ἐγκύκλιον) dari uidetur.

17 (2) Libertatis, praestantissimi hominum characteris, consideratio.

18 Huius studium cum natura sit insitum, nemo turpiter eam prodere uelle ac perdere praesumitur.

19 Quod autem fieri, necesse est, si affectibus, aut aliis rebus, succumbentes, Rationis dictata omittimus.

20 Haec igitur consideratio promptum Rationis obsequium elicere omnino ualet.

21 (3) Naturae rerum, ueluti in numero et puncto consistentis, contemplatio.

22 Nimirum, si numero ternario aliquid additur, uel demitur, non ternarius manet, sed ternario maior, minorue euadit.

23 Pariter, si puncto uel minimus accedit tractus, non amplius punctum est, sed saltem lineae initium.

24 Ita uirtus temperantiae manere nequit, si plus minusue edatur, aut bibatur, quam corporis sustentandi causa edendum bibendumque esse, Ratio dictitat.

25 Hoc recte perpendens actiones suas accurate Rationis praescripto metietur, omnemque, tam excessum, quam defectum, euitare studebit.

26 (4) Sui cognitio, quae, imbecillam ac miserum esse hominem, adeoque, quicquid boni et felicitatis habeat, Deo acceptum referre, docet.

27 Frustra igitur est, qui, post habito Dei amore, de se tantum suisque laborat.

28 Contra ad amorem Dei omnia referens a mutuo Dei amore omnia expectare potest.

29 Hoc stante, quis creaturam, nihil ualentem, prae creatore omnipotente amare uellet.

30 III. *Cautelae*, hic obseruandae, sunt: (1) Cauendum, ne praecurdiis, exemplis, consuetudinibus, sensuumque irritamentis attendamus.

31 Haec enim mentem a debita Rationis consultatione auocant, usumque ipsius impediunt, ut infra ostendemus.

32 (2) Cauendum, ne, alienis intenti contemplationibus, nostri inspectionem negligamus.

33 Alioquin nec Rationem discernere, nec dictata ipsius perficere datur.

34 (3) Cauendum, ne motu quodam uehementiori, ut ira, odio, ebrietate, libidine, tristitia etc. mentem de statu suo deliciamus.

35 Sic enim, destructa aut labefactata ratiocinandi facultate, ipsius Rationis usus debilitatur et corrumpitur.

36 IV. *Effectus*, ex debito Rationis usu prouenientes, sunt (1) Sapientia, seu intimior perfectiorque naturae rerum cognitio, ex studiosa Rationis auscultatione enata.

37 Quippe, qui Rationi semper et ubiuis attendere studet, non potest non salutaria eius dictata percipere.

38 Hoc autem est Sapere, quemadmodum Sapientia non inepte recta dictaminum Rationis perceptio dici posset.

39 Plenius definiri potest per rerum diuinarum et humanarum, praesertim quae finem et officium hominis spectant, scientiam.

40 Non enim quarumlibet rerum cognitio sapientiae nomen meretur, sed ea potissimum, quae rationalem, qualis hominum esse debet, uitam concernit.

41 Neque adeo speculatiua tantum sapientia, quae scientiae nomine alias uenit, sed practica etiam, prudentia dici solita, hic intelligitur.

42 Vtramque enim generale sapientiae nomen complecti, eruditi norunt.

43 Quo sensu sapientia rerum omnium moderatrix, in hominis cultu occupata, quin totius hominis custos et procuratrix Cicero ni dicitur.

44 Pariter uir sapiens idem ac iustus, bonus ac probus ueteribus, Senecae potissimum ac Stoicis, fuit.

45 Et P. Appio eximia Iuris scientia Iustitiaeque cura Sapientis cognomen apud Romanos peperit.

46 Vera igitur Sapientia est, qua homo secundum Rationem et sentit et agit, seu huic omnia conformat.

47 Vt stultitia est aliter, ac Ratio suggerit, sentire et agere, seu huic aduersum tenere.

48 (2) Rectitudo, seu bonitas moralis, h. e. dictorum factorumque omnium cum uoluntate diuina conuenientia.

49 Qui

49 Qui enim Rationis dictata sequitur, Rationaliter uiuit.

50 Rationaliter uiuere est naturae rerum; prout Ratio docet, conformiter agere.

51 Qui ita agit, naturales diuinitusque ordinatos obseruat fines.

52 Haec Dei, Optimi Creatoris, est uoluntas, per ipsam Rationem, ideo concessam, innotescens.

53 Quippe frustra conditus esset homo creatura rationalis, nisi rationaliter uiuere deberet.

54 Frustra quid condere Dei, Conditoris, sapientiae repugnat.

55 Ergo in recto Rationis usu hominum sita est rectitudo ac integritas.

56 (3) Dignitas, seu praestantia hominis prae caeteris creaturis omnibus.

57 Illustrem illum characterem, quo homo ad ipsam quodammodo diuinitatem accederet, Rationem esse, diximus.

58 Hac igitur qui recte utitur, non potest non caeteras creaturas omnes, Ratione destitutas, antecellere.

59 Quin ipsos inter homines, prout unus altero est sapientior, h. e. Ratione melius utitur, dignus etiam prae altero haberi debet.

60 Dignus, cui propter bonitatem amor, propter sapientiam honor, propter rectitudinem laus exhibeatur.

61 Dignus, cuius amicitia, societas, doctrina, imperium ab omnibus expetatur.

62 V. *Axiomata* sunt: (1) Qui debiliori uisu laborant, obiectum remotius aut obscurius, quod cognoscere auent, non leuiter adspiciunt, sed, adhibita etiam face, propius diu diligenterque intuentur.

63 (2) Sic, qui, animo multis imbecillitatibus laborante, res, morales potissimum ac practicas, nosse cupiunt, attenta, diuturna neque intermissa opus habent meditatione.

64 (3) Huius et necessitas et utilitas tanta omnino est, ut meditatio non immerito ueteribus omnia (μελέτη τοῦ πάν) efficere posse uisa sit.

65 (4) Praelertim, si rerum, iam perceptarum cognitarumque, crebra accedat repetitio.

66 (5) Vtpote quae omnium scientiarum et artium inueniendarum augendarumque medium haberi potest.

67 (6)

67 (6) Recte autem meditaturus, sensationes omnes uehementiores sedulo euitet.

68 (7) Quippe, perturbata his Ratione, nec rectum, nec uerum cernere datur.

69 (8) Cogitet inprimis, quid, Rationi obsequium denegando, ac libidini prauisque propensionibus seruiendo, perdat.

70 (9) Ingenuam puto libertatem, bonorum omnium praestantissimum.

71 (10) Nimirum ea demum uera libertas est, Rationi, diuinae uoluntatis dictatrici, parere.

72 (11) Quemadmodum digna habetur uox maiestate regnantis, legibus alligarum se profiteri principem.

SECTIO V.

DE

MALIS, RATIONIS, RECTE VTENDAE, OBSTACVLIS.

Mala, debitum Rationis usum impediencia, sunt partim morbi Intellectus, partim morbi Voluntatis.

MEMBRVM I

DE

MORBIS INTELLECTVS

I. *Ratio tractationis.* II. *Species.* III. *Causae generales.* IV. *Causae speciales.* V. *Antidota.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.*

I I.

Ratio tractationis, hic instituendae, est, quia ex morbis intellectus uoluntatis morbi nascuntur, nutriuntur et augentur.

2 Nam, prout quis sano pollet intellectu, h. e. res distincte percipere uereque diiudicare potest, sana etiam gaudebit uoluntate.

3 II. *Species* morborum intellectus iuxta tres eiusdem operationes considerari possunt.

4 Nimirum circa primam occurrunt ignorantia, obscuritas et confusio, inadaequata perceptio, apprehensio falsa, et f.

5 Circa secundam error iudiciorum, tum in qualitate, tum in quantitate, dubitatio, praecipitantia, et f. 6 Cir-

6 Circa tertiam, fallaciae, unde maxima in vitam humanam redundant incommoda.

7 Addunt morbis his alii plures, uti fatuitatem, insaniam, furorem, absurditatem, stultitiam, inaduertentiam, credulitatem, supercilionem, e. l.

8 Alii contra ad duo tantum genera omnes referunt, ad ignorantiam et errorem.

9 Quorum naturam cum supra maxima ex parte explicauerimus, eo nos referre possumus.

10 III. *Causae generales* morborum, quibus cum intellectus conficiatur, sunt communis hominum corruptio, puerilis adolescentiae, educatio, et proterua culturae mentis neglectio.

11 Hinc enim, ueluti e fonte corrupto et putido, pleraque mentis humanae mala dimanant.

12 IV. *Causae speciales* sunt praeiudicia, quae penitus cognituro sequentia potissimum notanda sunt.

13 (1) Notatio nominis, quod praeiudicium in duplici accipitur sensu, Iuridico ac Philosophico.

14 Ictis dicitur uel tale iudicium, quod ante fieri debet, quam ad aliud quoddam procedatur, uel iudicium, quod in pari causa postea iudicaturis exemplo esse potest.

15 Philosophis est falsa opinio, quae in iuuenibus ante iudicium suscipitur, in adultis uero iudicium praeuertit, adeoque ueri ac boni cognitionem impedit.

16 (2) Definitio: est falsa opinio de ueritate uel falsitate alicuius rei, ante praeiudicium, iustum ac sufficiens examen, in animo concepta, quam plurimis ex se erroribus generandis apta.

17 Patet hinc, praeiudicium, quamuis errorum fons proprie atque radix sit, tamen pro quouis etiam errore, iudicium mentis uitiante, accipi posse.

18 (3) Diuisio: (a) Ratione obiecti, sunt uel Theologica, uel Iuridica, uel Politica, uel Medica, uel Philosophica, eaque rursus uel theoretica, uel practica.

19 (3) Ratione subiecti, uel iuuentutis, uel adultioris aetatis.

20 (γ) Ratione adiuncti, uel noua, seu recens orta, uel antiqua, seu inueterata.

21 (δ) Ratione causae efficientis, uel nimiae confidentiae, uel nimiae diffidentiae, et quidem rursus uel erga se ipsum, uel erga alios.

22 Praeudicium nimiae confidentiae erga se ipsum est praueudicium philantiae, quo quis uiribus et actionibus suis plus aequo tribuit.

23 Hinc oritur superbia; fastus ob eruditionem, incogitantia, impatientia, praecipitantia, pertinacia, rixosa contentio etc.

24 Praeudicium nimiae confidentiae erga alios est praueudicium autoritatis, quo quis, uera rei aestimatione neglecta, aliis plus tribuit, quam par est.

25 Producit hoc credulitatem, opinionum tenacitatem, zelum indiscretum, sectandi studium.

26 Praeudicium nimiae diffidentiae erga se ipsum est, quo quis, sibi minus, quam par est, tribuens, animum despondet.

27 Effectus huius sunt ignauia, negligentia, torpor, inertia.

28 Praeudicium nimiae diffidentiae erga alios est, quo quis aliis minus fidei, quam par est, tribuit.

29 Nascltur inde scepticismus, seu praefracte de omnibus dubitandi libido.

30 (4) Remedia; quibus praeeconceptae eiusmodi opiniones curari possunt, haec potissimum sunt (1) debita communis ad errandum procliuatatis consideratio (2) firma in Deo, aequo bonorum datore, fiducia.

31 Illam haec dirigit Regula: Nemo tam praestantis est ingenii animique, ut nunquam errare aut labi possit.

32 Haec sequenti nititur Axiomate: Nemo ab omni donorum naturalium participatione ita exclusus est, quin, adhibitis medijs, aliquid praestare ualeat.

33 (5) Cautelae, hic adhibendae, quae sunt: (α) Cauendum, ne, naturali illi ignauiae, quae hominum mentibus quasi insita est, turpiter nos dedentes, receptis aliorum opinionibus defendendis et seruandis potius, quam ueritati inquirendae, studeamus.

34 Talis quippe ignauia et summa iudicii debilitatem arguit, et ueritatem, in puteo latentem, eruere impedit.

35 Adeoque, si huic locus relinqueretur, nunquam uel haeresis quaeprimam debellari, uel abusus reformari, uel ueritas in lucem produci posset.

36 (β) Cauendum, ne a teneris ea, quae alii nobis tradunt, cacco impetu arripere, mordicitusque tenere consuecamus.

37 Alioquin, non *duo τριάντα*, seu propriam persuasionem, sed aliorum auctoritatem attendentes, in credulitatem prolabimur.

38 Praesertim ubi naturalis illa accedit timiditas, qua contra communes errores, ueluti torrentem, nisi haud sustinemus.

39 Sic praeiudicia auctoritatis non inepte cum logarithmis comparantur, qui, si uitiosi fuerint, non possunt non uitiosas parare computationes, seu operationes.

40 (γ) Cauendum, ne, opinionibus, longo usu receptis, inhaerentes, nouas quascunque, quia nouae sunt, reiiciamus.

41 Sic enim, omisso rerum nouarum examine, nouas detegendi ueritates augendique scientias occasio dimittitur.

42 Ac difficillimum euadit, mentem, praeconceptis affixam ideis, a scrupulosa quadam superstitione abstinere.

43 (δ) Cauendum, ne, intempestiua, aut ambitiosa sciendi cupiditate, in quastis scientias inuolemus, ingeniumque ostentandi materiam quaeramus.

44 Nam mentem in uarii generis errores praecipitem inde ferri, necesse est.

45 Vt adeo praestet, eorum, quae non explorata sunt et cognita, ignorantiam confiteri, quam periculosam sumere audaciam, ac dictatoria, seu Papali, auctoritate omnia decidere uelle.

46 Neque enim probrosum est, ad modestam subinde *ἱεροχρῆν* confugere, h. e. iudicium suspendere, ac responsionis loco sacrum illud, **NON LIQVET**, repetere.

47 Quemadmodum summus Muhamedanorum sacerdos, Muffiti, decretis suis haec semper uerba subiicere, dicitur: Ita ego, sed Deus nouit, quid sit melius.

48 V. *Antidota*, morbis intellectus, ignorantiae et errori opponenda, sunt sequentia:

49 (1) Dubitatio, seu suspensio iudicii et assensus, donec res consideranda, instituto debito examine, satis cognita atque perspecta sit.

50 Nimirum duplex datur dubitatio, alia sceptica, seu negativa, perpetua et uniuersalis; alia sobria et eclecticica, seu positua, particularis et temporaria.

51 Illa est negatio rei cuiuscunque, de qua dubitatur, exclusio omni intellectus iudicio et assensu, ideoque destructiua est.

52 Nam prae fracte dubitans, nullumque Rationis iudicium et assensum attendens, ueritatem supprimit.

53 Haec est examen rationum, in utramque contradictionis partem occurrentium, suspensio tantum aliquantiſper intellectus iudicio et assensu, hocque nomine anagogica est.

54 Quippe ad ueritatem, accurata rei consideratione, argumentorumque, afferri solitorum, disceptatione eruendam, ducit.

55 Adeoque ad quaestiones, in scientiis decidendas, aequae necessaria est, ac utriusque litigantium partis auditio ad dirimendas in foro controuerſias.

56 Et certum manet: Qui nunquam dubitat, nunquam proficit, et contra: Nunquam proficit, qui semper dubitat.

57 (2) Meditatio, seu exacta deliberatio, an res, siue ex proprio nata conceptu, siue ab aliis proposita, satis uera, euident, clara ordinataeque digesta sit.

58 Sic enim, quid ueritati, uel eruendae, confirmandae et illustrandae, uel ordinatis conceptibus exprimendae, conducatur, facile patet.

59 Vt adeo, maximae utilitatis meditationem esse, non immerito supra dixerimus.

60 (3) Repetitio, ſ. iterata de rebus obuiis cogitatio, ac noua conceptuum, una cum sententiis, inde natis, examinatio.

61 Sic, recurrente toties examine, et certior faciliorque fit cognitio, et, si quid erratum est, emendari potest, ut supra pariter monuimus.

62 VI. *Scriptores*, et quidem (1) de ignorantia et erroribus commentati, inter alios sunt (1) Brunus (2) Espagnettus (3) Herbertus.

63 (3) De Praejudiciis, (1) Treuerus (2) Pfaffius (3) Langius (4) Drechslerus (5) Tellerus (6) Zwingerus (7) Sellmannus etc.

64 VII. *Axiomata* sunt: (1) Graues omnino morbi sunt, quibus in communi hominum deprauatione mens aequae, ac corpus, laborat.

65 (2) At parata iis medela est, si medicorum obseruetur Brogar-dicon: Nolle causam morbi est nolle morbi remedium.

66 (3) Maximos autem humani intellectus morbos, ignorantiam et errorem, pariunt praeeudicia.

67 (4) Haec igitur tanto studiosius uitanda sunt, quanto magis in omnem hominis scientiam uitamque sese diffundunt:

68 (5) Quotus enim quisque praeeconceptis, uel de se, uel de aliis, opinionibus non in transuersum agitur?

69 (6) Annon huc trahi potest illud I Corum: Saepe de facultatibus suis (animi) amplius, quam in his est, sperant homines?

70 (7) Quid communius est, quam ut, aliorum aestimatione et auctoritate capti, illud, *de 70: 70*, omnium instar rationum, obiciant?

71 (8) Praeferim, ubi ignauia, blanda mortalium pestis, animos inuasit.

72 (9) Ignaui quippe, laboribus inimici, aliena tantum arripiunt, animam, ne putrescant; pro sale habentes.

73 (10) Iurant in uerba Magistrorum, et pro sententiis, quarum ueritatem inuestigare ne quidem coeperunt, tanquam pro aris focisque, pugnant.

74 (11) Vnde fieri necesse est, ut praeeudicia praeeudiciis, errores erroribus opponantur, et, relicto ueritatis studio, tot ueluti doctorem Andabatarum certamina instituantur.

75 (12) Quid igitur mirum, si Anglus quidam suo hoc inferius sit epitaphio: Disputandi pruritus est Ecclesiarum (et Scholarum) scabies.

76 (13) Non crude et nude accipienda est Regula: Discipulum oportet credere.

77 (14) Discipuli Magistris temporariam debent fidem, iudicii-

que suspensionem, non plenam libertatis eiurationem, perpetuamque ingenii seruitutem.

78 (15) Non plaris habenda est docentis auctoritas, quam propria discantis Ratio.

79 (16) Etiam in Iuris scientia sub auctoritate perniciose errari, ait ICtus.

80 (17) Quare magnis autoribus suis sic constet honos, ut auctori autorum et ueritatis parenti, tempori, non derogetur.

81 (18) Neque tamen, ex aduerso, tanta sui fiducia quis teneatur, ut sibi soli sapiat, omnemque aliorum doctrinam et carpat, et respuat.

82 (19) Philautia sane, uti uitiorum omnium, ita errorum plurimorum, mater haberi potest ac nutrix.

83 (20) Et certum est, multos ad sapientiam peruenire potuisse, nisi, eo se peruenisse, putassent.

MEMBRVM II.

DE

MORBIS VOLVNTATIS.

MOrbi uoluntatis humanae sunt pravae et uitiosae propensiones. Hae considerari possunt (1) ratione specierum primariarum, seu praedominantium (2) ratione causarum (3) ratione characterum (4) ratione remediorum.

ARTICVLVS I.

DE

PROPENSIONIBVS PRIMARIIS, SEV PRAEDOMINANTIBVS.

I. Numerus. II. Probatio. III. Collatio. IV. Obiectum. V. Affectiones. VI. Mixtura. VII. Fons. VIII. Scriptores IX. Axiomata.

I I.

Numerus propensionum praedominantium, seu principalium, est ternarius, (1) Voluptatem, seu delectationis cupiditatem (2) Ambitionem, seu gloriae et honoris desiderium, (3) Auaritiam, seu diuitiarum amorem, complectens.

2 Di-

2 Dicuntur hae aliis caro, mundus et diabolus, sed minus apte ac Philosophice.

3 II. *Probatio* autem trium istarum propensionum praedominantium his nititur rationibus:

4 (1) Quia omnia bona apparentia, quae propensionum obiecta fieri possunt, uel diuitiae sunt, uel honores, uel res iucundae, ac uoluptariae.

5 Vnde etiam triplex datur hominum genus: (1) ἀπολαυστικόν, quod uoluptati indulget. (2) πολλῶν, quod honores sectatur, et (3) χρηματιστικόν, quod opes conquirat.

6 (2) Quia omnes humanae uoluntatis morbi ex una harum propensionum, ueluti scaturigine sua, promanant.

7 Pater hoc ex inductione et experientia, quam, tum sacri, tum profani Scriptores testimoniis suis confirmant.

8 (3) Quia quatuor, quae uulgo statuuntur, temperamenta, propensiones excitantia, ad tria reuocari possunt, Sanguineum, Cholericum et Melancholicum.

9 Phlegmaticum enim peculiarem propensionem non producit, ut infra patebit.

10 III. *Collatio* fieri potest (1) cum triplici hominum aetate, nimirum (α) iuuenili, in qua uoluptas, (β) uirili, in qua ambitio, et (γ) senili, in qua auaritia praedominatur.

11 (2) Cum triplici hominum statu (α) Oeconomico, qui uoluptate (β) Politico, qui ambitione et (γ) Ecclesiastico, qui auaritia potissimum teneri dicitur.

12 IV. *Obiectum* (α) Voluptatis sunt res omnes, quae sensus internos et externos suauiter afficere, seu delectare, possunt.

13 Quarum cum magna sit varietas, uaria quoque uoluptatum, hominumque uoluptuosorum sunt genera.

14 Alii quippe gulae, alii Veneri, alii Murciae litant, pro genii, educationis, status, aut consuetudinis ratione.

15 (β) Ambitionis sunt res, singularis suae prae aliis dignitatis ac praestantiae opinionem excitare aptae.

16 Tales habentur animi, corporis ac fortunae bona, ut, scientia, forma, robur, nobilitas, tituli, opes.

17 Mo-

17. Nonnulli tamen ad duo potissimum capita, gloriam et potentiam, praecipua ambitionis obiecta, reducunt.

18. Vnde duae etiam ambitionis species oriuntur, una gloriae, altera potentiae cupiditas.

19. Vtraque, pro conditione obiectorum, magis, uel minus inepta est, et ridicula.

20. Quemadmodum, ratione modi, quo uitiosa haec propensio se exerit, alia crassior est, alia subtilior.

(21) (γ) Auaritiae sunt res utiles, seu utilitatis speciem saltem mentientes.

22. Adeoque non aurum modo et argentum hic intelliguntur, sed bona quaeuis terrestria, quibus infatiabilis isthaec propensio innitatur, ut sunt praedia, domus, agri, supellex.

23. Quamuis ideo pecunia praecipue ametur, quod ea, tanquam pretio eminenti, omnia comparari possint.

24. Vnde, pro diuersitate obiectorum et gradus, seu modi, diuersa etiam euadit auaritia, ut alia magis sit uitiosa, alia minus.

25. V. *Affectiones*, et quidem (α) Voluptatis sunt: (1) desideria amore communes receptosque errores retinere malle, quam accurate in ueritatem inuestigare.

26. (2) Delectatione sensus, tum internos, tum externos perfundere, uitaeque commoditatem ac iucunditatem sectari.

27. (3) Petulantia alios lacessere, loquacitate res miscere et turbare, officii sui partes negligere.

28. (3) Ambitionis sunt (1) singulares de Deo rebusque diuinis sententias inuenire, aut ab aliis inuentas amplecti, Numinisque cultum exultatione ac rebus suis metiri.

29. (2) In iracundiam, uindictam, audaciam et profusionem se dare.

30. (3) Varia praestantiae opinione alios contemnere, deprimere ac vexare, adeoque socialitatis leges uiolare.

31. (γ) Auaritiae, sunt (1) Res creatas prae creatore amare, eoque nomine in grauissimos quosque errores, superstitionem, Magiae aliarumque artium scelestarum studium incidere.

32. (2)

32 (2) Animae, corporis famaeque curam abiicere, res praeclaras agendi occasionem dimittere, in aduersis animum despondere, et subinde in *αυτοχρησιν* ruere.

33 (3) Alios decipere, amicitiam spernere, in misericordiam exercere, lites et rixas mouere, omnia uenalia habere.

34 VI. *Mixtura* harum propensionum tam multiplex est, ut innumeri inde oriantur affectus.

35 Quos sigillatim exponere uelle, difficile admodum et prolium foret.

36 Ideirco eos nosse cupientem ad unum alterumue scriptorum, quos infra subiiciemus, et nominatim ad Dn. Thomaeum, remittere liceat.

37 VII. *Fons*, ac ueluti radix eorum, est philautia, seu inordinatus et uitiosus sui amor, quo homo in semetipsum fertur, de se tantum laborat, seque unum explere studet.

38 Sic generatim philautiae nomen, non speciatim, sumitur, pro uana quadam ambitione, qua homo, caeteris se praestare, putat, idque uerbis et factis superbis declarat.

39 Opponitur autem uitiosa talis philautia amorisui ordinato, seu amor in se et abstractiue considerato.

40 Hic nihil uitiosi in se habet, utpote uoluntati humanae proprius, et naturale, a Deo ipso inditum, se conseruandi studium complectens.

41 Quippe per ipsa prima naturae (*αρχαί της φύσεως*) omne animans se suosque conseruare studet, quaeque nocitura uidentur, anxie euitat.

42 Neque ad mentem tantum hoc sese conseruandi studium pertinet, sed ad corpus quoque, sanctum mentis habitaculum, a Deo concessum.

43 Ordinatus autem hic dicitur amor, quia debitum seruat ordinem inter obiecta, prout unum altero est praestantius, uel minus.

44 Contra amor iste uitiosus praescriptum a Deo ordinem peruertit, dum Deo, bonorum omnium fonti, se ipsum aliasue res praefert.

P

45 Immo,

45 Immo, intempestivo quodam ac infano appetitu, in ea fertur bona, quae ne uera quidem bona sunt, sed mentita et falsa.

46 Quare tantum abest, ut talis philautia amoris nomen mereatur, ut potius reuera sui sit odium, animi corporisque perditionem secum trahens.

47 Neque propterea immerito omnium malorum uitiorumque moralium, siue crassiorum, siue subtilium, mater habetur ac nutrix.

48 VIII. *Scriptores*, praecipuo hic loco habendi, sunt: (1) Brochmandus (2) Buddeus (3) Thomafius (4) Trierus (5) Beyerus (6) Lehmannus (7) Geulingius (8) Philaretus (9) Saldenus (10) VVesenfeldius (11) Vitringa.

49 IX. *Axiomata* sunt: (1) Omnium, quos homo habet, hostium acerrimus est philautia, seu inordinatus sui amor.

50 (2) Hunc enim in proprio gerit sinu, ubi tyrannidem suam tanto sauius exercere ualet.

51 (3) Quare omnibus homini uiribus pugnandum est, ne, tam crudeli oppressus dominatu, mala quaeuis subire cogatur.

52 (4) Subigendus est amor nostri, ne unus omnium eminere, debitosque fines transcendere possit.

53 (5) Hoc est, ne, uero bono ac fine neglecto, nosmet ipsos nobis finem constituamus ac bonum.

54 (6) Est hominis, se ipsum amare, seque in naturae statu conseruare.

55 (7) At ordinatus hic amor est, suo, ut par est, obiecto mensuratus.

56 (8) Nimirum talis debet esse ordo amoris, qualis est ordo rerum amandarum in bonitate.

57 (9) Non amandum est, quod amore indignum est.

58 (10) Nec nimis amandum est, quod minus amandum est.

59 (11) Nec aequè amandum est, quod minus, uel magis, amandum est.

60 (12) Verbo: Ordo amoris est, ut potius potiora, et minus minora amentur.

61 (13) Ergo spiritualia prae corporalibus, superiora prae inferioribus, sempiterna prae temporalibus amanda sunt. 62(14)

62 (14) At Deus, qui summum est Bonum, summo etiam super omnia amore amandus est.

63 (15) Huic amori omnis aliarum rerum amor cedat, necesse est.

64 (16) Et uitiosus est amor, in quo Dei amor non primum tenet locum.

65 (17) Sic omnis nostri amor, quam licitus in se fuerit, Dei amori subordinandus est.

66 (18) Et sapientissimae Dei uoluntati nos totos subiicere, idem hic amor postulat.

67 (19) Equidem, ut supra docuimus, Deus absque omni ad nos ipsos, aut nostram felicitatem, respectu, amari nequit.

68 (20) At non amandus est propter felicitatem nostram, uelut ultimum amoris scopum ac finem.

69 (21) Amandus est, ut summe perfectus et bonus, qui, sui amantes nunquam infelices esse, finit.

70 (22) Amandus est super omnia, quia summus omnium est conditor.

71 (23) Amandus est in omnibus, quae, sui amandi causa, ex amore, homini concessit.

72 (24) Sic amanda sunt omnia, quorum amor de nostro in Deum amore testari potest.

73 (25) Amandae sunt uoluptates, ut, animi corporisque uires iisdem conseruantes, et impensius et diutius Deum amare possimus.

74 (26) Amandi sunt honores, ut, honoribus potiti, divinae gloriae uelificando, aliisque hominibus inseruiendo, nostrum erga Deum amorem declarare possimus.

75 (27) Amandae sunt opes, ut larga in alios charitate, Dei, datoris, charitatem praecipientis, amorem testificari possimus.

ARTICVLVS II.

DE

CAVSIS PROPENSIONVM VOLVNTATIS

HVMANAE.

CAusae propensionum uoluntatis humanae uel naturales sunt, uel morales.

P 2

INSPE-

INSPECTIO I.

DE

CAVSIS PROPENSIONVM VOLVNTATIS
HVMANAE NATVRALIBVS.

Causae propensionum uoluntatis humanae naturales potissimum sunt Temperamenta et Affectus.

DISCVRSVS I.

DE

TEMPERAMENTIS.

I. *Definitio.* II. *Diuisio.* III. *Comparatio.* IV. *Affectiones.* V. *Causae.* VI. *Signa.* VII. *Vsus.* VIII. *Scriptores.* IX. *Axiomata.*

I L.

Definitur temperamentum, ut hoc loco sumitur, per certam proportionem omnium qualitarum, a mixtura principiorum corporis naturalis ortam, ad exercendas eius operationes concurrentem.

2 Intelligitur hic proportio in sensu physico, h. e. moderata, prout ad corporis naturalis conseruationem et multiplicationem requiritur, non mathematico, ad mensuram et pondus iusta.

3 Dicitur proportio omnium qualitarum, scilicet non solum caliditatis et frigiditatis, humiditatis et siccitatis, sed etiam uolatilitatis et fixitatis, salsedinis, aciditatis, oleositatis, etc.

4 Principia dicuntur elementa, h. e. corpora simplicissima, a Deo primitus condita, e quibus omnia corpora composita et mixta oriuntur, et in quae, per destructionem, ultimato resoluntur.

5 Quare temperamentum aliis dicitur qualitas C. N. ex elementorum, in minima sua resolutorum, mixtione orta.

6 Recentiores quidem a solo sanguine, humorum principe, temperamentum deriuant.

7 Hic cum fluidus sit, terrestris et pinguis, lympham, terram et ignem continere, indeque flexibilitatem, soliditatem, et calorem ac motum causari dicitur.

8 Aëris, uel aetheris, peculiarem rationem non habent, quia omnes

mines sanguinis partes peruadat, sicque lymphae, terrae et igni insit.

9 Quae igitur pars in sanguine uiribus sit praeualentior, ab ea etiam, ueluti potiore, temperamentum signari, dicunt.

10 Ita nimirum, ut ab energia lymphae temperamentum dicatur sanguineum, a praedominatione ignis cholericum, a copia terrae melancholicum.

11 At manent nihilominus elementa, seu principia, a quorum mixtione, si non proxime et immediate, saltem remote et mediate, temperamentum deducitur.

12 Quemadmodum et illi in re ipsa conueniunt, qui sanguinis qualitates, seu humores, hic fundamenti loco ponunt.

13 Etenim aequus lymphae sanguineae fluor, aquam, oleosa bilis materia, ignem, atrae bilis lentor, terram praeualere, produunt.

14 II. *Diuisio* Temperamentorum, pro uaria subiecti, modi, qualitatum, humorum et succorum ratione, uaria est.

15 Communiter diuiduntur in quatuor primaria, et tria secundaria, seu mixta, et ex primariis composita.

16 Primaria sunt sanguineum, cholericum, melancholicum et phlegmaticum.

17 Secundaria sunt melancholico-cholericum, cholerico-sanguineum et sanguineo-phlegmaticum.

18 Quamuis phlegmaticum non inepte omitti possit, cum neque distinctum constituat temperamentum, nec peculiarem producat propensionem.

19 Quippe phlegma nihil aliud est, quam liquor limosus, in quo si aqua emineat, temperamentum euadit sanguineum, si limus, melancholicum.

20 Quod si autem partes terreae et sulphureae phlegma constituere dicantur, sulphurearum praedominatio cholericum, terrearum copia melancholicum temperamentum efficit.

21 III. *Comparari* solent temperamenta (1) cum tribus Chemicorum principiis, Sulphure, Sale et Mercurio.

22 Isti respondet temperamentum cholericum, illi melancholicum, huic sanguineum.

23 (2) Cum septem planetis, quibus quatuor temperamenta primaria et tria secundaria, utpote ex mixtis praecipua, respondere dicuntur.

24 Nimirum melancholico Saturnus, melancholico-cholericus Iupiter, cholericus Mars, cholericus-sanguineus Sol, sanguineus Mercurius, phlegmatico-sanguineus Venus, et phlegmaticus Luna.

25 Inde colligi datur, quid sit complexio Saturnina, Iouialis, Martialis, Solaris, Mercurialis, Venerea et Lunaris.

26 IV. *Affectiones*, pro duplici obiecti et effectus consideratione, duplices quoque sunt, naturales et morales.

27 Naturales, et quidem (α) Sanguinei temperamenti consistunt in aequo sanguinis fluidi motu, succulento corporis habitu, colore rubicundo ac florido, expedita membrorum dispositione, ingenio.

28 (3) Cholericus sunt uiolentus sanguinis biliosus et igniferus motus, aridus corporis habitus, color rubeus ac feruidus, agillima membrorum actio, iudicium.

29 (γ) Melancholici comprehendunt lentum sanguinis terrestris et grauis motum, compactum corporis habitum, colorem fuscum ac pallentem, membrorum torporem, memoriam.

30 Morales, et quidem (α) Sanguinei sunt mollities, libido, petulantia, luxuria, prodigalitas, garrulitas, inconstantia, impatientia etc.

31 (3) Cholericus sunt ambitio, grauitas, pudor, sobrietas, abstinentia, tenacitas, laboriositas, iracundia, immisericordia, obstinatio, audacia etc.

32 (γ) Melancholici sunt simulatio et dissimulatio, diffidentia, inuidia, animi elatio, avaritia, sordities, tristitia, crudelitas, desperatio.

33 Hae fere primariorum affectiones temperamentorum habentur, unde, quae secundariorum sint, haud difficulter intelligi potest.

34 V. *Causae* diuersitatis temperamentorum potiores habentur, coeli solique genius, seu regionis clima, siderum dispositio, parentum natura, diaeta, seu uictitandi ratio, sexus, aetatis et status differentia.

35 Patet hinc, generatim quidem de integrarum gentium temperamentis, moribusque inde prouenientibus, ex climatis ratione iudicari posse.

36 Quo etiam Barelaii, Besoldi, Neuhufii, Huarti, Bosii, Tuldeni, Kennedi, Baileti, Poseuini, Guibelleti, Vogleri, Treuneri, aliorumque scripta spectant.

37 At certi quid firmique, speciatim ratione indiuiduorum, asserere velle, uana omnino est praesumptio.

38 Quippe aeris, aetatis, uictus, laborum ac ualeitudinis mutationem naturale quoque temperamentum insigniter alterare posse, dubio caret.

39 VI. *Signa*, seu criteria, quorum ope in corporis temperiem, et inde consequentem animi habitudinem, pertingere datur, partim naturalia sunt, partim moralia.

40 Ad naturalia refertur, quicquid physiognomi de externo corporis habitu, puta de qualitatibus, figuris, lineamentis, motu, colore, nec non de uoce, incessu etc. tradere solent.

41 Inter moralia praecipue habentur uerba et facta, tum directe, tum indirecte, considerata.

42 Haec uero doctrina cum infra ex instituto paulo prolixius tradenda sit, ea hic supersedebimus.

43 VII. *Vsum* cognitio temperamentorum habet (1) in naturali et morali hominis consideratione, adeoque Naturae et Gratiae distinctione.

44 Quam illa ut in omni uita, ita circa imputationem actionum moralium et poenas, haec uero in Theol. Mor. omnino attendenda est.

45 (2) In inuestiganda omnis mali origine, humanae nimirum naturae corruptione.

46 Adeoque huius cognitio unumquemque ad sedulam sollicitamque sui emendationem incitare debet.

47 (3) In diiudicandis aliorum hominum affectibus, dirigendis eorum actionibus, instituendoque cum illis commercio.

48 Homileticam quippe prudentiam admodum iuuat, eius, quo cum

cum agendum est, temperamentum, nascentesque inde propensiones nosse.

49 (4) In scrutandis aliorum ingeniis, interpretandisque eorum scriptis, iis praecipue locis, ubi *in avrio Pavenae* occurrunt.

50 Etenim styli ac sermonis diuersitas a diuerso etiam temperamento prouenire solet.

51 VIII. *Scriptores*, hic consulendi, uel antiquiores sunt, uel recentiores.

52 Inter antiquiores habentur (1) Loffaeus (2) Lemnius (3) Rioldanus (4) de Paramato (5) Follinus (6) Camillus Baldus.

53 Recentioribus annumerantur (1) Fabricius (2) Chauvintus (3) Longolius (4) Spenerus (5) Gundlingius (6) Thomafius (7) Rohrius (8) Neukirch.

54 IX. *Axiomata* sunt: (1) Maximam merentur laudem, qui doctrinam de temperamentis, olim, a scholasticis potissimum doctoribus, neglectam, tenebrisque ignorantiae prope immerfam, in lucem protraxerunt.

55 (2) Non enim curiosa scientia est, aut infructuosa, sed digna perinde ac utilis.

56 (3) Est doctrina, quae bonorum aequae ac malorum, ex corporis temperatione prouenientium, notitia obtineri potest.

57 (4) Quis igitur tam stultus esset, ut, si quae bona possederit, eorum fructu, sua negligentia, carere, aut, iis non rite perceptis, sibi aliisue nocere uellet?

58 (5) Quis tam improbus, ut naturae degeneris mala curare, siue emendatione dignum nobilissimi sodalitiū membrum sese redde nolle?

59 (6) Est sane non exiguus sui cognitionis usus, ab optimo quoque Philosopho agnitus.

60 (7) Quam ob rem apud Indos haec Sapientum fuit consuetudo, ut prius, quam in disciplinam aliquis reciperetur, sui ipsius cognitio tradita fuerit et inculcata.

61 (8) Nec minus operae pretium est, aliorum temperamenta scrutari, sensusque ac mores inde colligere.

62 (9)

62 (9) Magnas enim latebras altosque recessus hominum uita habet, nostris praesertim temporibus.

63 (10) Hos igitur utcunque expiscari posse, quis non consultum putaret, colendaeque socialitati necessarium?

DISCVRSVS II.

DE

AFFECTIBVS.

I. *Ratio tractationis.* II. *Definitio.* III. *Sedes.* IV. *Gradus.* V. *Diuisio.* VI. *Criteria.* VII. *Adiuncta.* VIII. *Regimen.* IX. *Vsus.* X. *Scriptores.* XI. *Axiomata.* I I.

Ratio tractationis est, quia ex temperamento proxime oriuntur affectus, hominem ad praua abripietes.

2 Quicumque igitur rectae usum Rationis tenere cupit, corrigendis ordinandisque affectibus attendere debet.

3 Adeoque Ethica agit de affectibus in actu exercito, seu applicatione ad certum usum.

4 Physica uero in actu signato, naturam et indolem affectuum ex principiis domesticis explicando.

5 Oratoria in actu directiuo, prout affectus in auditoribus mouendi, uel sedandi sunt.

6 Quamuis Theologia etiam, iuris prudentia et Medicina suum hic inueniant laborem.

7 Ista quippe affectus, iuxta praescriptam Dei uoluntatem, ordinat.

8 Illa affectus, quatenus ad speciem facti concurrunt, et moralitati aut detrahunt, aut addunt, considerat.

9 Haec affectus, ut causas morborum, uel symptomata, attendit.

10 II. *Definiuntur* affectus per commotiones animi, ex rei cuiusdam, ad nos relatae, sub specie boni, uel mali, grati, seu ingrati representatione, ortas.

11 Addunt alii, quod cum extraordinario quodam sanguinis ac spirituum animalium motu sint coniunctae, ac, ratione boni, cupiditatem, et, ratione mali, auersionem excitent.

12 Vnde patet, affectus hic intelligi, sensuales, ex corporis et ani-

Q

mi

mi coniunctione prouenientes, non intellectuales, seu mere mentales, nec mere corporales.

13 Neque adeo inepte passiones dicuntur, a quibus anima quandam ueluti commotionem patiatur.

14 Terminus autem, a quo motus procedit, est malum, seu priuatio boni, terminus ad quem est bonum, seu priuatio mali.

15 Ipsa autem causa mouens est obiecti cuiusdam sub ratione grati, aut ingrati repraesentatio, per sensus externos et imaginationem facta.

16 Quippe non ea tantum obiecta, quae quis sensibus percepit, sed ea etiam, quae imaginando sibi finxit, affectus excitare ualent.

17 III. *Sedes* affectuum est appetitus sensituius, h. e. propensio uoluntatis in bonum, sensibus et imaginatione perceptum, et auersatio mali, eadem uia repraesentati.

18 Non igitur appetitus sensituius uulgari hic acceptione sumitur pro inclinatione facultatis sentientis, qualis in brutis existit.

19 Sed nobis est inclinatio uoluntatis, ex obiectorum, sensibus aut imaginatione perceptorum, repraesentatione oriens.

20 Nimirum una eademque facultas modo uoluntas in sensu proprio, modo appetitus sensituius dicitur.

21 Voluntas quidem, quando bona, uel mala, ab intellectu cognita, eligit, uel respuit.

22 Appetitus autem sensituius, quando, quae grata, aut ingrata, sensibus, uel imaginatione fuerunt percepta, appetit, uel auersatur.

23 Nam arctissima mentis corporisque unio hoc efficit, ut, quae uni grata, uel molesta sunt, alteri quoque grata, uel molesta fiant.

24 Vnde ad ista appetenda, ad haec uero auersanda in uoluntate oritur propensio.

25 Quae si sensuum et imaginationis repraesentationem sequatur, appetitus sensituius, sin intellectus iudicio nitatur, Ratio obtinere dicitur.

26 Vt adeo, quid appetitus sensitui et Rationis pugna, apud ueteres aequae, ac recentiores nota, sibi uelit, facile hinc colligi possit.

27 Quamuis non desint, qui talem pugnam cum Bernhardino Tileio aliisque negent.

28 IV. *Gradus* affectuum omnium sunt: (1) motus non uoluntarius (2) consensus, seu ὑπόληψις, συγκατάθεσις, aut κρίσις (3) impetus, seu ὁρμή.

29 Horum distinctione graduum Stoicos et Peripateticos, ratione ἀπαθείας et μετριοπαθείας, conciliari posse, multi existimant.

30 Quamuis ad molliorem locutionum Stoicarum interpretationem uulgo recurrere soleant.

31 V. *Diuisuntur* affectus uarie, pro uaria Philosophorum doctrina.

32 Stoici, ratione quadruplicis obiecti, boni, uel mali, praesentis, uel absentis, quatuor constituebant, laetitiam, tristitiam, desiderium et fugam.

33 Peripaterico - Scholastici ad duplicem hominis appetitum, concupiscibilem et irascibilem, affectus reducunt.

34 In illo numerant sex, quorum tres ex cognitione boni alicuius simplicis oriuntur, nimirum amor, desiderium et laetitia, tres uero ex cognitione mali, scilicet odium, fuga et tristitia.

35 In hoc collocant quinque, duos, ex cognitione boni ardui provenientes, spem scilicet ac desperationem, et tres, ex cognitione mali ardui nascentes, audaciam, timorem et iram.

36 Alii, habita potissimum boni, uel mali, tum praesentis, tum absentis, ratione, affectus ita disponunt:

37 Bonum et malum uel simplex est, et obtentu facile, uel arduum et difficile, unde oritur affectus concupiscibilis et irascibilis, seu potius concupiscens et irascens.

38 Circa concupiscentem bonum spectari potest uel ratione inclinationis, uel ratione perfectionis et quietis in eo.

39 Ratione inclinationis rei, et quidem tum habitae, eiusque praesentis, uel absentis, oritur amor, tum habendae, et absentis tantum, nascitur desiderium, seu concupiscentia.

40 Ratione perfectionis et quietis in bono oritur laetitia, seu delectatio.

41 Malum pariter considerari potest, uel ratione declinationis, uel ratione exhibitionis.

42 Ratione declinationis rei, et quidem siue praesentis remouendae, datur odium, siue imminetis auertendae, datur fuga.

43 Ratione exhibitionis nascitur tristitia, quo referuntur inuidia et misericordia.

44 Circa irascentem, bonum difficile consideratur, quatenus obtineri uel potest, unde spes, uel non potest, unde desperatio.

45 Malum uero, et quidem absens, uel fugiendum est, hinc timor, uel aggrediendum, hinc audacia, praesens autem amolendum est, hinc Ira.

46 Cartesiani affectus diuidunt in primitiuos, seu simplices, et deriuatiuos, seu compositos.

47 Ad affectus primitiuos referunt sex, admirationem, amorem, odium, cupiditatem, laetitiam et moerorem.

48 Deriuatiuorum fere quadraginta recensent, singulari quadam affinitate cum primitiuis coniunctos.

49 Nimirum admirationi affines esse, dicunt, existimationem, contemptum, generositatem, superbiam, humilitatem, abiectiorem, uenerationem et despectum.

50 Cupiditati iunctos esse, contendunt, spem, metum, zelotypiam, securitatem, desperationem, animi fluctuationem, animositatem, audaciam, aemulationem, pusillanimitatem, consternationem et synterefin.

51 Laetitiae et tristitiae annexos esse, asserunt, irrisiorem, inuidiam, commiserationem, acquiescentiam, poenitentiam, fauorem, gratitudinem, indignationem, iram, gloriam, pudorem, fastidium, desiderium, hilaritatem.

52 Sed, re accuratius pensitata, duos tantum, intelligimus, esse affectus principes, amorem et odium, ad quos caeteri omnes, tanquam certae amoris et odii modificationes, referri possint.

53 Omnium quippe affectuum obiectum generale est bonum aliquod, uel malum: in illud tendit amor, in hoc odium.

54 Est enim amor motus uoluntatis, rem quandam, a sensibus, uel imaginatione, sub specie grati, repraesentatam, appetentis.

55 Odium contra est motus uoluntatis, obiectum, per sensus, uel imaginationem, sub ratione ingrati, perceptum, auersantis. 56.

56 Adeoque omnes affectus, quocunque ueniant nomine, amoris quicquam, uel odij admixtum habent.

57 Differentiam uero uel peculiare obiectum, uel antecedens relatio, uel diuersus gradus producit.

58 Prout enim bonum, amoris obiectum, uel uerum est, uel apparens, hocque, uel decori, uel utilis, uel iucundi rationem habet, ipse etiam amor diuersa accipit nomina ambitionis, auaritiae et uoluptatis.

59 Pariter diuersa hominum ad nos relatio amorem beneuolentiae, amicitiae et deuotionis, seu obedientiae, causatur.

60 Sic eminentior gradus spei, quae est amor boni, quod obtineri posse, iudicamus, progignit fiduciam et securitatem.

61 Hinc, quomodo caeteri affectus describi possint, facile liquet.

62 Nimirum, e. g. metus est odium, seu auersatio mali imminens, sed cuius euitandi medium nostro iudicio suppetit.

63 Sin nulla illud declinandi ratio nobis succurrit, fit desperatio.

64 Sic ira est species odii, quo ad malum imminens propulsandum motu concitatori ferimur.

65 Quod si motus fuerit languidior, dicitur indignatio.

66 Ira autem, ex subitanea auersione oriens, ac cito transiens, excandescencia, firmiter animo insidens, et uindictae cupiditatem inuoluens, amarulentia uocatur.

67 VI. *Criteria*, seu signa, sunt certae qualitates, in sensus incurrentes, quibus positis, certos etiam affectus subesse, saltem probabiliter, iudicatur.

68 Sunt autem uel communia, quae pluribus affectibus conueniunt, uel propria, quae uni tantum affectui competunt.

69 Propria diuiduntur in simplicia, quae, seorsim spectata, uni tantum affectui conueniunt, et coaceruata, quae, coniunctim spectata, uni soli affectui competunt.

70 Quenam uero eiusmodi signa sint, partim physici, partim scriptores de affectibus, nominatimque eorum aliqui, quos infra recensibimus, ex instituto tradunt.

71 VII. *Adiuncta* affectuum uaria sunt, tam incommoda, quam

Q 3

com-

commoda, in homines, prout iis, uel male, uel bene utuntur, redundantia.

72 Commoda quidem sunt: (1) Hominis conseruationi inferuire.

73 Quippe non tantum ad ea impellunt homines, quae conseruationi conducunt, sed spirituum quoque agitatione sanguinisque uentilatione sanitatem tuentur.

74 (2) Homines ad utilia et salutaria subinde exstimulare.

75 Nam consiliorum, a Ratione suggestorum, executioni seruiunt, ueluti animi alae ac quadrigae, seu ardores animorum, cotesque uirtutum, ut Philosophis dicuntur.

76 (3) Homines ad uitam socialem, felicitatemque, inde prouenientem, ducere.

77 Frigeret enim socialitatis studium, nisi bonorum, inde prouenientium, daretur amor, desiderium et spes.

78 Incommoda uero sunt: (1) Intellectum conturbare, ineptumque ad discretionem ueri a falso, et boni a malo reddere.

79 Quippe uehementior spirituum motus, ab affectibus, e. g. amore, odio, ira proueniens, tantas in cerebro turbas excitat, ut cogitationes defigi, certoque obiecto considerando intendi nequeant.

80 (2) Sanitatem hominis ipsamque uitam destruere.

81 Nam intempestiua, nimia ac perpetua sanguinis spirituumque agitatio operationum naturalium praestationem impedit, uires debilitat, corporis oeconomiam peruertit, calorem uitalem destruit, etc.

82 (3) Confortia, cum aliis hominibus iungenda, impedire.

83 Affectus enim irae, odii, inuidiae, ambitionis, homines reddunt difficiles, molestos, uitaeque sociali ineptos.

84 VIII. *Regimen* affectuum, ad rectae praescriptum Rationis componendorum, certis constat mediis, tum generalibus, tum specialibus.

85 Generalia sunt: (1) Motuum primorum oppressio, mediante Rationis imperio.

86 Tres enim affectuum esse gradus, diximus, quorum primi, neorian-

oriantur, impediri quidem nequeunt, ita tamen opprimi possunt, ne ad secundum et tertium procedant, hoc est, in malos erumpant actus.

87 (2) Ingenuae libertatis conseruatio.

88 Quippe, affectibus indulgendo, in turpissimam abripimur seruitutem.

89 (3) Actionum, durante affectu uehementiore, suspensio.

90 Hoc enim modo integra, quid agendum omittendumue sit, perpendendi facultas seruari potest.

91 (4) Occasionis, excitandis prauis affectibus aptae, euitatio.

92 Qui enim tentationes, ex prauis affectibus prouenientes, uincere cupit, obiecta remouere debet, eaque declinare, quae prauos affectus excitare possunt.

93 (5) Obiectorum omnium in natura sua consideratio.

94 Plurimi quippe affectus ex falsa, quae mentem decipit, imaginatione oriuntur.

95 (6) Philautiae, seu inordinati sui amoris, correctio.

96 Hinc enim pleraque hominum mala dimanare, supra diximus.

97 (7) Aequabilitatis in omni uita retentio.

98 Qui enim, nec prospera fortuna effertur, neque aduersa deprimitur, is demum immotum animi robur seruare, affectuumque imperium retinere potest.

99 Specialia ex peculiari cuiusque affectus natura et indole petenda sunt.

100 Quae cum scriptores Pathologici passim tradant, eo nos referre liceat.

101 IX. *Vsus*, quem doctrina affectuum in aliis disciplinis praestat, uarius est.

102 In Theologia quippe, ac sigillatim Homiletica, tanti affectus momenti sunt, ut oratoris Ecclesiastici scopus eo propemodum niti uideatur.

103 Quare maximum in illis excitandis sedandisque studium esse collocandum, summi Theologi ac Rhetoricae sacrae doctores monuerunt.

104 In Iuris prudentia circa iudicandam actionum humanarum moralitatem, examinandas obligationes ualidas et inualidas, dignoscenda delicta, poenasque iisdem attemperandas, affectus perpendi debent.

105 Nimirum e. g. irae iustae tanta habetur ratio, ut ob eam maritus adulterum cum adultera licite occidere dicatur l. 24 pr. ff. ad l. lul. de adult.

106 Quo Ictorum spectant Brocardica: Iustum dolorem temperare difficillimum est. l. 38. ff. eod. et fragilitatis humanae ratio omnino habenda est, arg. l. 8. C. de his, qui testam.

107 Sic amor sui efficit, ut inculpatae moderamen tutelae in uolenta sui defensione, dummodo iusta fuerit, non adeo rigoroſe, secundum omnia requisita, examinetur.

108 Et iure hoc euenit, ut, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur, l. 13. ff. d. l. et l.

109 Porro quod neque coniuges, neque parentes, in causa coniugum ac liberorum, et uice uersa, testes, etiam aduersus sese, ne quidem uolentes, esse possint, iuxta l. 6. C. de testibus, ex amore est.

110 Tales enim personae, maximo se inuicem amore completi, adeoque testimonio sibi inuicem neutiquam nocere uelle, praesumuntur.

111 Contra ex affectu odii est, quod inimicus ad dandum aduersus inimicum testimonium non adhibeatur, iuxta l. 3. pr. ff. de testibus, et l. 17. C. eodem.

112 Sic, quo minus confessionibus, mediante tortura, expressis, fides haberi possit, affectus doloris impedit.

113 Huius enim uehementia ad quoduis confitendum, seu potius mentiendum, multos adigi, recte scribit Vlpianus l. 1. §. 23. ff. de quaestione.

114 Quare hoc ueritatem eliciendi genus a multis, Ictis aequae ac Theologis, improbari ac reiici, testantur scriptores, ut Schallerus, Crusius, Zangerus, Bocerius, Tabor, etc.

115 In Politica aliisque scientiis practicis quid usus affectuum cognitio

gnitio afferre possit, notius est, quam ut demonstratione indigeat.

116 X. *Scriptorum*, huc pertinentium, alii ex instituto hoc argumentum pertractarunt, ut (1) Cartesius (2) Laelius Peregrinus (3) Aloysius Luyfinus (4) Omeisius (5) Schelhammerus (6) Schmidius (7) Bontekoe (8) VVesensfeldius (9) Trierus (10) Melissantes (11) Senaultius etc.

117 Alii *sparsim*, et data occasione, illud attigerunt, ut (1) Thomafius (2) Henricus Morus (3) Buddeus (4) Placcius (5) Aepinus (6) Philaretus (7) Becmannus, ac doctrinae moralis scriptores plerique.

118 Alii characteres affectuum tradiderunt, ut (1) Chambrerius (2) Claramontius (3) Schmidius (4) Mascardus etc.

119 Alii de iure affectuum scripserunt, ut (1) Schilterus (2) Struvius (3) Hartungius (4) Zentgraeuius.

120 XI. *Axiomata* sunt: (1) Operae pretium omnino est, humanos nosse affectus, iisdemque attendere.

121 (2) Maximi quippe usus sunt, luculentissimumque diuinæ providentiae argumentum praebent.

122 (3) Quare frustra sunt, qui, affectus omnes in se esse malos, cum Stoicis (dummodo ipsi ita senserint) statuunt.

123 (4) Quis dixerit, naturam homini quicquam indidisse, quod vitiosum semper sit, nihilque boni praestare unquam possit?

124 (5) Distinguendum probe est inter affectum ipsum, et actiones ex affecu prouenientes.

125 (6) Secernendus abusus ab usu, status praeternaturalis et corruptionis a naturali et sanitatis.

126 (7) Nec magnitudo aut uehementia affectuum cum Aristotelicis culpanda.

127 (8) Circumstantiarum habenda est ratio, subiecti potissimum, obiecti, causae, finis et modi.

128 (9) Itaque non in ἀπαθεία, nec μετριοπαθεία, sed ὁρθοπαθεία, debitus affectuum usus consistit.

129 (10) Quem qui tenere cupit, salutaria quaeque media diligenter adhibeat.

130 (11) Inprimis materiam affectibus subtrahere, occasionesque euitare discat.

131 (12) Maxima enim stultitia est, prauorum obiecta affectuum quaerere, uel saltem non euitare, et de humana infirmitate conqueri.

132 (13) Nec subigendis dirigendisque recte affectibus naturales sufficiunt uires, sed diuina opus est gratia.

133 (14) Quare hic etiam Philosophia suam agnoscat imperfectionem, certiusque quaerat subsidium.

134 (15) Praesertim cum pleraeque uirtutes, ex affectibus provenientes, splendida potius sint uitia, quam uerae uirtutes.

INSPECTIO II.

DE

CAUSIS PROPENSIONVM VOLVNTATIS HVMANAE MORALIBVS.

I. *Reensio.* II. *Scriptores.* III. *Axiomata.* I.

R *Eccensentur* inter causas propensionum uoluntatis humanae morales potissimum sequentes:

2 (1) Educatio, seu institutio, cuius tanta omnino uis est, ut ipsam quodammodo naturam et indolem immutare ualeat.

3 Cum igitur corrupta hodie sit, ualdeque deprauata, quid mirum, si pravae etiam propensiones inde nascantur?

4 Quippe id plerumque agitur, ut infantes, tum, indicatis honoribus propositisque praemiis, ad ambitionem, tum, laudatis opibus, ad auaritiam, tum, indultis mollitiis, ad uoluptatem excitentur.

5 Vnde maxima hominum corruptio, in omni omnino uita sese exerens, oriatur, necesse est.

6 (2) Conuersatio cum hominibus, communem, eamque deprauatam, uiuendi rationem tenentibus.

7 A conuersantibus enim sumuntur mores, cum animus sua proximis mala tradat, quemadmodum in contactos corporis uitia transeunt.

8 Tam inimica malorum est conuersatio, ut alter alteri uitium aut commendet, aut imprimat, aut nescienti alliniat.

9 Sic ebriosus conuictores in amorem uini trahit, impudico-
rum

rum coetus fortem quoque uirum emollit, avaritia in proximos uirus suum transfert.

10 Id quod studiosae in academia iuuentutis exempla potissimum comprobant.

11 (3) Imitatio aliorum, quorum mores nostris referre actionibus, gloriosum ducimus.

12 Etenim uelut a natura innatum est hominibus quoddam alios imitandi studium, philautia, seu amore sui ipsius subnixum.

13 Scilicet, quoties quis in altero praestans quid aut eximium deprehendere sibi uidetur, se etiam, sua saltem opinione, praestantior fore, putat, si illi euadat similis.

14 Adeoque, quam primum quis in amplissimum hoc mundi theatrum prodit, id sibi quoque imitandum esse, arbitratur, quod alios agere uidet.

15 Cum uero hominum plerorumque mores, si non aperta, saltem tecta, inuoluant uitia, praua etiam imitatio inde sequatur, necesse est.

16 Consuetudo, seu crebra eorundem actuum repetitio, quae efficit, ut actio expedite libenterque suscipiatur.

17 Quantum igitur consuetudo ualeat, uel inde patet, quod altera uulgo natura dicatur.

18 Nimirum, si una actione praua uitiosus contrahi potest habitus, quidni pluribus, saepe repetitis?

19 Communis sane experientia docet, quam aegre exuantur mores, longa consuetudine adsciti.

20 Praesertim, ubi praua ad eos dispositio per naturam adest, nec institutione ingeniiue cultura subigitur.

21 II. *Scriptores*, huc referendi, ac sigillatim ii, qui de institutione, seu educatione, egerunt, sunt: (1) Malebranchius (2) Poirretus (3) Fenelonius (4) VVegius (5) Lockius (6) Langius (7) Vockerodtus (8) Bordelonius (9) Besoldus.

22 Consuetudinis uim exposuerunt (1) Morjaigne (2) Verulamius (3) Bartholinus (4) Ostervvaldus alique.

23 III. *Axiomata* sunt: (1) Nihil aequae ad salutem ac tranquillitatem Reipublicae facit, quam recta liberorum educatio. 24 (2)

24 (2) Quare prudentes etiam prouidique parentes ea nihil prius nihilque potius habere debent.

25 (3) At dolendum summopere est, curam hanc a plerisque, etiam inter Christianos, negligi, et tantum non abiici.

26 (4) Neque enim desunt, qui, Megarensium more, arietes magis ac pecudes, quam liberos, curant.

27 (5) Sin qui ad instituendos liberos animum adiiciunt, apta instituendi ratio plerumque deficit.

28 (6) Quippe, intellectum potius rerum uariarum cognitione, quam uoluntatem probitate ac Rationis usu imbui, curant.

29 (7) Prolixis et operosis praeceptorum ac regularum ambagibus artes traduntur atque scientiae.

30 (8) Quae tamen saepius ad ostentationem magis, quam emendationem morumque formationem faciunt.

31 (9) Vnde eiusmodi institutio non inepte continua affectuum concitatio, prauarumque propensionum corroboratio dici posset.

32 (10) Neque adeo mirum, si scholarum, optimorum alias seminariorum, tantus hodie contemptus obtinet.

33 (11) Quid ineptius est, quam inanes nugae, et otiosorum commenta hominum, magna cum contentione, alios docere?

34 (12) Quid indignius, quam ea studiose inculcare, quae acerbam temporis, aerisque male collocati, poenitentiam secum trahunt?

35 (13) Quid perniciosius, quam iuventutem, in Reipublicae commodum ornamentumque educandam, perdere?

36 (14) Praesertim cum tanta hominum sit corruptio, ut optimus quisque, nisi obfirmati sit animi, aliorum conuersatione seduci possit.

37 (15) Nec quicquam est, quod male agendi consuetudinem magis fouere possit, quam praua aliorum exempla.

38 (16) Haec quippe tanta cum imprudentia actionibus suis multi praetexunt, quasi impune peccandi licentiae patrocinari possent.

39 (17) Quemadmodum multi consuetudine, seu adlueta sic aliterue agendi ratione, uitia sua excusare solent.

40 (18) Qui quidem haud perpendunt, quam turpiter sese prodant, habitusque uiciosi culpam arguant.

41 (19)

41 (19) Hac enim ratione confitentur, se toties malam repetiisse actionem, ut tandem in consuetudinem abierit.

42 (20) Quae sane tanto maiorem inuoluit turpitudinem, quanto magis iis, quod uoluntario eam et susceperint, et etiam nunc alant, imputari potest.

43 (21) Meminerint potius, nulli consuetudini tantum tribuendum esse, quin actibus contrariis, saepe iteratis, superari possit.

ARTICULVS III.

DE

CHARACTERIBVS, SEV SIGNIS PROPENSIONVM VOLVNTATIS HVMANAE.

I. *Diuisio.* II. *Cautelae.* III. *Scriptores.* IV. *Axiomata.*

I I.

Dividuntur signa propensionum uoluntatis, ut supra innuimus, in naturalia et moralia.

2 Naturalia sunt, quae naturalem cum hominum propensionibus nexum habent, etiam latente saepius causa.

3 Talia Aristoteles colligenda esse, statuit, ex motibus, figuris, coloribus, uoce, carne, partibus etc.

4 Alii, in temperamento, motibus corporis, et conformatione partium eadem sita esse, contendunt.

5 Temperamentum est signum causale, seu qualitas, hominem ad certae rei amorem, uel odium, inclinans, aut connatam ad praua propensionem augens.

6 De hoc supra cum actum sit, eo nos referre possumus.

7 Motus quidem proprie signum affectus est, sed tamen propensionum quoque ac morum signis accenseri potest.

8 Cum enim magna detur affectuum coniunctio, affectuum signa etiam morum quodammodo signa haberi possunt.

9 Sic, e. g. subitaneus in facie motus, seu coloris mutatio, affectum irae, hocque nomine simul propensionem, et mores, hinc enasci solitos, prodit.

10 Quoties uero motus corporis in incessu et uoce potissimum spectatur, certam quandam propensionem immediate inde colligere licet.

R 3

II Quare

11 Quare sagacissimus ille Cardinalis, Richelieu, ex incessu, uoce et scripto hominis indolem se cognoscere posse, asseruit.

12 Nimirum, e. g. incessus grauis ac lentus hominem ambitiosum, auctoritati et dignationi studentem, indicat.

13 Contra mollis et inconstans hominem effoeminatum, uoluptatibusque deditum, arguit.

14 Denique incompotus et incurius hominem auarum, opibusque inhiantem, prodit.

15 Sic uox acuta et tenuis hominem uoluptuarium, grauis uero fortem et ambitiosum indicare dicitur.

16 Conformatio partium complectitur figuram, tam totius corporis, quam singularum partium, e. g. frontis, oculorum, nasi, labiorum, etc.

17 Moralia signa concernunt uerba et facta, tum directe, tum indirecte, considerata.

18 Per uerba non singulas uoces intelligimus, sed integram sermonis structuram, siue ore prolatam, siue scripto consignatam.

19 Sic sermo apertus, planus, perspicuus, fluidus et circumductus hominem, ad uoluptates propensum, indicare dicitur.

20 Contra obscurus, tectus et ambiguus hominem ambitiosum et suspicacem arguere creditur.

21 Denique hiulcus, praeceps, male cohaerens, nec sibi constans, homini auaro proprius habetur.

22 Facta, et quidem directe, propensionem indicant, quando quis palam ea agit, quæ certam ad praua inclinationem praesupponunt.

23 Sic, e. g. otio indulgere, ludos, computationes aut scortationes sectari, hominem, uoluptatibus deditum, prodit.

24 Indirecte, cum homines ea agunt, quæ certum affectum, aut insigniorem animi facultatem, puta, ingenium, iudicium, aut memoriam, arguunt.

25 Scilicet, e. g. circumspicere agere, callide simulare et dissimulare, adeoque iudicium ostendere, crebro irasci, uindictam exercere, hominem ambitiosum produnt.

26 II. *Cautelae*, hic obseruandae, sunt: (1) Cauendum, ne signis phy-

physiognomicis, e. g. de voce, colore, nimium tribuatur fidei.

27 Haec enim, ueluti accidentalia, saepissime fallere, experientia, rerum magistra, testatur.

28 (2) Cauendum, ne iudicium de temperamento, eiusque effectibus, seu propensionibus, inde oriri solitis, prius feramus, quam de gradu temperamenti certi simus.

29 Etenim nemo mortalium temperamento utitur puro, sed humoribus, uarie inter se mixtis, composito.

30 (3) Cauendum, ne signa, quae, cum aliis demum iuncta, quandam probandi uim habent, seorsim sumantur.

31 Nam, e. g. a sola honorum, diuitiarum opumque possessione ad certam propensionem male procedit argumentatio; bene tamen, si alia iungantur signa.

32 (4) Cauendum, ne promiscue, non attenta aetatis, conditionis, aliarumque circumstantiarum diuersitate, iudicemus.

33 Siquidem maxima inde et temperamenti alteratio, et propensionum mutatio contingere potest.

34 (5) Cauendum, ne homines uitae emendatae cum iis, qui prauis suis inclinationibus seruiunt, aequè iudicentur.

35 Quippe signorum naturalium plurima utrobique sunt eadem, et animi plane diuersi, ut Socratis exemplum docet.

36 (6) Cauendum, ne artem semioticam, h. e. latentes indagandi mores, in aliis ante exerceamus, quam in nobis eam adhibere didicimus.

37 Quoniam facilius est proprias, quam aliorum, explorare propensiones.

38 III. *Scriptores*, excolendae huic doctrinae inservientes, uarii sunt.

39 Alii enim Physiognomiam tradiderunt, ut (1) Adamantius (2) Niquetius (3) Porta (4) Elsholzius (5) Io. de Artis (6) Euehynus (7) Otto.

40 Alii de Metoscopia, Chiromantia, aliisque huius generis artibus commentati sunt, uti (1) Cardanus (2) Taisnerius (3) Gocklenius (4) Achillinus (5) Bellotus (6) Tybertus (7) Fuchsius etc.

41 IV.

41 IV. *Axiomata* sunt : (1) Non otiosa scientia est, aut curiosa tantum physiognomia, sed utilis perinde, ac necessaria.

42 (2) Cum enim noscendis hominum temperamentis et affectibus inferuat, in sociali etiam uita usum praebet.

43 (3) Quare non immerito magni fuit habita Philosophis antiquioribus, Pythagorae, Aristoteli, Adamantio, Polemoni aliisque.

44 (4) Non promiscue autem, sed distincte, scite prudenterque ea adhibenda est.

45 (5) Nec alterius propensionem exploraturus unam duntaxat, alteramue actionem attendere debet, sed plures.

46 (6) Ante omnia in se ipso semioticam experiri debet artem, qui certam illius peritiam desiderat.

47 (7) Nimirum, deposita omni philautia, proprii examinandi sunt mores, singulaeque, tum actiones, tum cogitationes sedulo excutiendae.

48 (8) Nec frustra fuerit naturales, quos Physiognomia suggerit, characteres conspiciere.

49 (9) Hac uia latentes affectus produntur, morumque indagantur causae.

50 (10) Sic proprium noscitur ingenium, ex quo alios homines iudicare, non erit difficile.

ARTICVLVS IV.

DE

REMEDIIS PROPENSIONVM VOLVNTATIS HVMANAE.

I. *Prærequisitum*. II. *Diuisio*. III. *Vsûs*. IV. *Scriptores*. V. *Axiomata*.

I.

Praerequitur hic, ut homo, salutaria prauis suis propensionibus remedia applicaturus, seu uoluntatis suae morbos curaturus, se ipsum noscat.

2. Qui enim, nec temperamenti affectuumue, nec uitae conditionisque suae rationem examinare sustinet, in adhibendis remediis frustra erit.

3 Quare

3 Quare suum quisque genium ante omnia exploret, suamque imprimis passionem praedominantem indaget.

4 Hunc in finem sedulo dispiciat, in quibus rebus, ut plurimum, et facillime, erret.

5 Perpendat, quae bona prae aliis aestimet, animo foueat, studiisque suis quaerat.

6 Attendat, quibus potissimum cogitationibus occupetur, quando sibi relictus est, an de honoribus, diuitiis, aut delectationibus,

7 Detecta passione, e. g. uoluptate, primum circumspiciat, an circa hoc uel illud obiectum cogitatione sua ideo sit occupatus, ut uoluptate perfrui possit.

8 Quod ubi animaduuerit, ab omni de obiecto isthoc ferendo iudicio, quantum potest, abstineat, ne, passioni suae indulgens, praedudicium committat.

9 Hoc facto, ueritatem rectaeque iudicium Rationis magis magisque extricare, ac, ueluti Lydium quendam lapidem, rebus omnibus applicare studeat.

10 Sic caetera, quae sequuntur, remedia facile, nec sine fructu, adhibere poterit.

11 II. *Diuiduntur* remedia, pariter, ac ea, quae supra circa affectus tradidimus, in generalia et specialia.

12 Generalia, uel praeparantia sunt, uel curantia, uel adminiculantia.

13 Praeparantia sunt: (1) Intellectus, ignorantia, erroribus ac praedudiciis affecti, emendatio.

14 Etenim intellectus non, nisi his liberatus morbis, debitas a uoluntate determinationes elicere potest.

15 (2) Miseriae humanae, peruersam imprimis uitam comitantis, consideratio.

16 Ea quippe tanta est, ut, rite pensitata, stupidissimo etiam homini, et horrorem quendam, et pudorem incutere possit.

17 (3) Felicitatis, ab emendatione sui expectandae, repraesentatio.

18 Citra hanc enim homo, quasi a se ipso desperatus, nullam sui emendandi curam suscipiet.

19 (4) Immortalitatis animae, quantum ex Ratione patet, contemplatio.

20 Nam homo uitiosus, animam cum corpore interituram, sibi persuadens, omnibus posthabitis, solum se in passionibus suis expleendis collocabit.

21 Curantia sunt: (1) Opis diuinae imploratio.

22 Homines enim sine Dei immortalis ope, consilio et honore nihil rite, nihilque prouidenter auspicari posse, ipsa perspicit Ratio.

23 (2) Virtutum et uitiorum collatio.

24 Horum quippe uilitas ac deformitas odium, illarum praestantia ac pulchritudo amorem excitare, adeoque nouas in uoluntate propensiones elicere ualet.

25 (3) Consilii uitaeque instituti mutatio, seu conuersio.

26 Etenim nemo ueram sui emendationem suscipere potest, nisi, uitae peruersae taedio ac poenitentia motus, sententiam uitamque mutet.

27 (4) Actionum, uitia deprimentium, ac uirtutes prouehentium, susceptio.

28 Quippe non nuda tantum animi mutatione, nudae proposito, absoluitur emendatio, sed assidua quoque *ασκήσις* opus est.

29 Adminiculantia sunt: (1) Bonorum librorum lectio.

30 Quemadmodum enim scripta improba, libidinem prauitatemque alere apta sunt, sic proba uirtutis honestatisque studium identidem inflammare possunt.

31 (2) Honestorum pieque doctorum uirorum conuersatio.

32 Haec quippe inclinantes in prauum animos ad rectum reuocare, bonosque ad persequendum institutum exstimulare potest.

33 (3) Exemplorum illustrium imitatio.

34 Quantum momenti haec ad res, bene praeclareque agendas, afferre possit, omnium historiarum monumenta loquuntur.

35 (4) Conscientiae tum matutina, tum uespertina examinatio.

36 Scilicet examen matutinum ad uitia euitanda, uespertinum ad corrigenda prodesse potest.

37 Specialia remedia, tum ipsas propensiones, tum earundem causas,

causas, morales perinde ac naturales, concernentia, uaria sunt, ac pene infinita.

38 Quare hic pauca tantum delibabimus, et ea quidem, quae prædominantibus illis passionibus, quas supra exposuimus, adhiberi possunt.

39 (α) Voluptati resistere possumus (i) Foeditatem uanitatemque eius considerando.

40 Quippe uilissima est rerum uoluptariarum plerarumque natura, et homo, uentri indulgens, animalium loco habetur, non hominum.

41 (2) Incommoda ac damna, inde protinientia, perpendendo.

42 Plus enim hominum gulam occidere ac uenerem, quam gladium, uoluptatemque, dolore emtam, maxime nocere, comperturn est.

43 (3) Tranquillitatem felicitatemque, a temperantia et abstinentia expectandam, nobis proponendo.

44 Scilicet haec tanta est, ut, debite considerata, uoluptatis odium omnino excitare possit.

45 (β) Ambitio temperari potest, si consideretur (i) difficilis, dura ac laboriosa honorum obtentio.

46 Nam maxima et uirium, et opum, et uitae annorum pars in quaerendis honoribus consumitur.

47 (2) Paruitas eorum, angustia, incertitudo ac breuitas.

48 Honores enim plerosque et locis perpaucis, et exiguo admodum tempore terminari, constat.

49 (3) Periculorum, curarum ac miseriarum, honores comitantium, multitudo.

50 Hanc, praeter experientiam, rerum magistram, sapientum, tum ueterum, tum recentiorum, dicta comprobant.

51 (γ) Auaritiam repressurus, cogitet, (i) Passionem hanc et stultam esse maxime, et uanam.

52 Quippe conseruandae huic uitae pauca sufficiunt, adeoque diuitiarum copia inordinatae tantum imaginationi explendae seruit.

53 (2) Opum acquisitionem perinde ac conseruationem cum infinitis curis, laboribus ac periculis esse coniunctam. S 2 54 Quot

54 Quot enim uigiliae, molestiae, anxietates et lassitudines aurum non premunt? quot casus rerumque discrimina eum non terrent?

55 (3) Operosam auri argentique conquisitionem et uitam et mortem reddere miseram.

56 Illam nimirum omni delectatione ac tranquillitate priuat, hanc autem omni solatio destituit.

57 III. *Vsum*, seu applicationem, remediorum sequentes dirigunt regulae, siue cautelae.

58 (1) Cauendum est, ne, uitia, quibus remedia applicanda sunt, ingrauescere et inueterascere, sinamus.

59 Vitia enim se habent instar morborum, quibus sero et frustra paratur medicina, cum per longas inualuerunt moras.

60 (2) Cauendum, ne remedia absque iudicio adhibeantur et ordine.

61 Nam datur quoddam ueluti systema propensionum, adeoque una prae altera maiori indiget attentione.

62 (3) Cauendum, ne, uno alteroue remedio adhibito, sufficientem debitamque nostri emendationem nos fecisse, putemus.

63 Quippe tam periculosam inde opinionem concipere possumus, quam si aegrotus, morbo uix impugnari coepto, nedum depulso, se conualuisse, credit.

64 (4) Cauendum, ne, dum emendatio nostri perficienda est, incuriam aut negligentiam uitium actionibus nostris obrepere, patiamur.

65 Vt enim dux belli securus facile ab hoste occupatur, ita hominem, sui fiducia captum, uitia ex improviso inuadunt.

66 (5) Cauendum, ne, posthabitis uirtutem obtinendi exercendique mediis, in sola uitiorum euitatione acquiescamus.

67 Hac quippe ratione non uera obtingit emendatio, sed uitii cum uitio permutatio.

68 (6) Cauendum, ne remedia, mere Philosophica, ad ueram hominis emendationem conuersationemque sufficere, arbitremur.

69 Nam Philosophia, et humanae deprauationis originem, et peccatorum expiationem, summi Numinis placationem igno-

ignorans, imparem hic se sentit, opisque alienae indigam.

70 IV. *Scriptoribus*, hic consulendis, illi accenseri merentur, quos in discursu de affectibus supra adduximus, et praecipue quidem (1) Thomafius (2) Buddeus (3) Lehmannus.

71 V. *Axiomata* sunt: (1) Non desunt media, quibus Philosophia mentis humanae morbis quodammodo mederi potest.

72 (2) Dolendum modo est, quod plerique mortalium suis delectentur uitiis, nec ullam sui emendandi curam suscipiant.

73 (3) Malunt perpetua afflicti miseria, et tantum non infra brutorum delici sortem, quam, superata prauitate, humanae dignationi ac felicitati restitui.

74 (4) Et, si qui forte ad corrigendas propensiones animum adiciunt, se ipsos tamen, ineptam ingressi uiam, frustrantur.

75 (5) Animi sui recessus excutere, hostemque, in insidiis latentem, philautiam, explorare haud curant.

76 (6) Nec, hoste adoriente, fortiter constanterque resistere sustinent, donec, redintegrata identidem pugna, superiores euadant.

77 (7) Sic propositum destituit progressus, progressum finis, et finem fructus.

SECTIO VI.

DE

VIRTUTE MORALI.

HOminis, recta Ratione utentis, Deumque amantis, proprietates et perfectio, ac ueluti fructus, ex emendata proueniens uoluntate, est uirtus moralis, circa quam considerari potest (1) natura et indoles eius (2) consecutiuum formale, seu honestum (3) cognatum, seu decorum.

MEMBRUM I.

DE

NATURA ET INDOLE VIRTUTIS.

I. *Notatio uocis* II. *Definitio*. III. *Proprietates*. IV. *Motiuum* V. *Adminicula*. VI. *Inspedimenta* VII. *Dimissio*. VIII. *Oppositum*. IX. *Axiomata*.

S 3

I. I. Vox

II.

Vox *virtutis* modo, cum Durando, a ui, seu uiolentia, modo a uiro, quem maxime deceat, deriuatur, modo a uiribus, seu robore;

2 Ultima deriuatio reliquis præstare uidetur, cum uirtus, ut Pythagoræi dixerunt, robur sit animi, et, asserente Cicerone, perfecta Ratio, item natura ad summum perducta et perfecta.

3 Quemadmodum nomen Graecum ἀρετή ab ἀρέσκειν, seu placendo, deriuatur, quia, qui Deum amat, eidem omnibus quoque modis placere studet.

4 Caeterum uarias hanc uocem significationes admittere, et nunc fortitudinem bellicam, nunc habitum intellectualem, nunc moralem etc. denotare, notum est.

5 Nobis h. l. est qualitas moralis hominis, emendata uoluntate gaudentis, recta Ratione utentis, Deumque amantis.

6. II. *Definiri* itaque potest, quod sit inclinatio habitualis uoluntatis humanae, se suasque actiones omnes uoluntati diuinæ conformandi, ad testificandum Dei amorem, amplificandamque eius gloriam.

7 Breuius: Est serium ac constans propositum ac studium uoluntati diuinæ in omnibus obsequendi.

8 Serium debet esse studium, quia impetus faciendi aliquando, quod bonum est, in uitiosos etiam cadit, adeoque uirtutis nomen haud meretur.

9 Nec aliud quid uirtuti deditus curat, quam obsequium Deo præstandum, eidemque suum per hoc amorem probandum.

10 Adeoque forma uirtutis in eo consistit, ut homo uoluntatem suam omnesque huius operationes Dei uoluntati cum intima mentis propensione ubiuis et constanter subiiciat.

11 Et quicquid ex uirtute esse dicitur, ex interna mentis rectitudine uoluntatisque bonitate, et propter solum Deum Deique obedientiam esse debet.

12 Sic studium hoc et mentis et uoluntatis actum complectitur, attentionem scilicet, qua mens ad intelligendam uoluntatem Dei applicatur, et intentionem, qua uoluntas ad obseruationem uoluntatis Dei intrinsece fertur.

13 Pa-

13 Patet hinc, quid de vulgari illa habendum sit definitione, qua uirtus dicitur habitus proaereticus, in mediocritate consistens, frequenti bonorum exercitio comparatus.

14 Nimirum frustra asseritur, uirtutem praecise esse habitum, seu facilitatem agendi, actionibus saepe iteratis, adeoque uelut consuetudine, comparatam.

15 Est enim uirtus ante eiusmodi facilitatem, immo ante bonas actiones, utpote quae, si uere et formaliter tales sunt, a uirtute proueniunt.

16 Actiones quippe, consuetudine fieri solitae, illustre uirtutis nomen haud merentur.

17 Et quomodo uirtus, ut Dei donum, exercitatione parari potest, ita, ut haec illius causa haberi debeat?

18 Porro, uirtutem in medio, seu mediocritate, consistere, perperam dicunt.

19 Praeterquam enim, quod omnes uirtutes duo extrema, alterum in excessu, alterum in defectu, haud habeant, mediocritas est consequens uirtutis, non ratio formalis.

20 Accedit, quod terminus mediocritatis obscuritate laboret, uariasque admittat significationes, e. g. paupertatis in Iure.

21 Nec difficultatem tollit explicatio, qua, conformitatem cum lege Naturae ac recta Ratione per mediocritatem intelligi, dicunt,

22 Non enim, nisi uerbis mirum in modum contortis, talis eruitur sensus, cum planissime rem efferre liceat.

23 III. *Proprietates* uirtutis sunt: (1) Sinceritas, qua actiones serio et unice ad uoluntatis diuinae obsequium diriguntur.

24 Ergo, qui philautia, seu inordinato sui amore, agit, gloriam, delectationem, uel utilitatem suam quaerendo, uera uirtute destituitur.

25 (2) Sedulitas, qua studio indefesso, nullo non tempore et loco, diuinae uoluntatis iussa attenduntur ac perficiuntur.

26 Quippe amoris quasi filia est uirtus, adeoque omnis morae impatiens, nec, nisi in amato suo obiecto, acquiescens.

27 (3) Vnitas, qua unum Deo obsequendi placendique studi-
um

um in omnes sese diffundit actiones, et indiuiduam earum connexionem (ἀν/ακολύθησιν) inuoluit.

28 Hinc dici consuevit: Qui unam habet uirtutem, omnes habet, qui una caret, omnibus caret.

29 IV. *Motius* uirtutis sunt: (1) Necessitas eius ad amorem nostrum Deo probandum.

30 Etenim amor sedulum Deo placendi studium complectitur, quod absque obsequio esse nequit.

31 (2) Dignitas et præstantia, inde proueniens.

32 Quippe hac demum euadimus homines, et, ultra brutorum euecti sortem, ad Deum quodammodo accedimus.

33 (3) Vbertas et amplitudo fructuum, ab ea expectandorum.

34 Hi sane tot tantique sunt, ut hominem, et sapientem, et bonum, et præstantem, reddere possint.

35 V. *Adminicula* præcipua sunt: (1) Propriae indolis indagatio.

36 Sic enim, quæ bona inesse deprehenduntur, excoli, quæ mala, extirpari possunt.

37 (2) Studiorum, dictorum et factorum omnium examinatio.

38 Vt scilicet uirtutis ubique habeatur ratio, nec inconsulti quicquam suscipiatur.

39 (3) Singulorum occurrentium obiectorum consideratio.

40 Quippe permagni refert, hæc perspexisse, ac nosse, an uirtuti, an uitio materiam præbere possint.

41 VI. *Impedimenta* uaria sunt, potiora uero: (1) Debitæ sui cognitionis, actionumque suarum considerationis neglectus.

42. Hinc enim plurimas peccandi occasiones enasci, experientia docet.

43. (2) Vitiorum, uirtutis specie fallentium, susceptio.

44 Sic enim nec nosse ueras uirtutes datur, nec eas parare.

45 (3) Communis uiuendi consuetudinis imitatio.

46 Hæc enim cum peruersa admodum sit ac corrupta, praua quoque ad imitandum exempla inde capi, necesse est.

47 VII. *Diuisio* uirtutum non una apud doctores occurrit, sed uaria.

48 Vulgo, cum Aristotelicis, undecim numerantur uirtutes: Fortitudo, Temperantia, Liberalitas, Magnificencia, Modestia, Magnanimitas, Mansuetudo, Veritas, Comitas, Urbanitas, Iustitia.

49 Sed undenarius hic numerus, ut ineptus perinde ac uitiosus, iam pridem a cordatiorum Doctorum scholis exulare coepit.

50 Scholastici, Platonicos potissimum ac Stoicos secuti, quatuor constituunt uirtutes cardinales, seu principes, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam ac Iustitiam.

51 Has non uetustissimae tantum Graeciae Philosophos, sed Romanorum quoque sapientes, agnouisse, dicunt.

52 Quare, Perlarum Regem quatuor usum fuisse Magistris, uno Prudentiae, Temperantiae altero, Iustitiae tertio, et Fortitudinis quarto, ex Platone referunt.

53 Et ipsum Imperatorem praeceptis suis de honeste uiuendo, neminem laedendo, ac suum cuique tribuendo, ad quatuor has uirtutes respexisse, dicunt.

54 Sed, praeterquam quod prudentia ad uirtutes intellectuales, non morales, proprie spectet, multa hic, praesertim circa fortitudinem et temperantiam, moneri possunt.

55 Quare, dimissa uulgari diuidendi ratione, nos unicam quidem, dicemus, esse uirtutem, sed distincta eius officia.

56 Nimirum unicum est studium, se suasque actiones ad legis praescriptum accommodandi.

57 At diuersa sunt obiecta, circa quae uersatur, et diuersi, quibus se exerit, modi.

58 Hinc igitur diuersa uirtutis fluunt officia, quae alias particulares, seu speciales, uocari solent uirtutes.

59 Ab ipsa autem uirtute non aliter differunt, quam ut actus, ab habituali quadam dispositione prouenientes.

60 Adeoque officium h. l. non specialiter accipitur, ut singulare denotet munus, a ciuitate, aut superiore impositum, et certa iura ac commoda complexum.

61 Sed generaliter sumitur pro actione, ex uirtute, habitualiter, s. subiectiue spectata, proueniente, cumque praescriptis legum congruente.

T

Equi-

62 Equidem uox officii iis saepe actionibus tribuitur, quae ex uirtute, seu studio actiones suas ad uoluntatem diuinam componendi, non procedunt, sed externo saltem respectu legibus sunt conformes.

63 Verum eiusmodi actiones, utpote materialiter tantum, non formaliter, bonae, officiorum nomen haud merentur.

64 Nobis itaque proprio sensu officia dicuntur actiones, ex studio uoluntati diuinae sese conformandi profectae, legumque praescripto, pro ratione obligationis, accommodatae.

65 Sicut ipsum hoc studium, seu habitualis animi propensio, uirtutis nomine nobis uenit.

66 Cum autem ad tria potissimum obiecta uirtus referri possit, ad Deum, ad hominem ipsum, et ad alios homines, tres etiam, uirtutes, ueluti cardinales, inde oriri dicuntur.

67 Harum nomina sunt: Pietas, Temperantia et Iustitia, seu Charitas.

68 Sicque pietas est serium et constans studium in iis, quae ad debitum Dei cultum pertinent, diuinam uoluntatem adimplendi.

69 Temperantia, in latiori accepta sensu, tale inuoluit studium, ratione omnium eorum, quae hominis erga se ipsum officia concernunt.

70 Iustitia denique, in latissimo pariter ambitu spectata, simile denotat studium in officiis erga alios homines uniuersis, tum generalibus, tum specialibus, ac specialissimis, ad uoluntatem Dei sese conformandi.

71 Quae autem et pietatis et temperantiae et iustitiae sint officia, Iurisprudentia naturalis, ueluti actionum humanarum, ad actuale legis obsequium componendarum, directrix, docet.

72 Ea igitur infra trademus, et quidem ita, ut unicum iustitiae uocabulum, ueluti disciplinae iuris proprium, simus adhibaturi.

73 Quippe uirtus omnis, quatenus in officiis suis a lege naturali dirigitur, siue ad Deum, siue ad hominem ipsum, siue ad alios homines, nec non creaturas caeteras, referatur, iustitiae nomine uenire potest.

74 VIII. *Oppositum* virtutis est vitium morale, seu propensio habitualis ea faciendi, quae uoluntati legique diuinae aduersantur.

75 Sic habitualiter, seu subiectiue, sumitur pro qualitate, actualiter autem, seu obiectiue, uirtutis officio opponitur, ipsamque legis transgressionem, seu peccatum, denotat.

76 Adeoque haec tria, vitium, peccatum et malitia differunt, vitium et peccatum, ut habitus et actus, malitia, ut forma utriusque communis.

77 Quemadmodum peccatum, delictum, crimen, iniuria, culpa et scandalum quoque differunt.

78 Peccatum enim dicitur respectu legis diuinae, delictum ratione legis humanae, crimen est gradus delicti intentior, iniuria est laesio alterius contra ius suum, culpa imputationem causatur, scandalum peccandi occasionem praebet.

79 Diuiditur vitium, pro actu sumtum, uarie, in uniuersale, uel particulare, in plenum, uel semiplenum, in omissionis, uel commissionis vitium.

80 Communissima diuisio est, qua, per declinationem suam a uirtute et norma sua, in excessum et defectum dispescitur.

81 Additur a quibusdam tertium quoddam uirtutis oppositum, scilicet vitium per alienationem, quo aliena assumitur materia, seu aliud obiectum, quam uirtus requirit.

82 Verum faceffere hinc iubeamus isthanc diuisionem, et eodem, quo uirtutem distinximus, modo vitium quoque distinguamus.

83 Nimirum ratione trium, circa quae sese exerit, obiectorum, Dei, hominis ipsius, et hominum aliorum.

84 Hinc oriuntur tria ueluti uitia cardinalia, Impietas, Intemperantia et Iniustitia.

85 Quae, cum trium uirtutum cardinalium sint opposita, infra pariter, ubi has exponemus, pertractanda erunt.

86 IX. *Axiomata* sunt: (1) Equidem non datur liber moralis, quin prolixam *ἀρετολογία*, seu tractationem uirtutis, contineat.

87 (2) Verum tot otiosae plerumque miscentur discepciones,

ut praestantissima alias doctrina in scholasticae tantum ambitionis, aut ostentationis, instrumentum vertatur.

88 (3) Ecquid enim vitae civili prodest, de uirtutum Aristotelicarum definitione, appellatione, connexione, earumque oppositis operose disputare, aut integra etiam uolumina conscribere?

89 (4) Disquirendum potius est, quid uera sit uirtus? quos habeat characteres? quae praestare debeat officia?

90 (5) Nosse oportet, uirtutis laudem in actione consistere, nec fructuosam esse doctrinam, quae uirtute careat.

91 (6) Considerare inprimis iuuat, quanta uirtutis sit excellentia, pulchritudo et dignitas,

92 (7) Hac enim sola homo est, quod esse debet, perfectior nimium, dignior sanctiorque creatura.

93 (8) Quemadmodum igitur Socrates discipulos suos hortatus est, ut crebro se in speculo contuerentur, nec forma sua indignum quid admitterent.

94 (9) Ita homo uirtutem quotidie ante oculos sibi statuatur, ut eius praesentia ad bene agendum excitetur.

MEMBRVM II.

DE

VIRTUTIS CONSECVTIVO FORMALI, SEV HONESTO.

I. Ratio appellationis. II. Acceptio. III. Definitio. IV. Differentia a iusto. V. Cautelae. VI. Scriptores. VII. Axiomata.

I.

Ratio appellationis est, quod honestum, prout hoc nobis loco furnitur, uirtutem consequitur, ueluti proprium quarti modi, ut Logici loquuntur.

2 Nimirum, sicuti uoluntatis bonitas, et habitualis ad uoluntatem Dei, semper et ubique obseruandam, propensio, constitutum uirtutis formale dici potest, h. e. id, quo posito, uirtus moralis formaliter in esse suo constituitur.

3 Ita honestum non inepte consecutium eius formale, seu necessaria-

cessarium, haberi potest, h. e. illud, quod uirtutem, in esse suo constitutam, uelut affectio praecipua, consequitur.

4 Vnde actiones, ex uirtute procedentes, seu, termino barbaro, uirtuosae, κατ' ἐξοχὴν honestae uocari solent.

5 Quo etiam respectu nos, facta a potiori denominatione, Ethicam hanc inscripsimus de uirtute morali, seu de eo, quod circa mores hominum quorumuis honestum, uel inhonestum etc. est.

6 II. Accipitur uero τὸ honestum, ut uocabulum πολυσημον, seu ἐν τῶν πολλαχῶς λεγομένων, multifariam.

7 (1) In sensu ueluti natiuo, quatenus ab honore descendit, id denotat, quod hominem honore, saltem externo, dignum reddit.

8 Sic dicitur uir honestus, h. e. diues l. 52. §. 21. ff. furti, uiri honestiores, seu honestis natalibus orti, i. e. digniores l. 38. §. 3. ff. de poenis, honesta matrona, i. e. melioris famae l. 41. ff. de R. N.

9 (2) In sensu Iuridico idem est, ac iustum, legibus conueniens, inculpatum, et non turpe, seu contra bonos mores, item decorum et laudabile, nec non aequum.

10 Sic arbiter aliquid non honestum iubere dicitur l. 21. §. 7. ff. de recept. arbitr. porro testis requiritur honestae et inculpatae uitae l. 3. pr. ff. de testibus, et quaedam honeste peti dicuntur l. 2. §. 1. ff. de extraord. cognit.

11 (3) In sensu Ethico, adeoque proprio, simplici, aut incomplexo, id designat, quod, respectu internae bonitatis ac uirtutis, bonum, pulchrum, praestans, hominisque dignitati, aut excellentiae conueniens est.

12 Scilicet homo, intuitu Rationis, singularem quandam ἐξοχὴν, seu eminentiam, prae caeteris animantibus cunctis, sustinet.

13 Ratio quippe, ut supra docuimus, est illustre hominis insigne, ad nobilissimos fines a Deo concessum.

14 Est Summae Mentis quoddam ueluti ἀπὸ γέφυρον, quo homo sanctius euadit animal ac diuinus.

15 Quicumque igitur Rationem sequitur, huicque characteri distinctiuo conformiter agit, dignitatem suam, seu honestatem, homini propriam, tuetur.

16 Contra, qui, neglecta Ratione, id tantum sequitur, quod sensibus arridet, prauasque cupiditates explere potest, infra dignitatem humanam, in brutorum ueluti fortem sese abiicit, suamque adeo honestatem perdit.

17 Quemadmodum, e. g. minister Principis inhoneste, seu indigne, agere diceretur, sicubi, plebei iustar hominis, conuiuari, pocula, ludos et tesseras tractare, aut choreas ducere uellet.

18 Rationem uero sequi, seu Rationaliter agere, in Philosophia morali idem est, ac secundum uirtutem, ex uirtute, seu uirtuose agere.

19 Studium quippe se suasque actiones omnes uoluntati legique diuinae conformandi, quod nobis est uirtus, Ratione nititur.

20 Non, quasi Ratio sit ipsa lex Dei naturalis, ut multi, praesertim Icti, metonymice, seu per hypallagen loquendo, docere solent.

21 Sed quia Ratio, ut supra docuimus, est medium uoluntatem Dei, eiusue legem naturalem, seu hominibus connatam, cognoscendi, et quidem efficaciter.

22 Nimirum practicum illud intellectus iudicium, quod conscientia dicitur, uoluntatem hominis in propensionibus et operationibus dirigit.

23 Hoc iudicium nisi rectum fuerit, nec rectae, seu debitae, erunt uoluntatis humanae operationes.

24 Rectum iudicium esse nequit, nisi naturae rerum, in relatione ad hominem consideratarum, sit conforme.

25 Naturae enim rerum, ut intellectum in cognoscendo, ita uoluntatem in operando, conformare Deus hominem iubet.

26 Haec Dei est uoluntas, legisque naturalis summa, ut infra docuimus.

27 At rectum iudicium non, nisi a Ratione, procedere potest.

28 Rationi quippe naturam rerum cognoscere datum est, ut supra demonstraui.

29 Rectum eiusmodi iudicium est recta conscientia.

30 Recta conscientia, legis diuinae iussa suggerens, non nudo informandi docendique munere defungitur.

31 Monet

31 Monet etiam, minatur, arguit, impellit, exstimulat, angit, cruciat, etc.

32 Ergo Rationi, uoluntatem Dei efficaciter suggerenti, in omnibus suis actionibus attendere idem est, ac uirtutem, seu studium se suasque operationes uoluntati diuinæ conformandi, exerere.

33 Et hoc demum est honeste agere, seu dignitati et excellentiæ humanæ conuenienter.

34 Praesertim cum uoluntas Dei sit sapientissima et optima, adeoque, qui huic conuenienter agit, sapienter et optime agat.

35 III. *Definiri* itaque τὸ honestum, seu honestas, potest, quod sit qualitas moralis, ex interna actionum humanarum rectitudine, seu conformitate cum recta Ratione, aut uirtute, proueniens, cum dignitate hominis, ut creaturae Rationalis, hocque nomine nobilissimæ, consentiens, eamque adeo in ἀκμῇ sua cōseruans.

36 Breuius: Est laus, decus, honor et praestantia hominis, ex uirtute omnia agentis.

37 Dicitur alias pulchritudo hominis interna, seu animi, eadem ferè ratione, ac Graecis τὸ καλὸν et bonum et pulchrum significat.

38 Nimirum, sicuti pulchritudo, seu formositas corporis, in eleganti omnium partium ordine, harmonia et consensu consistit.

39 Ita honestas in concinna quadam propensionum et actionum omnium conuenientia cum dictamine rectae Rationis sita est.

40 Quod dictamen cum rerum omnium ordinationem ad fines, a sapientissimo creatore praestitutos, concernat, non potest non pulcherrimus inde ordo prouenire.

41 Non secus, ac Respublica illa, in qua ad sapientis uoluntatem rectoris omnia fiunt, ordinata beneque disposita audit.

42 Vt adeo, in omni ratione uitæ, dispositione atque ordine nihil pulchrius esse, recte dixerit Columella.

43 Quo etiam factum, ut, quos libros alii de officiis inscripserunt, Nicolaus Damascenus eodem super argumento commentantes de interiori pulchritudine insigniuerit.

44 IV. *Differre* honestum, quale nos descripsimus, a iusto, ex hucdum dictis facile patet.

45 Quip-

45 Quippe differunt (1) ratione causae efficientis, cum honestum sit a uirtute, iustum a lege.

46 (2) Ratione subiecti, cum honestum non detur, nisi in homine probo, qui ex interna uoluntatis bonitate et uirtute ac legis diuinæ amore operatur, iustum uero etiam in hominem improbum, qui externe tantum leges obseruat, cadat.

47 (3) Ratione obiecti, cum honestum concernat omnes uoluntatis operationes, tum internas, tum externas, ex uirtute et interna probitate fluentes, etiam liberas et arbitrarias, iustum uero actiones potissimum externas, necessarias ac debitas, legum praecripto attemperatas, adeoque etiam materialiter tantum iustas.

48 (4) Ratione formae, cum honestum consistat in conformitate affectuum, consiliorum actionumque omnium cum Ratione, diuinæ uoluntatis dictatrice, seu in uirtute, iustum in conuenientia actionum cum lege, seu *in uoluptate*, saltem externa.

49 (5) Ratione finis, cum honestum pro fine habeat hominis perfectionem, sapientiam, dignitatem ac praestantiam, iustum uero obligationis ac debiti praestationem.

50 (6) Ratione effectus, cum honestum hominis actiones reddat eximias, formaliter et perfecte bonas, praemioque dignas, iustum uero uulgares, legi conformes, identidem materialiter tantum bonas, nihilque merentes.

51 V. *Cautelae* tamen, quo recte distincteque haec percipiantur, notandae sunt sequentes:

52 (1) Cauendum, ne honestum, in sensu complexo, generali ac latiori acceptum, hic intelligatur.

53 Tale enim et honestum, stricte, seu specialiter sumtum, et iustum, seu legibus conueniens, complectitur, adeoque huius loci haud est.

54 (2) Cauendum, ne, dum honesti ac iusti discrimen hic docemus, unum ab altero, salua hominis probitate, abesse posse putetur.

55 Quippe tam parum honestum sine iusto, et iustum sine honesto,

nesto, in homine probo esse potest, ac, positis agendi requisitis, uirtus sine actionibus, seu officiis.

56 (3) Cauendum, ne iustum, in relatione ad actum, seu tantum materialiter, spectatum, cum iusto, in relatione ad actum et habitum simul, seu materialiter et formaliter, sumto, confundatur.

57 Etenim ad iustum, in sensu posteriori acceptum, quatenus ex uirtute procedit, non omnia quadrant, quae circa discrimen iusti et honesti attulimus.

58 (4) Cauendum, ne iustum, quod ex pacto seu prouidentia iuris, aut obligatione perfecta tale est, idem iudicetur, atque id, quod ex naturali iudicio et rectae Rationis dictamine, seu debito imperfecto, pro iusto habetur.

59 Illud enim stricte et proprie iustum est, hoc autem ad honestum, uel saltem aequum, proxime accedit.

60 VI. *Scriptores*, huc potissimum referendi, sunt: (1) Racheilius (2) Cocceius (3) Stryckius (4) Thomasius (5) Buddeus (6) Aegidius.

61 VII. *Axiomata* sunt: (1) Si ulla habetur materia, quam tractare et perquirere operae pretium est, honesti sane doctrina cense-ri debet.

62 (2) Haec quippe naturalem hominis nobilitatem, excellentiam ac pulchritudinem concernit.

63 (3) Si igitur externa corporum formositas dignitatem et uenerationem conciliare apta est, quidni animus, admirabili honestatis decore exornatus?

64 (4) Etenim tanta honesti est forma, ut, si oculis concer-neretur, mirabiles sui ardentisque amores excitatura foret.

65 (5) Augustissima quaeque species de coelo plurimum trahere creditur.

66 (6) Ipsa natura magnis mentibus domicilia corporum di-gna metatur.

67 (7) Ex ipso hominis uultu ac membrorum decore colligi potest, quantus coelestis spiritus intrarit habitator.

68 (8) At praestantior longe digniorque est animi, honesta-tem tuentis, pulchritudo.

69 (9) Haec deforme etiam Aesopi corpus, faciemque Socratis inconditam, mira quadam venustate exornare potest.

70 (10) Dolendum modo est, nobilissimam hanc doctrinam, ea, qua par est, ratione, a paucissimis proponi.

71 (11) Equidem multi in hoc scribendi genere suam impendere operam sustinuerunt.

72 (12) At leuiter, sine debita attentione, et accurata disquisitione.

73 (13) Vt adeo hic ampla commentandi materia, latissimusque de meliori philosophia merendi campus supersit.

74 (14) Neque enim laudabilius quicquam censeretur, quam simili defungi labore.

MEMBRUM III.

DE

COGNATO VIRTUTIS, SEV DECORO.

I. *Notatio uocis.* II. *Definitio.* III. *Differentia ab honesto.* IV. *Obiectum.* V. *Diuisio.* VI. *Criteria.* VII. *Adminicula.* VIII. *Scriptores.* IX. *Axiomata.*

I L

Vox decori dicitur a decendo, adeoque, ratione etymi, id denotat, quod hominem, honestatis dignitatisque studiosum, decet.

2 Quippe fundamentum decori est dignitas, quam homini uel naturam concessit, uel fortuna.

3 Dignitas naturae concernit excellentiam et praestantiam hominis, in honestate bonisque internis sitam.

4 Dignitas fortunae nititur externa praerogatiua, quam e.g. natales, honores, opes et potentia afferunt.

5 Vtramque debitis tueri modis Ratio iubet.

6 Quo perfectior enim et excellentior homo euadit, eo propius ad diuinum accedit characterem.

7 Hoc etiam respectu decorum honesti dicimus cognatum.

8 Est quidem decorum quoddam, ciuile in primis et arbitrarium, quod nullam, aut forte exiguam, cum honesto rationem habet, indifferentes usuque receptos agendi modos concernens.

9 At

9 At decorum naturale, necessarium, et proprie, in sensu eminentiori acceptum, arcta omnino affinitate cum honesto coniunctum est.

10 Tale Cicero dicit, quod totum cum uirtute sit confusum, et cogitatione magis ab ea, quam re separari possit.

11 Et eiusmodi decorum, facta a potiori denominatione, nos potissimum intelligimus.

12 II. *Definiri* autem, uel describi, potest decorum, quod sit certus agendi dicendiue modus, ad honestatis dignitatisque tuendae regulas, pro circumstantiarum ratione, accommodatus.

13 Nimirum, sicut honestum homini, qua tali, seu quatenus creatura est rationalis, ad acquirendam recti probique hominis dignitatem conuenit.

14 Ita decorum eidem, quatenus iam honestus est, ad honestatem, actionibus externis tuendam, laudemque simul et existimationem hominis morati obtinendam, congruit.

15 III. *Differunt* tamen honestum et decorum sequenti potissimum modo :

16 (1) *Ratione principii* : honestum ab ipsa Ratione est, decorum etiam ab opinione, usu et consuetudine hominum.

17 (2) *Ratione subiecti* : honestum obtinet in homine probo, uirtutis amante, et Rationaliter uiuente, decorum, saltem improprie dictum, etiam in homine improbiore.

18 (3) *Ratione obiecti* : honestum concernit actiones necessarias, ex uirtute proficiscentes, decorum etiam arbitrarias, ad quaecumque decus externum conformatas.

19 (4) *Ratione formae* : honestum consistit in congruentia actionum cum recta Ratione, adeoque in pulchritudine interna, decorum in conuenientia cum moribus et institutis hominum, adeoque in concinnitate externa.

20 (5) *Ratione adiuncti* : honestum est immutabile, decorum mutabile.

21 (6) *Ratione finis* : honestum refertur ad uoluntatis diuinæ

adimpletionem, Deoque placendi studium, decorum ad uitam socialem, hominumque beneuolentiam et amicitiam.

22 (7) Ratione effectus : honestum praestantiam ac dignationem humanam in *animi* sua conseruat, bonique uiri existimationem parit, decorum ad externam dignitatem tuendam, laudemque uiri morati parandam facit.

23 IV. *Obiectum*, et quidem generale, sunt omnes hominum actiones, quocunque demum modo fiant.

24 Vnde tot fere decori species habentur, quot sunt actiones.

25 Aliud quippe decorum datur in cibo, potu, uestitu, aliud in motu corporis, aut gestibus, aliud in sermone, aliud in honoris praestatione, officiorum oblatione etc.

26 V. *Diuiditur* tamen decorum potissimum (1) ratione principii, seu fundamenti, in naturale, quod cum ipsa hominis, ut creaturae rationalis, natura, seu honestate, nexum habet, et ciuile, seu politicum, quod arbitrio hominum institutione nititur.

27 (2) Ratione subiecti, in uniuersale, seu commune, quod apud omnes, seu plerasque, gentes est receptum, et particulare, seu proprium, quod certas tantum inter gentes obtinet.

28 (3) Ratione obiecti specialis, in publicum, quod ceremonias, in publicis actibus adhiberi solitas, complectitur, et priuatum, quod priuatam uiuendi rationem concernit.

29 VI. *Criteria*, unde decorum, indecorumue, cognosci potest, haec praecipua sunt :

30 (1) Quod ad honestum et iustum prope accedit, seu praestando uirtutis officio inseruit, illud decorum haberi debet, et contra, quod contra.

31 (2) Quod hominis probi, modesti, commodi et socialis indolem declarare aptum est, illud decorum haberi debet, et c. q. c.

32 (3) Quod meliorum, honoratiorum ac prudentiorum hominum moribus conuenit, illud decorum haberi debet, et c. q. c.

33 (4) Quod aliorum approbationem, existimationem, laudem, conuersationem et amorem conciliare potest, illud decorum haberi debet, et c. q. c.

34 (5) Quod consuetudine, non iniusta, aut irrationali, receptum est, illud decorum haberi debet, et c. q. c.

35 (6) Quod circumstantiis, e. g. temporis, loci et personarum, consentit, illud decorum haberi debet, et c. q. c.

36 VII. *Adminicula* et acquirendi et perficiendi decori sunt : (1) Conuersatio cum iis, qui decentes prae se ferre mores existimantur.

37 (2) Imitatio eorum, qui digniores habentur et praestantiores.

38 (3) Lectio librorum, qui homileticas, ut uulgo dicuntur, uirtutes proponunt.

39 VIII. *Scriptores* uero, hic legendi, uarii sunt generis.

40 Alii quippe strictim, et ex occasione, suis de doctrina morum praeceptis *πρεπολογίαν* insperserunt, uti (1) Buddeus (2) Thomafius (3) Rechenbergius (4) Becmannus (5) Hochstetterus (6) Omeisius (7) Placcius (8) Genzkenius (9) Gerhardi (10) Kemmerich (11) Iunckerus, ac plerique Philosophiae moralis Doctores.

41 Alii prolixè, et ex instituto, eam tradiderunt, uti, (1) Menckenius (2) Velthuyfius (3) Erasmus (4) Althusius (5) Sagittarius (6) Guazzi (7) Casa (8) Noble (9) Bellegarde (10) VVeisius (11) Menantes, et anonymi multi.

42 Alii mores aulicorum formare studuerunt, uti (1) Castilio (2) Gracian (3) VVagenseilius (4) Boeclerus (5) Oforius (6) Io. Sarisberienfis (7) Menapius (8) Niphus etc.

43 Alii denique ceremonias publicas sibi describendas sumferunt, uti (1) Seldenus (2) Feltmannus (3) Becmannus (4) de VVinterfeld (5) Leti (6) Struuius (7) Zwanzigius, et anonymi multi.

44 IX. *Axiomata* sunt : (1) Necessaria omnino ac perutilis est doctrina decori, ad ciuilem praecipue uitam.

45 (2) Quippe et honesti pudoris custodiae, et bonae existimationis studio maxime inferuit.

46 (3) Homines reddit moratos, aliorum consortio, amore ac beneuolentia dignos.

47 (4) Nec difficile adeo est, rectam eius tenere rationem.

48 (5) Modo debita adhibeatur prudentia, accurata nimirum circumspectio, ac iusta discretio.

49 (6) Cauendum inprimis est, ne anxium, intempestiuum, aut affectatum decori uideatur studium.

50 (7) Equidem larga ac liberalior officiorum oblatio obsequii significatio, aut amoris declaratio, dummodo sincera sit, indecora haud est.

51 (8) Attamen complementorum, ut uulgo dicuntur, uerbo-
sitas uitanda est, et assiduitas.

52 (9) Quippe grauiora tractantibus negotia et taedium affert,
et impedimentum.

53 (10) Praesertim, si erga superiorem adhibeatur ab inferiore.

54 (11) Principes enim, seriis intenti rebus, officiorum inania transmittunt, speciosaque uenerantium obsequia, ac personatas magnifice nugas, Alexandri Farnesii exemplo, ridere solent.

55 (12) Probe etiam distinguendae sunt ceremoniae officii, utilitatis et uanitatis.

56 (13) Ceremoniae officii non arbitrio nostro, sed communi consuetudine metiendae sunt.

57 (14) Ceremoniae utilitatis adulatorum, aut parasitorum propriae sunt, hocque nomine omnino detestandae.

58 (15) Ceremoniae uanitatis otiosum ac stolidum produunt hominem, adeoque maxime dedecent.

59 (16) Sic mundities corporis uestiumque concinnitas non exiguum ad decus et existimationem momentum affert.

60 (17) At nimiam hic adhibere curam, aut affectatae studere singularitati, uani est hominis, et inepti.

61 (18) Statuendum igitur est, eundem pulchritudinis, elegantiae ac cultus omnis esse usum, atque aromatum.

62 (19) Vt enim haec, si condimenti loco habentur, ualitudinem firmant, sin efcae, destruunt.

63 (20) Ita morum decentiam cultus modicus conseruat, effusus peruertit.

T A N T V M !

SCIENTIAE
DE
PRVDENTIA MORALI
VNIVERSA
PARS II.
IVS NATVRAE
SEV
PRVDENTIA IVRIS NATVRAE
DE EO
QVOD CIRCA MORES HOMINVM QVORVMVIS
IN STATV NATVRALI QVATENVS SVNT
HOMINES IVSTVM VEL INIV-
STVM EST.

IOACHIM. MARTIN. VNVERFAERTH
cap. VIII. Introduct. in Iurisprud.
uniuersal. §. VII. p. 376.

*Quid iuris sit naturalis uniuersi humani generis,
definit Ethicus : idque partem iuris ciuilem facit Ictus,
attendens tamen non semper omnium Rerum publica-
rum, sed potissimum unius ciuilem societatis usum et
noxam.*

INTRODVCTIO.

I.

Virtus, emendatae uoluntatis humanae proprietas, est inclinatio, seu propensio habitualis se suasque actiones omnes ad uoluntatem Dei componendi, suumque amorem obedientiae Deo probandi.

2 Haec non otiosa est, in nudo proposito subsistens, sed studiosa maxime, et actiuosa, per uarias sese exerens actiones, pro uariis, circa quae uersatur, obiectis.

3 Quae actiones, cum debito modo ad debita obiecta sint accommodandae, aliqua norma directrice opus habent.

4 Tali nimirum, quae uoluntatem, alias in agendo liberam, ad certas actiones certumque agendi modum dirigat et adstringat.

5 Ita quidem, ne libertate sua abuti possit, et, quicquid libitum fuerit, circa quoduis obiectum agere.

6 Praesertim cum eundem in finem Deus homini concefferit mentem, seu cognoscendi ac iudicandi, adeoque certam quoque normam intelligendi, facultatem.

7 Norma talis est lex, seu ius, agendum omittendumue praescribens, adeoque uoluntatis libertatem, ratione certarum actionum, circumscribens, siue intercludens.

8 Est enim lex, proprie dicta, uoluntas superioris, qui et iustas imperandi causas et ualidas cogendi uires habet.

9 Vnde etiam recta iubendi prohibendique ratio, et actionum moralium regula, typus et forma dicitur.

10 Quoties itaque uirtus, in agendo occupata, normae tali attendit, eamue sequitur, recte et iuste agit, seu officia sua debite praestat.

11 Quippe actio, ex uirtute profecta, et legis praescripto attemperata, officium, in sensu proprio acceptum, uocari solet.

12 Sigillatim uero, respectu conuenientiae cum lege, actio talis dicitur iusta, intuitu uirtutis, honesta.

13 De uirtute, quaeque inde prouenit, honestate agit Ethica, legem, huiusque finem et effectum, iustitiam, tradit Iurisprudentia.

X

14 Si

14 Sicut autem uariae sunt leges, aliae diuinae, aliae humanae, quaedam naturales, quaedam positivae, nonnullae uniuersales, aliquae particulares etc. ita uaria etiam est Iurisprudentia.

15 Praecipua, antiquissima, uniuersalissima et sanctissima est Iuris prudentia diuina, eademque naturalis.

16 Haec quippe leges diuinas naturales, seu uoluntatem Dei, ex ipsa rerum natura per Rationem cognoscendam, omnibus ac singulis hominibus tradit.

17 Adeoque uirtutis, in Ethica comparatae, officia dirigit, seu actiones hominum morales, ex uirtute fluentes, pro natura obiectorum, diuinae uoluntati conformare docet.

18 Naturalis haec Iurisprudentia proximum ab Ethica locum obtinet, nobisque adeo in secunda hac parte explicanda uenit.

19 Et quidem ratione hominum singulorum, in statu naturali consideratorum, h. e. quatenus sunt homines naturaliter sibi aequales, nullo ciuitatis uinculo, sub aliquo imperio, colligati.

20 Quoniam uero paedia postulat, ut specialioribus praemittantur generaliora, hic etiam de Iurisprudentia in genere agendum est prius, quam ad Iurisprudentiam in specie, seu naturalem aggrediamur.

21 Pars igitur praeliminaris duas complectitur Sectiones, unam de Praecognitis Iuris in genere, alteram de Praecognitis Iuris in specie, seu Iuris Naturae.

22 Prior tractat (α) de Iurisprudentia in genere, Membr. I. (β) de Natura et indole Iuris in genere, Membr. II. (γ) de Iure permissiuo, seu concessiuo, Membr. III. (δ) de Interpretatione Iuris, Membr. IV. et (ϵ) de Temperamento Iuris, seu aequitate, Membr. V.

23 Posterior agit (α) de natura et indole I. N. Membr. I. (β) de historia I. N. Membr. II. et (γ) de fundamento, seu principio I. N. Membr. III.

24 Pars principalis exhibet actus iustitiae naturalis, seu officia, ex lege naturali debita, quatuor comprehensa Sectionibus, pro quadruplici scilicet respectu (α) supra nos, (β) intra nos, (γ) iuxta nos, et (δ) infra nos.

25 Pri-

25 Prima Sectio, habito respectu supra nos, proponit actus iustitiae naturalis circa (α) Deum, Creatorem, Membr. I. et (β) Spiritus creatos, Membr. II.

26 Secunda, habito respectu intra nos, tradit actus iustitiae naturalis circa animae et corporis coniunctionem, seu uitam, et quidem (α) recte utendam, Membr. I. (β) debite conseruandam, Membr. II. et (γ) iuste defendendam, Membr. III.

27 Tertia, habito respectu iuxta nos, exponit actus iustitiae naturalis circa alios homines, iuxta nos uiuentes, eosque consideratos in statu naturali, partim absoluto, Membr. I. partim hypothetico, Membr. II. et quidem subnixo uel certis institutis, Artic. I. uidelicet (α) Sermone, Inspect. I. (β) Pacto, Inspect. II. et (γ) Dominio, Inspect. III. uel peculiari relatione, Artic. II. qualis est inter (α) Maritum et uxorem, Inspect. I. (β) Parentes et liberos, Inspect. II. (γ) Dominum et seruum, Inspect. III. et (δ) Familias coniunctas, Inspect. IV.

28 Quarta, habito respectu infra nos, docet actus iustitiae naturalis circa res, humana sorte non comprehensas, nempe (α) Corpora defunctorum, Membr. I. et (β) Creaturas naturae inferioris, tam inanimatas, quam animatas, Membr. II.

PARS PRAELIMINARIS

DE

PRAECOGNITIS TVM IVRIS IN GENERE, TVM IVRIS NATVRAE IN SPECIE.

SECTIO I.

DE

PRAECOGNITIS IVRIS IN GENERE.

SVMmatim, seu strictim, hic tractari potest (1) de Iuris prudentia in genere (2) de Natura et indole Iuris in genere (3) de Iure permissiuo, seu concessiuo (4) de Interpretatione Iuris (5) de Temperamento Iuris, seu aequitate.

X 2

MEM-

MEMBRUM I.

DE

IURISPRUDENTIA IN GENERE.

I. *Ratio tractationis.* II. *Notatio uocis.* III. *Definitio.* IV. *Diuisio.*
V. *Adminicula.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.*

I L

Ratio tractationis est, quod Iurisprudentia circa Ius hic exponendum, ut obiectum suum, uersetur, illud uel statuendo, uel explicando, uel applicando.

2 Quare indolem eius ac naturam paulum indagare paedia, seu recta docendi discendique ratio, postulat.

3 II. *Vox* Iurisprudentiae autem componitur ex uocibus Iuris et prudentiae, quarum haec in Ethica fuit explicata, illa uero proximo Membro exponetur.

4 Dicitur alias peritia Iuris, scientia legitima, iusti atque iniusti scientia, aequi et boni notitia.

5 Adeoque inutilis est controuersia eorum, qui, an Iurisprudentia etiam scientia, ars et sapientia dici possit, disceptant, ut recte iudicat illustis Vnuerfärth.

6 Salutatur etiam Philosophia, et quidem uera, non simulata, ab Vlpiano in l. 1. §. 1. ff. de l. et l.

7 More nimirum ueteribus recepto, quo Iuris disciplinam Philosophiae nomine insignire consueuerunt.

8 Quare eadem quoque Iurisprudentiae et Philosophiae definitio est, diuinarum scilicet atque humanarum rerum notitia.

9 Et ueteres I Ctos non tantum Sophos et Philosophos dictos, sed plerosque etiam Philosophos fuisse, constat ex l. 2. §. 47. ff. de O. l.

10 Quin ipse Princeps, quia omnia iura in scrinio pectoris habere existimatur, Philosophiae plenus perhibetur l. 19. C. de testam. et l. penult. C. de his, quibus, ut indign.

11 III. *Definiri* potest Iurisprudentia, generaliter et habitualiter accepta, per noticiam legum, cum facultate eas ad actiones hominum rite applicandi.

12 Plenius per facultatem leges salutare cuicunque societati ferendi,

rendi, et a superiore latas, riteque cognitās, dextre interpretandi, ac prudenter applicandi, ut iustitia et felicitas inter homines uigeat.

13 Nota est definitio ICorum Romanorum, ante commemorata, qua dicitur diuinarum atque humanarum rerum notitia.

14 Alias, in sensu systematico, seu disciplinari, accepta, est doctrina practica, docens, quid iure de quaque re sit constituendum, uel constitutum.

15 Vnde dicitur ars boni et aequi l. i. pr. ff. de l. et l. h. e. systema, seu complexio praeceptorum Iuris.

16 Quo sensu etiam corpus Iuris uocatur l. un. pr. C. de rei uxor. act. conf. l. un. C. Theodos. de respons. prudent. lib. i. tit. 4.

17 IV. *Diuiditur* autem Iurisprudentia, (1) ratione obiecti materialis, in uniuersalem et particularem.

18 Vniuersalis occupatur circa leges diuinas uniuersales, tum naturales, tum positivas, sine respectu ad certam Rempublicam.

19 Particularis tradit leges diuinas et humanas particulares, intuitu certae ciuitatis.

20 Vtraque in tot subdiuidi potest species, in quor distribuuntur leges, ut infra uidebimus.

21 (2) Ratione obiecti formalis, in nomotheticam, buleuticam et dicasticam.

22 Nomothetica, seu legislatoria, aut architectonica, versatur circa leges, in certam societatem introducendas, iustitiae et salutis causa.

23 Buleutica, seu consultatoria, aut deliberatiua, consistit in deliberatione, aut consultatione eorum, quae Reipublicae expediunt, adeoque legibus uel praecipi, uel permitti debent.

24 Dicastica, seu iudiciaria, aut administrativa, curat legum, in Republ. constitutarum, explicationem, et applicationem ad subditorum actiones.

25 Illa est Principum ac Magistratuum, ista Ministrorum et Consiliariorum, haec Doctorum ac Iudicum.

26 V. *Adminicula* comparandae Iurisprudentiae sunt uel generalia, uel specialia.

27 Generalia sunt (1) natua mentis humanae bonitas, seu *Quis*,

in uegetis animi facultatibus, maxime iudicio, solertia, et similibus consistens, cui opponitur naturalis stupor.

28 (2) Bona, ordinata et fida institutio, seu *μάθησις*, cui opponitur peruersa docendi discendique ratio.

29 (3) Diligens legum tractatio, theoria et praxi, seu meditatione et usu, constans, seu *δασκαλία*, cui opponitur negligentia et uana doctrina.

30 Specialia sunt (1) scientia Philosophiae, quae tanta Iurisprudentiae subsidia praebet, ut Ictus non possit dici consummatus, nisi bonus sit Philosophus.

31 (2) Notitia historiae, tam antiquae, quam recentioris, cum exempla, inde deprompta, non parum lucis afferant ad aequi bonique inuestigationem.

32 (3) Peritia rerum et artium plurimarum, quia Iurisprudentia, ueluti rerum diuinarum humanarumque scientia, amplissimum habet obiectum.

33 VI. *Scriptores*, quos, abstrahendo a I. N. et C. huc referre possumus, uarii sunt.

34 Alii quippe de methodo studii Iuridici tractarunt, uti (1) Reusnerus (2) Duarenus (3) Balduinus (4) Gribaldus (5) Freigius (6) Haetaeus (7) Caluinus (8) Besoldus (9) Zasius (10) Tholosanus (11) Hennelius, etc.

35 Alii ~~de~~ *de* Iuris philosophiam, eiusque principia tradiderunt, uti (1) Schilterus (2) Hopperus (3) Marquytius (4) Choppius (5) Gualandus (6) Turturetus (7) Ehemius (8) Brandes (9) Praschius (10) Conringius (11) Keslerus, etc.

36 Alii introductionem in Iurisprudentiam uniuersalem consignarunt, ut (1) Meuius (2) Rachelius (3) Vnuerfaerth (4) Ernstius (5) Friedliebuis (6) Zentgraeuius.

37 Alii propria methodo systema Iuris adornarunt, uti (1) Renemannus (2) Tholosanus (3) Hunnius (4) Titius, etc.

38 Alii Scriptorum Iuridicorum recensionem exhibuerunt, ut (1) Draudius (2) Pauli (3) Beughem (4) Lippenius (5) Lynckerus (6) Beyërus (7) Struuius (8) Morhofius, et anonymi quidam.

39 VII.

39 VII. *Axiomata* sunt: (1) Praestantissima est Iurisprudencia, in omni uitae genere necessaria perinde, ac utilis.

40 (2) Neque immerito sapientia, aut Philosophia, uocatur, ut ICTi Philosophi, sapientes, ac sapientiae Magistri dicuntur.

41 (3) Est enim Philosophiae, et quidem pulcherrimae, pars agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam, quaeque Magistri Philosophiae docent, in usu habere.

42 (4) Utinam modo ICTi omnes uere sint Sapientes, h. e. boni, bonaque Philosophia instructi!

43 (5) Veram quippe sapientiam non, nisi in bonis atque inter bonos esse, ueteres etiam crediderunt, sapientem et bonum semper coniungentes.

44 (6) Sit igitur ICTus uir bonus, Deum reuerens, malitiam et scelera detestans, lus suum cuique publice ac priuatim tribuens.

45 (7) Sit integritatis amans, consilio, oratione et stylo iustum ab iniusto separans, aequum ab iniquo discernens, Dei, populi et priuatorum iura facta tectaue tuens.

46 (8) Sit sacerdos, in sanctissimo iustitiae templo assiduus, legumque sacratissimarum custos religiosus.

47 (9) Fugiat clamorosos ac uersutos istos rabulas, quibus, tanquam uulturiis togatis, aut crumenimulgis, iustitia uenalis est, et mature peritura, si emptorem inuenerit.

48 (10) Iniustissimum quippe est, iustitiae mercedem quaerere, et simulatae Philosophiae indicium, bouem in lingua habere.

49 (11) Contra uere philosophantes, pecuniam contemnunt, et miseris auxilia praebent, non lucri, sed iustitiae amore.

MEMBRUM II.

DE

NATURA ET INDOLE IVRIS IN GENERE.

I. *Notatio uocis.* II. *Acceptio.* III. *Definitio.* IV. *Causa efficiens.* V. *Subiectum.* VI. *Materia.* VII. *Forma.* VIII. *Effectus.* IX. *Finis.* X. *Partes.* XI. *Differentia a pacto et consilio.* XII. *Diuisio.* XIII. *Ufus.* XIV. *Contrarium.* XV. *Conseruersae.* XVI. *Axiomata.*

I I

I I.

Vox Iuris nonnullis quidem habetur uocabulum primitiuum, plerisque tamen deriuatiuum, uel a iubendo, uel a iuuando, uel a Ioue descendens.

2 Quae ultima deriuatio mythologia niti uidetur, quae iustitiam a Ioue genitam, Iouis filiam, apud Iouem in coelis, ut rerum humanarum praesidem, residere, gentiles dixerunt.

3 Quae etiam respectu Stoicis legum origo a Ioue deducitur, earumque uiolatio *Θεομαχίας* nomine uenit.

4 II. *Accipiuntur* autem Ius uarie, uti Grotius, eiusque commentatores, item Rhetius, Mauritius, alique docent, conf. l. II. ff. de l. et l.

5 Nimirum (1) pro titulo, seu legitima habendi ac possidendi causa, e.g. quando quis iure donationis aliquid possidere dicitur.

6 (2) Pro loco iudicii, ubi iustitia administratur, seu ius redditur, unde dicitur in ius uocare.

7 (3) Pro statu personarum, quando personae dicuntur esse sui, uel alieni iuris.

8 (4) Pro arte, seu Iurisprudentia, tum habitualiter, tum systematice sumpta, unde studiosi Iuris.

9 (5) Pro attributo personae, seu facultate morali, aut potestate, tum in personas, tum in res competente, unde imperium et dominium.

10 (6) Pro attributo actionis, seu actione iusta, quae legi congruit, siue obliganti, siue permittenti.

11 (7) Pro attributo legis, seu iussu, aut decreto superiorum, ut h. l.

12 III. *Definiri* itaque potest Ius, hoc sensu acceptum, quod sit uoluntas superioris, quocunque modo declarata, subditorum actiones ad Dei gloriam hominumque salutem ita dirigens, ut quasdam praecipiat, uel prohibeat, quasdam uero permittat.

13 Dicitur uoluntas, uocabulo in uulgo noto, adeoque claro et perspicuo, quamuis ab aliis, tanquam nimis remotum legis genus, reiciatur.

14 Autorem legis dicimus superiorem, adeoque legem proprie et stricte intellectam uolumus: quis uero superior sit, mox dicemus.

15 Dei

15 Dei gloriam hominumque salutem legis finem constituimus, infra pariter ubetius exponendum.

16 Vim denique legis indicamus, dum, eam actiones alias praecipere, uel prohibere, alias permittere, dicimus.

17 Vnde Ius praeceptuum et prohibituum, seu obligatorium, ac permissuum, de quo, cum pleniorum mereatur expositionem, Membro proximo agemus.

18 IV. *Causa efficiens*, seu autor, legis est superior, qui, pro legitimo, quod obtinet, imperio, leges praecipere, et, ut debite obseruentur, cogere potest.

19 Ergo duplex hic requiritur facultas, moralis, seu potestas legislatoria, iustis imperandi causis subnixa, et naturalis, seu potestas coactiua, uiribus sufficientibus suffulta.

20 Iustae imperandi causae potissimum habentur dependentia parentis ab imperante, et uoluntaria subiectio.

21 Vires sufficientes oriuntur a consociatione multorum, suas imperanti uires, pro officii ratione, ministrantium.

22 Adeoque frustra Hobbesius superiorem dicit hominem potentem, seu uiribus pollentem, atque Grotius quemuis innocentem.

23 V. *Subiectum* legis, seu Iuris, est homo inferior, seu legitimo imperio subiectus, et facultate legem cognoscendi et obseruandi instructus.

24 Sic duo pariter in legis subiecto requiruntur, legitima subiectio, et aptitudo ad legem capeffendam.

25 Subiectio iisdem nititur fundamentis, quibus iustum imperium, scilicet necessaria dependentia, uel uoluntaria parentia.

26 Aptitudo prouenit ab intellectu et uoluntate, ut praecipuis animae facultatibus.

27 Quippe unius ope legem ac legislatorem cognoscere potest, alterius ad legem, sibi notam, actiones suas componere.

28 Vnde sequitur, Ius neutiquam cadere in bruta, utpote intelligendi ac uolendi facultate, si proprie loquendum, destituta, conf. supra in Ethic. Sect. IV. Memb. I. pos. 32.

29 VI. *Materia*, seu obiectum, legis sunt actiones, tum naturaliter, tum moraliter possibiles, ac quodammodo utiles.

30 Actiones naturaliter possibiles sunt, quibus perficiendis naturales hominum vires sufficiunt.

31 Huc spectat axioma: Impossibile nulla est obligatio, seu ad impossibile nemo tenetur, l. 185. ff. de R. I.

32 Moraliter possibiles sunt, quae, salva honestate, fieri possunt.

33 Quae enim contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse, credendum est, l. 15. ff. de condit. Inst.

34 VII. *Forma* legis uel interna est, uel externa.

35 Interna consistit in praeceptione, prohibitione et permissione, de quibus infra.

36 Externa in declaratione, seu promulgatione, introductione et executione.

37 Declaratio, seu promulgatio, uel scripto et tabulis, uel ore, seu traditione, fieri potest.

38 Introductio in Rempublicam modo 'expresse, modo tacite, modo immediate, modo mediate, modo solenniter, modo minus solenniter fieri solet.

39 Executio fit mediante applicatione legis ad facta, et inflictione poenarum, in transgressores statutarum.

40 VIII. *Effectus* legis, et quidem praecipientis et uetantis, est obligatio, permittentis ius, specialiter acceptum.

41 Obligatio uulgo definitur per uinculum iuris, quo necessitate adstringimur adicimus rei soluendae, secundum nostrae ciuitatis iura, pr. l. de obligat.

42 Sed planior est definitio per uoluntatis, in agendo omittendoque liberae, restrictionem, seu ad certas actiones et omissiones adstrictionem, uid. supra in Ethic. Sect. II. Inspect. III. posit. 91.

43 Ius est facultas moralis licite et secure agendi, uel non agendi.

44 Obligatio igitur necessitatem agendi, uel non agendi, inuoluit, sicuti ius licentiam, permissionem, potestatem ac securitatem.

45 Circa fundamentum uero obligationis doctores discrepant, aliis in metu tantum, aliis in amore, aliis in utroque coniunctum illud ponentibus.

46 Posterioribus etiam nos accedimus, dum modo metus intelligatur potentiae iustae, et amor uoluntatis benignae. 47 Ta-

47 Talis obligatio, in actum deducta, uocatur obsequium, seu studium alterius uoluntatem adimplendi.

48 IX. *Finis* legis uel ultimus est, uel intermedius.

49 Ultimus est gloria Dei, utpote ad quam omnia referenda sunt.

50 Intermedius uel remotior est, scilicet hominum salus, uel propior, nimirum iustitia.

51 Iustitia, habitualiter et subiectiue accepta, describitur, quod sit constans et perpetua uoluntas, ius suum cuique tribuendi, pr. l. de l. et l. et lio. pr. ff. eod.

52 Obiectiue autem sumpta, est conuenientia cum lege.

53 Diuiditur uulgo in uniuersalem et particularem, et haec in distributiuam et commutatiuam.

54 Vniuersalis, seu eminens, omnium uirtutum exercitium denotat, adeoque ea etiam complectitur, quae iure imperfecto, seu ex obligatione in conscientia, debentur.

55 Particularis, seu uulgaris, concernit res, iure perfecto debitas, h. e. quas et poscere et exigere fas est.

56 Ius quippe perfectum, seu strictum, non solum obligationem complectitur, sed etiam facultatem, eum, qui obligationi satisfacere recusat, ui, uel actione, cogendi.

57 Distributiuam, seu attributrix, uersatur circa honores et onera, ciuibus communia, et attendit proportionem comparatam, seu Geometricam, adhibendo particulas toties, quoties.

58 Commutatiua, seu expletrix, uersatur circa res, in commercium uenientes, ciuium singulorum proprias, et attendit proportionem simplicem, seu Arithmeticam, utendo particulis tantum, quantum.

59 Addunt alii diuisionem Grotianam in iustitiam externam, seu Politicam, aut Ciuilem, et internam, seu Ethicam, aut Moralem.

60 Externa dicitur, quae praestatione externa secundum leges ciuiles absoluitur, adeoque in foro externo, seu ciuili, aut politico, spectatur.

61 Interna est, quae ex animi bonitate, seu proposito ac studio uoluntatem Dei sequendi, prouenit, adeoque in foro interno ac diuino attenditur.

62 E. g. index, metus indignationis Principis ius culpam tribuens, iustus est ciuilitate, externe et materialiter, non moraliter, interne et formaliter.

63 Hinc enata est distinctio inter iuste agere et iuste agere, quemadmodum uulgo dicitur, aliud esse Latine scribere, aliud Latine.

64 Hocque sensu Thuanus dixit, Deum magis aduerbils, quam nominibus, gaudere, et magis ei placere bene et legitime, quam bonum et legitimum, ita, ut nullum bonum liceat facere, nisi bene et legitime.

65 X. *Partes* legis perfectae sunt duae, declaratio, seu constitutio, et sanctio, seu territor.

66 Declaratio, seu pars definitiua, aut praecipitiua, est, qua, quid faciendum omittendumue sit, definitur.

67 Sanctio, seu pars uindicatiua, est, qua poena in transgressorem legis statuitur, et quidem uel expresse, uel tacite, tum determinate, tum indeterminate.

68 XI. *Differunt* lex, pactum et consilium sequenti potissimum modo:

69 (1) *Ratione causae efficientis*: lex fertur a superiore, pactum inter cuiuscunque conditionis homines obtinet, consilium datur ab amico.

70 (2) *Ratione fundamenti*: lex iusta potentia nititur, pactum facultate et libertate praeiudicandi, consilium prudentia suadendi.

71 (3) *Ratione effectus*: lex obligat directe et per se, pactum indirecte et uigore legis, consilium plane non, saltem non externe et perfecte.

72 XII. *Diuiditur* lex (1) ratione formae, et quidem internae, in praecipitiuam, seu obligatoriam, et permissiuam, seu concessiuam, de qua Membro proximo nos acturos, diximus.

73 (2) *Ratione formae externae*, in scriptam et non scriptam.

74 Scripta est, quae literis constat, siue scripto, siue ore ab initio fuerit promulgata, aut etiam moribus introducta, et postea in scripturam redacta.

75 Non scripta, quae moribus introducta est, iisdemque confer-

76 (3) Ratione subiecti, in uniuersalem, generalem, specialem et particularem.

77 Vniuersalis est, quae omnes homines in toto mundo obligat.

78 Generalis, quae omnes omnino ciues in Republica obligat.

79 Specialis, quae certum duntaxat ciuium genus obligat.

80 Particularis, seu singularis, quae unum, uel alterum indiuiduum concernit, qualis est priuilegium.

81 (4) Ratione obiecti, in Ecclesiasticam et Politicam, seu ciuilem, strictius sic dictam.

82 Ecclesiastica est, quae personas et res, ad Ecclesiam pertinentes, concernit, ciuilis, quae ad personas et res ciuiles spectat.

83 Estque haec, uel ciuilis, stricte sic dicta, uel feudalis, et utraque uel priuata, uel publica.

84 (5) Ratione causae efficientis, in diuinam et humanam.

85 Diuina est, quae Deum habet autorem, humana, quae homines.

86 Diuina rursus uel uniuersalis est, quae omnes homines, et particularis, quae certam duntaxat gentem concernit.

87 Vniuersalis, noua diuisione, uel naturalis est, seu connata, de qua infra, uel positiua, seu reuelata.

88 Particularis uel forensis est, seu ciuilis, uel ceremonialis, seu Ecclesiastica, eaque rursus uel typica, uel ecclesiastica in specietalis.

89 Vtraque, uniuersalis et particularis, subdiuiditur in perpetuam et temporariam, et quidem respectu uel initii, uel durationis, uel utriusque talem.

90 XIII. *Vsus* legis tria potissimum complectitur : (1) Cognitionem (2) Interpretationem et (3) Applicationem.

91 Cognitio et interpretatio infra exponentur, scil. Membr. IV.

92 Applicatio uel iudicialis est, uel extraiudicialis.

93 Iudicialis fit (a) quando iudex in foro secundum leges et iura sententiam fert.

94 (β) Quando aduocati, seu causarum patroni, quid iuris circa factum expositum obtineat, demonstrant.

95 Extraiudicialis fit (α) quando Doctores et Antecessores Iuris in praelectionibus Academicis ad certa facta, exempli ergo proposita, leges applicant.

96 (β) Quando integra Collegia Iuridica, aut singuli Doctores responsa dant informatoria, uel decisoria.

97 XIV. *Contrarium* legis est mutatio, quæ duplici potissimum ratione fieri potest, uel ratione substantiæ legis, uel ratione executionis.

98 Mutatio ratione substantiæ legis fit uel abrogatione, seu sublatione legis in totum, uel derogatione, seu sublatione ex parte.

99 Mutatio ratione executionis pariter uel dispensatione fit, seu exemptione ab obligatione legis, uel aggratatione, seu concessione ueniae ac remissione poenæ.

100 XV. *Conueniunt* nobiliores, circa Ius agitari solitæ, sunt sequentes;

101 (1) An detur Ius permissum?

102 Hoc argumentum proximo Membro ex instituto nos tractaturos, aliquoties iam promissimus.

103 (2) Quid requiratur ad Ius non scriptum, seu consuetudinarium?

104 (α) Rationabilitas, (β) actuum frequentia, et quidem publicorum, continuorum et uniformium, (γ) temporis diuturnitas.

105 (3) Quomodo consuetudo differat ab obseruantia, stylo curiæ, et ritu?

106 Forma et obiecto: obseruantia enim ea non requirit, quæ consuetudo, stylus curiæ denotat ordinem iudiciorum, et ritus continet solennia actus, uterque scripto potest definiri.

107 (4) An LL. diuinæ obligent per modum consilii?

108 Sic quidem docent Poiretus, Thomasius et non nulli alii, sed perperam, cum diuino in nos imperio hoc repugnet.

109 (5) An dentur LL. Dei positivæ uniuersales?

110 Hoc quidem negant Thomasius, Buddeus et recentiorum plures, recte autem cum Danhauero, Scherzero, aliisque Theologis asserunt Hochstetterus, VVeberus, Griebnerus, et plures.

111 (6) An LL. diuinæ forenses et ceremoniales recte possint dici abrogatæ?

112 Omnino, non respectu nostri, sed populi Iudaici, cui fuerunt latæ.

113 (7) An

113 (7) An dentur LL. Novi Testamenti, et an Christus possit dici nouus legislator?

114 R. Sic nonnulli cum Grotio, Bullo, VVebero, Grabio aliisque contendunt, rectius uero cum cordatioribus error hic Soci-nianorum et Arminianorum reicitur.

115 (8) An LL. diuinarum posituarum, praesertim uniuersali-um, tractatio etiam Philosophiae moralis et Iuris DD. competat?

116 Omnino, tum in genere, ratione ll. humanarum ferendarum et examinandarum, tum in specie, ratione materiarum, ex ll. d. p. di-iudicandarum, quales sunt poena homicidii capitalis, prohibitio polygamiae, diuortii, certorum graduum in matrimonio etc.

117 XVI. *Axiomata* sunt: (1) Est quidem operae pretium, Iuris na-turam et indolem sibi perspectam reddere.

118 (2) Attamen uitanda sedulo est inanis circa uoces earumque usum disceptatio, seu logomachia.

119 (3) Hanc enim sectari, est, retento putamine, nucleum dimit-tere, aut nubem pro Iunone amplecti.

120 (4) Proinde frustra sunt, qui longum circa Iuris et legis diffe-rentiam certamen inire sustinent.

121 (5) Et parum utilitatis habet uulgaris iustitiae, ab Aristotele ac Scholasticis descriptae, expositio.

122 (6) Curandum potius est, ut legum salutarium praeceptis su-um quisque imbuat animum.

123 (7) Caeterum, hoc definiendi ius est, quid quoquo nomine significatum uelit, indicare, etiamsi alii forte alia significari uolue-rint.

MEMBRUM III.

DE

IURE PERMISSIVO, SEV CONCESSIVO.

I. *Causa tractationis*. II. *Existentia huius Iuris*. III. *Definitio*. IV. *Di-uisio*. V. *Differentia a Iure praeceptiuo*. VI. *Criteria*. VII. *Cautelae* VIII. *Scriptores*. IX. *Axiomata*. I I.

C*ausa tractationis*, pro data superius fide, seorsim, adeoque proli-xius, hic instituendae, est utilitas et necessitas argumenti.

2 Quippe (1) omnis facultas moralis, agendiue libertas, a Iure con-cessiuo

cessivo est, adeoque citra huius cognitionem illa explicari nequit.

3 (2) Interpretatio, qua certi casus a lege praeceptum excepti, adeoque permisi, censentur, iure concessivo nititur.

4 (3) Leges positivae, praesertim humanae, modum et mensuram accipiunt a I. N. permissivo.

5 (4) Prudentia Politica verae utilitatis rationem iure concessivo, saltem, divino, metiri debet, nisi, cum Machiavello, quodvis utile, siue licitum sit, siue minus, admittere velit.

6 II. *Existere* ius permissivum, iuri praeceptivo, seu obligatorio, aut decretorio, contradistinctum, multi quidem, cum Grotio ac Pufendorffio, negant, his nixi rationibus:

7 (1) Legis est agere, h. e. decernere et praecipiendo, vel prohibendo obligare: permissio nullum actum inuoluit, sed potius negatio actus est.

8 (2) Legis praesidium, ac ueluti telum subsidiarium, est poena: permissio omnem respuit poenam.

9 (3) Legis effectus est obligatio, seu necessitas agendi: permissio nihil operatur, cum in silentio consistat.

10 Sed R. ad (1) Lex permissiva omnino agit (a) declarando, quid superior inferioris arbitrio relictum velit, (3) tribuendo facultatem agendi, (γ) remouendo impedimentum morale, seu alterum, ne impediat, obligando.

11 Ad (2) Lex permissiva tacitam quoque sanctionem comprehendit, respectu eius, qui alterum in exercitio concessae facultatis, seu iuris competentis, impedire audet.

12 Ad (3) Lex permissiva positivum pariter effectum producit, nimirum ius, seu facultatem moralem, licite et secure agendi, quae hoc respectu aequae necessaria est, ac obligatio.

13 Quare cum iis, qui rerum moralium indolem et latitudinem paulo accuratius expendunt, ius permissivum omnino est admitendum.

14 Hocque sensu recte scribit Modestinus l. 7. ff. de legib. Legis uirtus haec est, imperare, uetare, permittere, punire.

15 Et Cicero lib. 2. de Inuent. considerandum est, scribit, utra lex iubeat,

iū beat, utra permittat: nam, quod imperatur, necessarium est, illud, quod permittitur, uoluntarium.

16 Ex pressae autem concessionēs in Lycurgi legibus extant, uoce *ἐξῆν*, h. e. licet, designatae.

17 III. *Definiri* autem potest ius permissiuum, seu lex permissiua, per uoluntatem superioris, qua subditis facultatem moralem, seu ius, concedit actione s indifferentes licite et tuto agendi, uel omit-
tendi, prout Dei gloria et hominum salus requirit.

18 Causa igitur efficiens, seu autor, subiectum et finis ultimus legis permissiuae eadem sunt, quae praeceptiuae.

19 Materia autem, seu obiectum, sunt actiones indifferentes, h. e. neque praeceptae, neque prohibitae, adeoque citra respectum ad legem obligatoriam consideratae, uid. supr. in Ethic. Sect. II. In-
spect. III. pol. 97.

20 Forma consistit in concessione facultatis licite et secure agendi, utendi, aut habendi, uel minus, siue expressa, siue tacita, ex silentio et non-prohibitione colligenda.

21 Effectus est facultas moralis, seu ius, pro diuersitate obiecti diuersa sortiens nomina, uti libertatis, imperii, domini, ususfructus.

22 Patet hinc, ius permissiuum non pro eo sumi, quod permissionem nudi facti inuoluit.

23 Talis enim permissio meram impediendi, seu operis, quo efficaciter quid impediri posset, negationem significat, adeoque nec ius, nec impunitatem largitur, et permissio negatiue talis uocatur.

24 Hoc sensu Deus peccata, cum eadem, ne fierent, pro omnipotentia sua, impedire posset, permittere dicitur.

25 Ita scilicet, ut talis permissio nec causa peccatorum euadat, nec ius aut impunitatem concedat.

26 Neque etiam huc spectat permissio, seu concessio beneficii a superiore, aut Principe, ex gratia aut beneficentia, facta.

27 Talis enim pertinet ad leges singulares, tum praeceptiuas, tum prohibitiuas, quae privilegia uulgo dicuntur.

28 Sed intelligitur hic permissio legalis, seu iuris, aut legis, quae omnino ius dat, ad aliquid licite et secure agendum, uel habendum,

Z

adeo-

adeoque et licentiam importat agendi, et impunitatem agentium, et obligationem, ne agentes impediatur.

29 Vnde positiva dicitur permissio, quia positivum habet effectum, qualis est agendi facultas, ei, cui conceditur, actu positivo competens.

30 Neque etiam tacita eiusmodi facultatis concessio omnis actionis negatione, sed quadam legis actione, fieri censenda est.

31 Hoc nimirum sensu, quod lex, dum, in prohibendo occupata, aliquid, neque *κατὰ ῥητόν*, neque *κατὰ διάνοιαν* prohibet, illud permittere iudicatur, adeoque non-agendo agere.

32 Cum enim non verba legis captari, sed mens et sententia perferri debeant, multa in sensu legis contineri, et consequentiae necessitate ei inesse existimanda sunt, quae verbis non attinguntur.

33 Vnde axioma: Quod non prohibetur, ultro permissum est, seu permissa censentur omnia, quae non sunt prohibita.

34 A permissu eiusmodi iure actiones denominantur licitae, seu permissae, in sensu nimirum proprio et pleno.

35 Nam duplici modo (ut supra in Ethic. c. I. pos. 95. diximus) actio potest dici licita, aut permissa, proprie, vel improprie.

36 Proprie, seu perfecte, plene, Ethice, et in sensu aiente, quando lex positivam eius suscipiendae facultatem concedit.

37 Improprie, seu imperfecte, minus plene, Politice et in sensu negante, quando a lege quidem non permittitur, impune tamen perficitur, seu in foro externo non attenditur.

38 Prioris generis actiones sunt tales, quae nec internae, nec externae iustitiae (prout eam supra descripsimus) repugnant, adeoque licite modo fieri, modo non fieri possunt, e.g. artes liberales addiscere, in coelibatu vivere, emtionem aut venditionem facere.

39 Posterioris generis actiones sunt tales, quae internae quidem iustitiae, aut honestati, aduersantur, inter homines tamen, pro circumstantiarum ratione, impune permittuntur, adeoque externae iustitiae neutiquam contrariari existimantur.

40 Huiusmodi sunt (a) mala, quibus civitas impar est, quando nimirum consultius videtur, iustitia adulta tolerare, quam intempestivis remediis delicta accendere.

41 Exempli loco esse possunt luxuria, ebrietas, libido, superbia, deierationes, profanatio sabbathi, scandala, licentia diuortiorum apud Iudaeos.

42(3) Facta, quae affectus uehementior aut necessitas producit.

43 Huc spectat occisio adulteri, et furis, praesertim nocturni, defectio militum, etc.

44(γ) Scelera, quae successus honesta facit, uel quae ex ratione status, aut belli, siue ex arcano Tyrannico, et flagitio dominationis permittuntur.

45 Talia sunt, quae, e.g. Lycurgus, Iulianus et Cronvvelus permisisse scribuntur, nec non fraudes in aulis magnatum, prodiones in bello, praedationes maritimae etc.

46 IV. *Diuidi* potest Ius permissuum eodem fere modo, atque obligatorium, seu praeceptuum et prohibituum.

47 Quod cum Membro antecedenti exposuerimus, eo nos referre liceat.

48 V. *Differt* Ius permissuum ab obligatorio, seu praeceptiuo, in sensu laxiori sumpto, quatenus et affirmatiuum et negatiuum praeceptum complectitur, sequenti potissimum ratione:

49 (1) Ratione formae: praeceptuum consistit in obligatione ad agendum, uel non agendum, permissuum in concessione facultatis agendi, uel non agendi, ab impedimento liberae.

50 (2) Ratione finis intermedii: praeceptuum id agit, ut subditi certas actiones ad ipsius praescriptum componant, permissuum, ut subditi, si uelint, licite et secure agant, uel non agant.

51 (3) Ratione effectus: praeceptuum actiones reddit necessarias, et, prout cum norma conveniunt, uel disconveniunt, iustas, uel iniustas, permissuum arbitrarías et licitas, seu non iniustas.

52 VI. *Criteria*, unde, quid concessiui sit iuris, cognosci possit, potissimum sunt sequentia:

53(1) Si praeceptum, uel interdictum legis deficit.

54 Obtinet hic regula, iam tradita: Quicquid lege nec praeceptum, nec uetitum est, id pro permissio habere licet.

55 (2) Si ratio praecepti, uel interdicti non respondet.

56 Valet hic regula: Deficiente, uel cessante, ratione, tanquam causa

causa praecepti, uel interdicti, unica, deficit, uel cessat, praeceptum, uel interdictum, et res censetur permissa.

57 (3) Si res aut actiones inter se congruunt.

58 Spectat huc regula: Parium eadem est iuris dispositio, uel, ubi eadem factorum qualitas et ratio, ibi eadem quoque est dispositio.

59 (4) Si medium cum fine, aut consequens cum antecedente necessarium habet nexum.

60 Refertur huc regula: In moralibus qui dat finem, dat etiam media ad finem pertinentia etc. uid. Membr. proxim.

61 (5) Si mores, aut consuetudines rationabiles, praeualent.

62 Habetur hic regula: Vfus et consuetudo, ob tacitum superioris consensum tantum possunt, quantum iussa eius expressa.

63 (6) Si naturalis ratio, uel aequitas, superpetit.

64 Tenenda hic est regula: Ad mentem legislatoris id etiam permissum censi debet, quod, si iuxta nudam legis litteram foret omitterendum, non, nisi absurde, aut inique omitteretur.

65 VII. *Cantabae* tamen quaedam hic obseruandae sunt, nimirum:

66 (1) Cauendum est, ne, prouocando ad exempla, consuetudines, aut mores, fraudulenta iuris permissui fiat interpretatio.

67 Hinc enim non permissum, sed abusuum, ius, h. e. nullum, et uiriosa quiduis faciendi licentia enascitur.

68 (2) Cauendum, ne permissionis ratio, quae moralis est, seu iuris, confundatur cum ea, quae politica est, seu consilii.

69 Haec enim utilitate plerumque, aut necessitate, nritur, adeoque temporariam duntaxat permissionem operatur, eum, cessante permissionis ratione, ipsum quoque permissum cesset.

70 (3) Cauendum, ne ulla ullius legis permissio contra ius diuinum ualere existimetur.

71 Etenim lex superioris per inferiorem minime tolli potest, et lex, quae prohibet, longe potentior est ea, quae concedit.

72 (4) Cauendum, ne distinctio inter ea, quae I. N. et ea, quae iuris positui permittentis sunt, seu inter res merae facultatis, et non-merae facultatis, negligatur.

73 De his enim ualeat regula uoluntarii interpretatiui, quod non utendo amittantur, de illis uero minus.

74 (5) Ca-

74 (5) Cavendum, ne omnia, quae licita, seu iuris permissivi dicuntur, perinde, seu eodem modo iudicentur.

75 Quaedam enim in se sunt indifferentia, quaedam vero magis ad prohibita l. N. accedunt, quaedam ad praecepta inclinant, adeoque diuersa eorum habenda est ratio.

76 VIII. *Scriptores*, hoc super argumento potissimum commentati, sunt (1) Barbeyracius (2) Stryckius (3) Zentgraenius (4) Titius (5) Hochstetterus (6) Placcius.

77 IX. *Axiomata* sunt : (1) Non otiosa, aut infructuosa vero Philosopho habenda est iuris permissivi doctrina, sed utilis perinde, ac necessaria.

78 (2) Ut enim permagni interest, nosse, quas actiones imperans ad certam agendi normam adstrinxerit, seu praeceperit.

79 (3) Ita attendere omnino iuuat, quid in cuiusvis arbitrio agendi relictum, h. e. permissum sit.

80 (4) Diuersa quippe praecepti et permissi est ratio, adeoque diuersae etiam hoc nomine dantur actiones.

81 (5) Praeceptum inuoluit obligationem, qua legi subiectus necessario ad agendum, uel non agendum, tenetur.

82 (6) Leges enim hominum uitas constringunt, adeoque accurate custodiri et seruari debent, l. 9. C. de LL.

83 (7) Permissum importat libertatem, qua subditus iure suo uti potest, uel non uti.

84 (8) Hinc regula: Quilibet iuri, pro se introducto, renunciare potest l. 51. C. de episc. et cleric.

85 (9) Nec uerum datur bonum, seu utile, nisi simul sit iustum, si non in sensu aiente, saltem negante, seu non iniustum, h. e. licitum.

86 (10) Quod enim lege permittente fit, iuste et bene dicitur fieri l. 17. §. 12. ff. de Aedil. edict.

87 (11) Contra, quod lege prohibente fit, inutile, imo iniustum censeretur l. 5. C. de LL.

88 (12) Paret hinc, quid circa leges diuinas, imprimis naturales, humana possit maiestas.

89 (13) Nimirum ea, quae iuris naturalis concessi sunt, fruendae necessitate, aut utilitate, mutare potest.

90 (14) Quicquid enim natura nec iussit, nec prohibuit, sed hominum arbitrio permisit, id modo praecipitur ab hominibus, modo utari potest.

91 (15) At ea, quae I. N. praeceptui sunt, h. e. iussa, uel interdicta, humana constitutione mutari nequeunt.

92 (16) Immutabile enim est I. N. humanam transcendens potestatem, et factio Principis potentius, arg. l. 17. ff. de poen.

93 (17) Caueat ergo bonus populi rector, ne dispensando, atque iusta permittendo, sanctissimam naturae legem relaxare conetur.

94 (18) Hoc enim idem foret, ac ius, ab infinito conditum Numine, humano subiicere uelle arbitrio.

95 (19) Equidem usus et multitudo delinquentium, de illicitis multa faciunt illicita.

96 (20) Sed prudenti haec minuenda sunt consilio, et bonis identidem exemplis corrigenda.

97 (21) Caetera, quae humana superant remedia, patienti potius ferenda sunt animo, quam ausu intempestivo oppugnanda.

98 (22) Neque enim rigore omnia coerceri debent, sed hominum pudori ac uerecundiae quaedam relinquuntur.

99 (23) Sic debitus humanae libertatis usus addiscitur, et uirtuti, sponte exercendae, materia praebetur.

MEMBRUM IV.

DE

INTERPRETATIONE IVRIS.

I. *Definitio*. II. *Praerequisita*. III. *Divisio*. IV. *Obiectum*. V. *Fontes*. VI. *Epitome regularum*. VII. *Contraria*. VIII. *Scriptores*. IX. *Axiomata*.

I.

Definiri potest interpretatio, quod sit uoluntatis dubiae, seu obscurae, expositio, secundum uerba, sensum, ac rationem, iustae applicationis ergo, facta.

1 Legem igitur rite interpretaturus, haec tria ante omnia perspicere debet, uerba, sensum, ac rationem.

2 Verba sunt quoddam extrinsecum, ac ueluti corpus, aut materia legis, et duplicem sustinent significationem, uulgarem et artificialem, seu technicam.

4 Sen-

4 Sensus, seu mens, sententia et uoluntas, est aliquod intrinsecum, et quasi spiritus, seu anima, legis uerba uiuificant.

5 Ratio est causa finalis, quae legislatorem mouit ad legem ferendam, et uel ipsa lege continetur, uel aliunde est repetenda.

6 II. *Prærequiritur* itaque hic (1) cognitio signorum (2) notitia circumstantiarum (3) formatio status controuersiae (4) iudicium sanum.

7 Cognitio signorum complectitur intelligentiam ualoris uerborum, phrasium et idiotismorum linguae.

8 Notitia circumstantiarum haberi potest, si causa efficiens scripti, uel sermonis, materia, seu uerba, forma, seu complexus orationis, et finis, seu intentio et scopus, rite considerentur.

9 Formatio status controuersiae fieri potest, si, euolutis acquisitionibus, tum singulorum terminorum, tum integrae propositionis, dicatur, quo sensu, quo respectu, quoque modo propositio sit intelligenda.

10 Iudicium consistit in facultate recte concludendi circa res intellectas, usu et experientia rerum acquisita.

III. *Diuiditur* interpretatio in Grammaticam et Logicam, seu Iuridicam.

12 Grammatica est, quae uocum etymologiam, synonymiam, paronymiam et homonymiam, adeoque uim Grammaticam, nec non signorum distinctionem, considerat.

13 Haec quidem huius loci haud est, nec tamen utilitate caret.

14 Logica, seu Iuridica, est, quae sensum legis indagat et explicat.

15 Haec potissimum huc pertinet, et subdiuiditur in authenticam, usualem et doctrinalem.

16 Authentica est, qua ipse scribens, uel loquens, mentem suam uerbis clarioribus exprimit, hocque nomine alias dicitur authentica expressa, κατ' ἐξοχήν talis.

17 Haec maximi est momenti, iuxta Brocardicon: Eius est LL: interpretari, cuius est LL: condere, cum quilibet uerborum suorum optinere sit interpres.

18 Usualis est, qua mens et sententia legis ex consuetudine, tacito superioris consensu introducta, colligitur, hocque respectu authentica tacita, alias obseruantia interpretatiua, uocatur.

19 Hu-

19 Huius ualorem indicant regulae: Optima L. L. interpres est consuetudo: Stylus curiae ualeat pluris, quam tota scientia iuris.

20 Doctrinalis est, quae fit a Doctoribus iuris, seu antecessoribus, subsidio doctrinae, seu scientiae legitimae.

21 Haec non minus, quam priores, attendi meretur, cum cuilibet artifice, quatenus de regulis artis suae testatur, sit credendum.

22 Subdiuiditur in declaratiuam, extensiuam et restrictiuam.

23 Declaratiua, seu explicatiua, est, qua sensus legis ex significatione uerborum, tum propria, tum impropria, eruitur.

24 Extensiuam, seu ampliatiuam, est, qua uerba angustiora ad casus, non uerbis quidem, attamen mente legis, comprehensos, extenduntur.

25 Restrictiua, seu limitatiua, est, qua uerba latiora, seu nimis generalia, ad mentem loquentis, uel scribentis, restringuntur.

26 IV. *Obiectum* interpretationis, et quidem (a) Declaratiuae, sunt uerba obscuriora, ad mentem loquentis, uel scribentis, perspicue explicanda.

27 Cum enim non in singulis tantum uerbis, tum uulgaribus, tum technicis, sed in complexu etiam uerborum, seu contextu sermonis, obscuritas quaedam adesse possit, apta haec interpretatione tollenda est.

28 Obscuritas uerborum oritur partim a figura externa uerborum, partim a sensu interno.

29 Prius fit, si uel uitium in scribendo committatur, uel interpunctiones omittantur, aut indebite ponantur, uel ductus non legibiles, abbreviaturae, liturae, aut characteres incogniti, adhibeantur.

30 Posterius contingit, si uerba sint uel obsoleta, uel noua, uel peregrina, uel ambigue, uel translata.

31 Obscuritas in complexu orationis oritur uel ab omissione, uel ab abundantia, uel a perplexitate, uel a contrarietate, seu pugna.

32 Vtriusque obscuritatis causa remota esse potest, uel dolus loquentis, aut scribentis, uel culpa, uel casus.

33 (β) Extensiuae sunt uerba angustiora, ad casus non expressos extendenda.

34 Etenim saepe contingit, ut mentem nostram insufficienter expo-

exponamus, siue plus sentiamus, quam dicamus, adeoque extensione opus est.

35 Tali nimirum, quae non secundum uerba, ut Doctores quidam putant, sed secundum mentem, siue sententiam scribentis, aut loquentis fit.

36 Ita scilicet, ut casus, sub uerbis legis non comprehensi, mente, seu sententia legis, comprehensi dicantur, ob identitatem, seu similitudinem rationis.

37 (γ) Restrictivae sunt uerba nimis generalia, ad mentem loquentis, uel scribentis, restringenda.

38 Quando nimirum uerba latiora sunt, quam mens, aut plura quis dixit scripsit, quam sensit, ipsa potius mens inspicere debet, quam mentis signa, seu uerba.

39 Hoc autem saepe contingere, circumstantiarum multitudo et uarietas arguit.

40 V. *Fines Interpretationis*, et quidem (α) Declarativae, sunt uel generales, uel speciales.

41 Generales sunt, qui circa omnia obscuritatis genera tollenda interpretationi inferunt.

42 Tales sunt (1) Materia, ubi ualent regulae: Verba intelligenda sunt secundum substratam materiam.

43 Talia sunt praedicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis, et uice uersa.

44 Favorabilia latius, odiosa strictius sunt interpretanda.

45 (2) Effectus, ubi obtinent regulae: Leges ita sunt explicandae, ut effectum sortiantur, atque negotium, de quo disponunt, ualeant potius, quam pereant.

46 Verba explicanda sunt, ut non pugnent cum legibus.

47 Omnis interpretatio ita fieri debet, ut sensus eruat, uerisimilis, euitetur absurditas, aut iniquitas, et excludatur delictum.

48 (3) Coniuncta tum loco, tum origine, ubi sequentes notandae sunt regulae:

49 In omni interpretatione ad consequentia et antecedentia, uel coniunctim, uel separatim, est respiciendum.

50 Huc pertinet argumentatio a rubro ad nigrum, et ars *συμπεριφορά*, seu *συμπεριφορά* Ictorum.

Aa

51 Quae-

51 Quaecunque interpretatio rationi, tum intrinsecae, seu causae finali, tum extrinsecae, seu causae impulsivae, congruit, ea tenenda est prae illa, quae ab eadem discrepat.

52 Locutiones obscurae, aut dubiae, ex sermone eiusdem auctoris, alio in loco, uel alio tempore, plane et perspicue expresso, sunt explicandae.

53 (4) Qualitas, seu conditio personarum, quo respiciunt regulae:

54 Verba in dubio ita sunt interpretanda, ut conditioni eius, a quo, uel ad quem, uel de quo, sermo habetur, conveniant.

55 Ea capienda est interpretatio, quae affectioni cuiusque ad personam, uel ad rem, est conveniens.

56 Speciales sunt, qui ad certa obscuritatis genera tollenda faciunt.

57 Nimirum (1) ratione obscuritatis, a figura externa uerborum scriptorum ortae, fons est collatio, seu comparatio, unde regula sequens:

58 Quotiescunque scriptura ob externam formam est obscura, toties adhibenda est comparatio literarum, uel quorumlibet signorum.

59 (2) Ratione obscuritatis uerborum ambiguum fons est usus loquendi communis, aut certae arti proprius, unde regulae sequentes:

60 Verba sunt accipienda in propria et naturali significatione, quam quisque communiter adhibere uoluisse creditur.

61 In interpretatione legis, uel sententiae, a iudice prolatae, significatio iuridica, uulgari, ut consuetudo communis usui privato, praeferritur.

62 Contra, in quaestionibus facti significatio uulgaris praeferrenda est significationi iuridicae, utpote quam scribae, nisi ius peritus fuerit, ignorasse praesumitur.

63 (3) Ratione obscuritatis, a perplexitate et contrarietate procurrentis, fons est possibilitas et rationalitas, quae parit regulam:

64 Quamdiu lex ullam admittit rationem, non omnem respicere interpretationem censenda est.

65 (6) Extensivae sunt (1) identitas rationis, potissimum intrinsecae, de qua notanda est regula

66 Vbi

66 Vbi eadem ratio, ibi eadem dispositio, tam in propositionibus affirmatiuis, quam negatiuis, in LL. poenalibus aequae, ac correctoriis, excepto iure singulari exorbitante.

67 (2) Similitudo, ubi obtinet regula:

68 Vbi similis ratio, ibi etiam simile ius, praecipue in fauorabilibus, secundum axioma: fauorabilia sunt extendenda, odiosa uero restringenda.

69 (3) Contrarietas, de qua notandae sunt regulae:

70 Contrariorum contraria est ratio et contrarius effectus.

71 Quicquid operatur propositum in proposito, id operatur oppositum in opposito.

72 Cum lex in praeteritum aliquid in dulget, siue ignoscit, in futurum aetat, siue in statu prohibitorio relinquit.

73 (4) Connexio antecedentis et consequentis, ubi habetur regula:

74 Consequens qui uult, uult etiam necessarium antecedens.

75 Concesso uno, etiam concessum illud uidetur, siue quod id, quod concessum est, non potest expediri, uel obtineri.

76 Antecedenti concessio, etiam necessarium consequens simul concessum esse existimandum est.

77 Consequenti prohibito, censetur omne prohibitum, per quod ad illud peruenitur.

78 (γ) Restrictiones sunt (i) ratio adaequata et intrinseca, in communi cessans, ubi ualet regula:

79 Quoties uerba generaliora sunt ratione, toties sunt restringenda, seu, cessante ratione, cessat dispositio.

80 (2) Substrata materia, de qua fertur regula:

81 Materiam substratam animo loquentis semper obuersari, credibile est, licet uerba latius patere uideantur.

82 (3) Loci paralleli, unde nascitur analogia iuris, ut in Theologicis analogia fidei.

83 Spectat huc regula: Lex posterior generalis limitatur lege speciali priori.

84 VI. *Epitome* Regularum bonae interpretationis, a B. Hornio nostro quondam propositarum, haec est:

85 (1) Distincte consideranda est persona loquentis, uel scribentis, ratione status, affectus et inclinationis.

Aa 2

86 (2)

86 (2) Attendendum studiose est, de qua re autor scribere, uel dicere constituerit.

87 (3) Accurate inspiciendus est contextus orationis, seu conferenda sunt consequentia cum antecedentibus.

88 (4) Conquirendi sedulo sunt loci paralleli, seu spectandum, quod alibi autor scripsit.

89 (5) Habenda omnino est ratio circumstantiarum, loci, temporis, occasionis, finis, nec non personarum.

90 (6) Ea praecipue tenenda est interpretatio, quae cum ratione legis, seu causa scribentis loquentisue, conoordat.

91 (7) Ita facienda est omnis interpretatio, ut sanae Rationi congruat, neque effectus destituiatur.

92 VII. *Contraria* sunt vitia, et quidem haec tria potissimum, (1) simplicitas (2) calumnia (3) ineptitudo.

93 Simplicitas est, si interpres multus est in conciliandis aperte contrariis, in adhibendis allegoriis, etc.

94 Calumnia, uel caullatio est, si quis, uerba captans, ex uocum discrepantia rerum discrimen eruit, sensum contrarium fingit, aut falsas et damnatas conclusiones infert, etc.

95 Ineptitudo est, quando ex ignorantia, uel scopi et ordinis neglectu, inepta fit interpretatio.

96 VIII. *Scriptores*, qui interpretandi modum, uel seorsim, uel in alia disciplina tradiderunt, sunt (1) Albericus Gentilis (2) Dasselius (3) Hornius (4) Placcius (5) Eberhardus (6) Sturcius (7) Feldenus (8) Eichelius (9) Pufendorfius (10) Thomafius (11) Rachelius (12) Försterus, etc.

97 IX. *Notiones* sunt (1) Tam necessaria est doctrina hermeneutica, ut sine hac scientia legalis nomen quidem concipi possit.

98 (2) Summo opere igitur dolendum est, quod nobilissimum hoc argumentum in uulgari, ut uocant, cursu iuris, uel negligatur, uel leuiter tangatur.

99 (3) Nec illi rectam ineunt uiam, qui regularum, ipsius uoluminibus compendientarum, multitudine lectores obruunt.

100 (4) Simplex tenenda est ratio, nec, quae per spissa alias et clara sunt, difficilia et obscura reddi debent.

(5)

101 (5) Quippe naturalis dictamen Rationis hic plurimum valet, dummodo interpretem acturus ingenio polleat, ac linguae rerumque peritiam habeat.

MEMBRUM V.

DE

TEMPERAMENTO IVRIS, SEV AEQUITATE.

I. *Connexio*. II. *Notatio vocis*. III. *Definitio*. IV. *Distictio*. V. *Fundamentum*. VI. *Contraria*. VII. *Scriptores*. VIII. *Axiomata*.

I. I.

Connexio haec est: Aequitas, in interpretatione Iuris attendenda, maximam partem principiis Iuris permissivi nititur.

2 Postquam igitur, tum interpretationis, tum Iuris permissivi doctrinam exposuimus, nunc, de aequitate ut agamus, superest.

3 II. *Per aequitatis*, ab aequo descendens, ut etymi, congruentiam, harmoniam et convenientiam, seu constitutionem aequalem, designat.

4 Nam aequum proprie significat, quod sic omni ex parte aequatum est, ut nihil emineat.

5 Graecis dicitur *ἐπιείκεια*, ab *ἐπί*, Dorice *ἀδίκος*, h. e. quod alicui congruit ac respondet.

6 Ad Iurisprudentiam translata, bifariam potissimum accipitur aequitas, generaliter, seu late, et specialiter, seu stricte.

7 Generaliter de omni iure praedicatur et iustitiae habetur synonymum perinde, ac aequum dicitur, quod in genere est iustum.

8 Et ita explicatur a plerisque definitio Iuris, quod sit ars aequi et boni l. 1. ff. de l. et l.

9 Specialiter denotat legis ad speciales casus aequam, seu congruam accommodationem, prout circumstantiae ferunt.

10 Hoc sensu alias dicitur Iuris legitimus, seu voluntarii correctio.

11 N. consentanea exceptio, humanitas et benignitas, charitas, seu lex charitatis, etc.

12 Ciceroni vocatur aequabilitas, Phavorino indulgentia gratiae, tempestivius laxato paulum remissoque subtili iustitiae examine.

13 Otis dicitur quaedam factorum convenientia, arg. l. 17. ff. de iudic. rectitudo iudicii, naturalem sequens rationem, iuxta Bald. in l. 9. n. 19. ff. de l. et l.

Art 3.

Nec

13 Nec non aequum et bonum, uocabulis hisce coniunctim positis.

14 Nobis audit temperamentum, seu laxamentum iuris, facta a potiori denominatione, quia temperando legis rigori potissimum inseruit.

15 III. *Definiri* potest aequitas, sensu proprio sumpta, per dictam rectae Rationis, secundum quod leges, hominumque negotia ita explicantur, ne quis praeter meritum incommodi quid, aut iniqui sentiat.

16 Aliis est temperamentum morale, quo, quicquid in legibus et negotiis quibuscunque aliis, iniquum est, uel esse uidetur, ex naturali, uel civili ratione corrigitur.

17 Patet hinc, aequitati non circa leges tantum, sed contractus etiam, testamenta, et negotia hominum quaecunque, ad leges relata, locum esse.

18 Quippe haec pariter ex naturali aut civili ratione ita sunt, explicanda, ne alterutra, quorum interest, pars laedatur.

19 Frustra etiam sunt, qui, aequitatem in sola legum generalium restrictione consistere, docent.

20 Nam etiam uerba legum, nimis stricte loquentium, extendere aequitas postulat, e. g. si frumentum exportari prohibetur, farina etiam prohibita censeri debet.

21 Hinc modus aequitatis, iuri posituo attemperandae, alius adstrictior, seu per restrictionem, alius laxior, seu per ampliationem, Schiltero dicitur.

22 Quare non in lenitate semper, sed interdum etiam in seueritate aequitas consistere asseritur.

23 Quando nimirum, e. g. poena expresso iure nulla est constituta, aut mitior saltem, quam debebat, decerni, illa etiam exasperari, pro re nata, potest.

24 Exempla occurrunt in l. i. ff. de eo, per quem factum erit, et l. i. §. i. ff. Si quis testam. liber esse iuss.

25 Hocque sensu aequitas opponitur iuri stricto, ex lege et pactionibus orto.

26 Non quatenus strictum idem est, ac rigorosum, sed quatenus ex stricta uerborum explicatione resultat.

27 Ita

27. Ita nimirum, ut ampliare legem, seu pacta, et, quod utrinque praetermissum est, supplere non liceat.

28. Ab arbitrario autem iure ita differt aequitas, quod haec iuri scripto succenturietur, illud hoc exterminet.

29. Nec uno a se inuicem modo discrepant aequitas et dispensatio.

30. Differunt enim (r) ratione causae efficientis: dispensatio a solo legislatore ex gratia et indulgentia exercetur, aequitas a quouis iudice ex dictamine Rationis praestatur.

31. (2) Ratione obiecti: dispensatio locum habet in legibus, aequitas in omnibus negotiis est spectanda.

32. (3) Ratione effectus: dispensatio excipit a lege, eiusque obligationem, in casu certae personae, tollit, aequitas ostendit, casum sub lege non comprehendi.

33. Inter ipsam denique aequitatem et interpretationem non obsequium pariter discrimen obtinet.

34. Illa est dictamen rectae Rationis, seu I. N. leges rite explicare iubens, haec autemactus mentis legem ex aequitate interpretantis.

35. IV. *Diuiditur* aequitas (1) ratione principii et fundamenti, in naturalem et civilem.

36. Naturalis est, quae ex naturali ratione, hominum mentibus infixa, procedit, seu principio aliquo I. N. nititur.

37. Civilis est, quae ex ratione civili, puta utilitate, aut necessitate publica, desumitur, adeoque iuris civilis est.

38. (2) Ratione obiecti formalis, in scriptam, et non scriptam.

39. Scripta est, quae circa illas facti species exercetur, quae praeiudicium habent in legibus scriptis, per responsa et interpretationes Iurorum, ratione casuum et circumstantiarum similium, ad aequitatem iam reductis.

40. Non-scripta est, quae in illis facti speciebus attenditur, quae nullum praeiudicium in legibus scriptis habent, sed, propter novas circumstantias, nouam, nec dum factam, decisionem ex aequitate postulant.

41. (3) Ratione causae efficientis et effectus, in intrinsecam et extrinsecam.

42. Intrinseca est, qua iudex, a legibus non recedens, seu legibus adiutus,

adiutus, ius strictum ex mente legis et circumstantiis temperat, seu inflectit, adeoque aequum reddit, non mutat, aut tollit.

43 Extrinseca est, qua princeps, seu legislator, interposita interpretatione, ius olim aequabile, aequumque uisum, nunc defuisse, declarat, adeoque ius nouum constituit.

44 V. *Fundamentum* est congruentia iuris applicandi, seu obligationis exequendae, cum facto, seu materia, quoad circumstantias, formaliter et secundum aestimationem moralem consideratas, prout naturalis, aut civilis ratio suggerit.

45 Quid circumstantia sit, et quotuplex, supra docuimus in Ethic. Sect. II. Inspect. III. pos. 51.

46 Attendendas uero in explicatione et applicatione Iuris esse circumstantias, uel uulgaria probant brocardica.

47 Talia sunt: Minima circumstantia uariat ius. De singulis circumstantiis subtiliter inquirendum est. Bonus iudex uarie ex personis causisque definit.

48 Quippe ius in causa positum est, iustum ex re constituendum, ius ex facto oritur.

49 Nimirum in iusto non tantum ius spectari debet, sed etiam materiae aptitudo ad ius, adeoque convenientia, uel disconuenientia cum iure.

50 Etenim iustum non simpliciter iure, seu lege, metiendum est, sed applicatione, pro ratione materiae, prout haec legi uel congruit, uel contrariatur.

51 Si factum, seu materia, aut res, quoad omnes circumstantias, legi, prout concepta est, ita congruit, ut nihil incommodi, aut iniqui ex eius applicatione pronenire possit, uerbis ipsius stari potest.

52 Sin minus, talis facienda est interpretatio et applicatio, ut incommodum omne, aut iniquum cesset.

53 Quaeuis enim, interpretatio, quae iniquitatem continet, reicienda est, eaque amplectenda, quae aequitatem sapit, l. 16. ff. de condit. et demonstrat.

54 Ex iuris executio nec metum, nec iniuriam inferre debet l. 55. ff. de R. I. et l. 13. ff. de Iniur.

55 Quippe nulla iuris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut, quae

quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos du-
riore interpretatione contra ipsorum commodum producamus
ad seueritatem l. 25. ff. de LL.

56 Ex leuissima autem circumstantia contingere potest, ut res,
uel factum, iuri, si nude uel stricte sit applicandum, non congruat.

57 Ita scilicet, ut, caeteris paribus, seu salua paritate, aequabili-
tate, honestate, uel etiam utilitate, quin ipsius legis sententia, aut
ratione, applicatio fieri possit.

58 Tali igitur casu aequitas interuenire debet, iuris interpretatio-
nem et applicationem, aut obligationis executionem, pro ratione
circumstantiarum, ita dirigens, ut omnia ex aequo et bono fiant.

59 Idcirco aequitas quaedam factorum convenientia dicitur,
arg. l. 17. ff. de Iudic.

60 In aequitate autem examinanda ad omnes circumstantias est
respiciendum l. 31. ff. de posit. et l. 1. ff. si mulier uentr. nomin.

61 Aequitas diligenter inquit, quando, quantum, et cum qui-
bus, eaque omnia seruat, quae Graeci *πράγματα*, nos uulgo circum-
stantias appellamus, scribit Bolognetus.

62 Tanta enim circumstantiarum, quae actionum humanarum
naturam immutant, est multitudo, ut omnes praeuidere et accurate
definire, humani iudicii imbecillitas haud patiatur.

63 Ideo recte asserit Iulianus, Ictus, neque LL. neque SConful-
ta ita scribi posse, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, aut
articuli sigillatim comprehendantur l. 10. et 12. ff. de LL.

64 Et humanae condonandum est imbecillitati, si quid alicubi
sit praetermissum, ait Imperator l. 2. §. 2. C. de uet. Iur. enucl.

65 Scilicet nemo tam perfectas condere potest leges, quae per se
latis sint, quoscunque etiam singulares ac prorsus indiuiduos re-
rum euentus enumeret, seu quascunque circumstantias exprimat.

66 Tam incredibilis rerum et actionum est uarietas, ut noua
semper emergant, quae nouas definitiones postulant.

67 Legislator itaque, cum singularia omnia comprehendere ne-
queat, id, quod ut plurimum fit, sumit, eoque respiciens, fert legem.

68 Hinc Iura in iis, quae plerumque (*ἐπὶ τὸ πλεῖστον*) euenire so-
lent, constitui dicuntur l. 3. 4. 5. et 8. ff. de LL.

69 Et ius finitum esse, facti uero interpretationem plerumque etiam prudentissimos fallere, inquit ICus l. 3. ff. de l. et l.

70 Ea igitur, quae, singularem ob circumstantiam, a iure discrepare uidentur, ad aequitatem referenda sunt.

71 Haec, circumstantiis attendens, eam et interpretationem et applicationem iuris suggerit, quae factis rebusque congruit, cumque honestate utilitatem seruat.

72 Hoc sibi uult Vlpianus, quando, ex Paedii sententia, ea, quae ad eandem utilitatem tendunt, uel interpretatione, uel iurisdictione supplenda esse, scribit l. 13. ff. de LL.

73 Rem uno alteroque exemplo illustrare liceat, et quidem ratione circumstantiarum, uulgari hoc uersu comprehensarum: Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

74 Quis? denotat qualitatem personae, prout eam in genere producunt bona animi, corporis et fortunae.

75 Speciatim huc spectant (1) aetas, cuius intuitu et iuuenem et senem mitius puniri, aequum est.

76 Quare in omnibus poenalibus iudiciis et aetati et imprudentiae succurri, scribitur l. 108. ff. de R. I.

77 Quia delicta ex iudicio et animo doloso ueniunt, consilium uero in iunioribus non sit perfectum.

78 Et senes, aetate confectos, ob uirium imbecillitatem a fortuna liberandos esse, iudicat Vlpianus l. 3. §. 7. ff. ad SCt. Syllan.

79 Cumque senes inter uoletudinarios numerentur, statutum, loquens de infirmis, locum etiam habere in senibus, dicit Panorm. in c. magnae col. 1. de uot. percap. i. §. si autem de Cler. aegr. in 6.

80 (2) Conditio, e. g. paupertas, cuius in multis negotiis rationem habere, aequitas iubet.

81 Spectat huc canon: Pauperibus praecipue subueniendum est, qui laborare non possunt, c. 1. distinct 82.

82 Mouet hic Philo, Iudaeus, dubitationem de aequitate: qui factum, ut lex diuina, humanissima alias, personam pauperis in iudicio respici, uetaret?

83 Sed R. alia est ratio pauperis, quatenus egestas eius subleuanda est, alia, quatenus in legem deliquit.

84 Priore respectu, beneficentia et beneuolentia pauperibus lege diuina humanaque debetur.

85 Posteriore, animum delinquentis et mores, non fortunam, spectare, fas est.

86 Atque hoc ipsum est, quod aequitas dicitur, ne fortuna potius, quam animus et causa partium in iudicio consideretur.

87 Contra, aliae in delinquente attendi possunt conditiones, e.g. confessio libera, diuturna captiuitas, perperessio torturae, morbus grauior, etc.

88 Tales nimirum ad poenae mitigationem omnino facere, aequitas dicitur.

89 Pertinet huc personarum paritas, seu aequalitas, quæ eandem Juris dispositionem et applicationem postulat.

90 Inde est, quod dicitur: aequalitas inter partes debet in cunctis seruari, et actor et reus non debent ad imparia iudicari l. 77. §. 8. ff. de legat.

91 Imo propter seruandam aequalitatem saepe receditur a regulis iuris et proprietate sermonis l. fin. C. commun. utr. iur.

92 Paritati contradistinguitur respectus singularis, quem una persona erga alteram prae aliis sustinet.

93 Hinc subordinati amoris gradus oriuntur, ut Dei, patriae, nostri, parentum, liberorum, praeceptorum, propinquorum, familiarium, ciuium, subditorum, indigenarum, religionis sociorum, etc.

94 Sic e. g. aequitas postulat, ut, annona ingrauescente, prius prouideatur incolis, apud quos frumenta creuerunt, quam exteris.

95 Huc quoque referendum uenit officium, cui persona dignior praeest.

96 Intuitu muneris Ecclesiastici, quo ciuitatum integrarum salus nititur, Clerici ab oneribus publicis, saltem personalibus, sunt immunes.

97 Dignitatis quoque et functionis rationem circa poenas habendam esse, docet Vlpianus l. 5. et l. 9. ff. de poenis.

98 Quid? designat conditionem et proprietatem actus, seu qualitatem et quantitatem obiecti.

Bb 2

99 Sic

99 Sic circa rem furto ablatam non qualitas tantum, sed quantitas etiam consideratur, ut patet ex l. 16. ff. de poen.

100 Pariter non valent pacta circa rem sacro-sanctam, aut religiosam, iuxta §. 2. l. de inutil. stipulat.

101 Contra factum, cui auctoritas exempli patrocinator, ueniam, aut saltem poenae mitigationem, meretur.

102 Vbi? indicat conditionem loci, utrum publicus sit, an priuatus, sacer, an profanus, ordinarius, an extraordinarius, privilegiatus, an minus talis.

103 Quare maioris culpae habetur, manifeste, quam occulte, in aede sacra, aut palatio, quam domi peccare.

104 Conditio loci extraordinarii efficit, ut, qui moribus duos septem testes in uia, aut uilla, habere nequit, testamentum condere possit.

105 An uero asylorum et templorum religio aequitatis, saltem externae, momenta afferat, a scriptoribus disquiritur.

106 Quibus auxiliis? respicit instrumenta, quibus aliquid peragitur, tum animata, tum inanimata, siue sacra, siue profana, idonea et inidonea.

107 Ex his enim uoluntas, seu intentio, uel directa, uel indirecta, colligi solet.

108 E. g. si clauis adulterina penes aliquem, aedes alienas ingressam, fuerit deprehensa, furandi propositum praesumitur.

109 Idcirco instrumentorum differentiam diligenter examinare iubet ICrus l. 1. §. 3. ff. ad Leg. Cornel. de sicar.

110 Cur? intentionem agentis et finem concernit, estque notatu dignissima circumstantia, uberrimam aequitatis materiam praebens.

111 Ideo qui extrema famis necessitate coactus, ad conseruandam uitam, rem alienam aufert, uel nulla, uel saltem leniore, poena afficiendus est.

112 Pariter homicidium, tuendae uitae, aut propulsandae et ulciscendae iniuriae causa, e. g. in fure nocturno, latrone, aut aggressore iniusto, nec non adultero, perpetratum, remitti solet.

113 Vnde, quod quis ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimatur l. 3. ff. de l. et l.

114 Quo-

114 Quomodo? formam facti indicat, an nimirum dolo, culpa, ex errore, ignorantia, aut affectu grauiore, casu fortuito, ui, aut metu, euenierit.

115 Hoc imprimis attenditur in materia pactorum et contractuum, ubi naturali aequitate introductum est remedium restitutionis in integrum, si metu, dolo, uel ex errore pacti, laesionem sentiant.

116 Sic qui, iusta stimulatus ira, excessum committit, ueniam meretur, ob iustum dolorem, quem temperare, difficillimum est, iuxta l. 38. ff. ad leg. Iul. de adult.

117 Pariter, qui, ebrietate praeter culpam contracta, delinquit, clementius punitur per l. 6. §. 7. ff. de re militar.

118 Hic enim humana subuenit fragilitas, cuius omnino habenda esset ratio, arg. l. 8. C. de his, qui testam. fac.

119 Quando? Adiunctum temporis sistit, an scilicet sit dies festus, uel profestus, terminus legalis, tempestas publicae calamitatis, etc.

120 Circumstantia haec magis attendenda dicitur, quam loci l. 5. ff. de incend. ruin. naufrag.

121 Sic e.g. tempore pestis multa aliter indicantur aestimanturque, quam tempore solito.

122 *Contraria* sunt (1) aequitas cerebrina, quae sub specie et larua aequitatis potius iniquitas est, seu aequitas fucata et laruata.

123 Talis nimirum, quae sufficienti destituitur ratione, nullisque ignatur legibus.

124 Oritur ex communi omnium errorum origine, nimirum praepiudiciis, tum nimiae confidentiae, tum nimiae diffidentiae.

125 Et ubique per omnes iurisprudentiae partes uagatur, et circa applicationem aequae, ac interpretationem iuris, sese exerit.

126 Circa interpretationem, quando lex, ad factum applicanda, sub praetextu aequitatis inique explicatur.

127 Circa applicationem, quando lex sub colore, ac si iniqui quid contineat, plane deseritur, aut mutatur.

128 (2) Calumnia, Graecis *εὐνοφάρσια*, h. e. callida et malitiosa iuris legitimi interpretatio, seu uersuta solertia.

129 Hanc Cicero intelligit, quando pro Cecinna scribit: scriptum sequi calumniatoris est, boni autem iudicis, uoluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.

130 Variae huc spectant leges, imprimis l. 29 et 30. ff. de LL. et l. 5. C. eod.

131 (3) Rigor Iuris, Graecis ἀκριβοδυνατοι, seu summum Ius, unde ἀκριβοδυνατοι acerbi et maligni Iuris interpretes audiunt.

132 Scilicet, qui uerba legum nimis rigide sectantur, summo iure dicuntur uti.

133 Hoc autem quantopere semper fuerit improbatum, uel inde patet, quod summum Ius summa dicatur iniuria, uel, iuxta Columellam, summa crux.

134 Huc respiciunt l. 15. 17. 18. et 25. ff. de LL. l. 14. §. 13. ff. de religiof. et sumt. funer. l. 14. §. 1. ff. de eo, quod certo loco. l. 91. §. 8. ff. de V. O. l. 8. C. de ludic.

135 VII. *Scriptores*, hic imprimis commendandi, sunt: (1) Bolognetus (2) Grotius (3) Boeclerus (4) Struuius (5) Zieglerus (6) Schilterus.

136 VIII. *Axiomata* sunt: (1) Quod anima in corpore, id aequitas in iure, pactis, hominumque negotiis fere omnibus, habetur.

137 (2) Nec salua potest esse societas ulla, quae, sprete aequitate, rigidis tantum legibus stare uelit.

138 (3) Draconis leges, quia impendio acerbiores erant, non hominis, sed Draconis, non atramento, sed sanguine scriptae censebantur.

139 (4) Quare non decreto iussuque, sed tacito illiteratoque Atheniensium consensu sunt oblitteratae.

140 (5) Laudantur contra Praetores Romani, quod, aequitatis studio, salutaria introduxerint beneficia.

141 (6) Laudatur Sulpitius, quod LL. iurisque ciuilis sancita semper ad facultatem aequitatemque retulerit.

142 (7) Sunt enim quaedam tam uiolentae περιστάσεις, ut in iis legem seruare uelle sit in leges praecipuas peccare.

343 (8) Saltem in actionibus ciuilibus πρὸς τὸν κατὰ σκοπὸν oportet, non secus, atque in negotiis medicis et nauticis.

144 (9) Proinde, etsi cauto hic opus sit, ne quis uel alieni actus arbitrum se faciat, uel cerebrinam amplectatur aequitatem.

145 (10) Tamen res omnis humaniter aestimanda est, uidendumque,

que, an diserta legis uerba sequi, graue et intolerabile uideatur.

146 (11) Spectanda est communis humanae naturae conditio, comparanda est persona et res, de qua agitur, cum fine actus.

147 (12) Verbo: et honestatis et utilitatis publicae habenda in omnibus est ratio, indeque petenda acquitas.

148 (13) Imitanda identidem sunt heroica eorum exempla, qui, magni quid ausi, leges utilitati cedere iusserunt.

SECTIO II.

DE

PRAECOGNITIS IVRIS IN SPECIE, SEV I. N.

Agendum hic potissimum est (1) de Natura et indole I. N. (2) de Historia I. N. (3) de Fundamento I. N.

MEMBRUM I.

DE

NATURA ET INDOLE I. N.

I. *Notatio uocis.* II. *Existentia.* III. *Definitio.* IV. *Diuisio.* V. *Affectiones.* VI. *Differentia ab aliis disciplinis.* VII. *Adminicula.* VIII. *Controversiae.* IX. *Axiomata.* I. I.

Vox I. N. denotat legem naturae, uel complexum legum naturae, in sensu morali acceptarum.

2 Nam LL. N. in sensu Physico, seu Medico, sumtae, sunt certae, constantes, et firmae circa corpus naturale observationes, quae, instar regularum, nullam exceptionem patiuntur.

3 In sensu uero morali sunt decreta uoluntatis diuinae, circa actiones hominum morales, per dictamen rectae Rationis innotescentia.

4 Adeoque ius et lex h. l. synonymice accipiuntur pro iussu, uel uoluntate superioris, ut supra docuimus.

5 Quemadmodum Ius Naturae et Ius naturale idem pariter nobis sunt, quamuis discriminis quicquam hic comminiscantur Guilielmus Grotius, Meuius, Bodinus et alii.

6. Vocabulum naturae uarias quoque significationes admittit.

7 Nota est acceptio Scholasticorum, uel pro natura naturante, uel pro natura naturata.

8 Per

8 Per hanc intelligunt ordinem, a Creatore in rebus creatis constitutum, per illam uero ipsum Deum, ut Creatorem, autoremque ordinis naturalis.

9 Planius dici potest, uocem naturae accipi (1) pro corruptione hominum uitiosa, qualis nunc est a natiuitate, quo sensu status naturae a Theologis opponitur statui gratiae.

10 (2) Pro instinctu morali, omnibus animantibus communi, ut procreatio sebolis dicitur esse a natura.

11 (3) Pro operatione Rationis, quando, e. g. natura, uel naturalis Ratio in moralibus quid docere, aut suggerere dicitur.

12 (4) Pro constanti in rebus uniuersis ordine, ui et efficacia, unde natura hoc uel illud dicitur producere.

13 (5) Pro cuiuscunque rei individualis essentia, constitutione essentiali, conditione et qualitate, quam uel a se ipsa habet, ut solus Deus, uel a Deo, Creatore, ut creaturae omnes, in se consideratae, uel per impositionem, partim a Deo, partim ab hominibus, ut res morales et artefactae.

14 (6) Pro causa prima rerum omnium, Deo, ut Creatore Optimo Maximo.

15. Quatuor acceptiones posteriores hoc obtinent loco.

16 Quippe I. N. (a) per rectam Rationem innotescit (b) cum ordine, in rebus uniuersis diuinitus constituto, congruit (c) in conformitate actuum cum cuiuscunque rei, seu obiecti, natura consistit (d) Deum sui habet autorem.

17. Itaque, pro quadruplici hoc respectu, I. N. hanc sustinere appellationem dici potest, ut infra demonstrabimus.

18 Dicitur alias fas Deum, fas per naturam tale, I. G. Ius uniuersale et totius mundi, Ius omnes obligans ac singulos, nemine excluso.

19 Vocatur aeternum quoddam, quod uniuersum mundum regit, adeoque apud omnes gentes peraeque obseruatur, semperque firmum et immutabile manet.

20 Ciceroni audit lex, quam non opinio, sed uis innata affert, quam non didicimus, legimus et accepimus, uerum a natura ipsa arripuimus, etc.

21 II. *Existere* autem tale Ius, contra Pyrrhonios, Carneadem, Hobbesium,

bestium, aliosque, praefertim Pseudo-Políticos, sequenti potissimum modo probari potest:

22 (1) Homo, Dei subditus, uoluntatem Dei, ut gloriam sui, ita hominis felicitatem intendentis, in omnibus suis actionibus sequi teneretur, adeoque lege, agendi normam praescribente, Deiue uoluntatem exhibente, opus habet.

23 Quare hominem creare ex legem fini, quem sapientissimus benignissimusque Creator, creaturam rationalem condendo, sibi praestituit, repugnaret.

24 (2) Homo hunc in finem anima rationali praeditus est, ut legem Dei cognoscere, suasque eidem actiones conformare possit.

25 Clare hoc indicant duae, quibus anima constat, facultates, intellectus, seu potentia cognoscendi, et uoluntas, seu facultas eligendi, aut respuendi, non frustra a Deo concessae.

26 (3) Homo interno obligationis huius sensu afficitur, dum per conscientiam de actionibus iudicat, bonas cum gaudio approbando, malas cum dolore damnando.

27 Enimuero de actionibus, ad legem relatis, iudicare posse, aliquam praesupponit normam, seu legem.

28 III. *Definiri* solet I. N. uarie, pro uariis Dd. principiis.

29 Notae sunt descriptiones Aristotelis, Grotii, Pufendorffii et Ictorum civilium.

30 Has uero, cum declarando Iuri Naturae, quale nos statuimus, minime sufficiant, facessere hinc iubemus.

31 Nobis igitur I. seu L. N. est uoluntas Dei, per solam Rationem, recte adhibitam, innotescens, omnium hominum actiones, pro natura obiectorum, in relatione ad homines, consideratorum, ad Dei gloriam hominumque salutem ordinans.

32 Causa efficiens est Deus, ut omnium hominum superior, seu omnibus hominibus imperans.

33 Vnde uero diuinum in homines imperium sit deriuandum, uarie disquirunt scriptores, ut Alberti, Müllerus, Cocceius, Buddeus alique.

34 Nos, non creationis tantum et conseruationis beneficio, sed Dei etiam attributis, uti omnipotentia, eminentia, sapientia et bonitate, illud niti, credimus.

Cc

35 Hinc

35 Hinc colligi etiam potest, Deum non potuisse non hoc exercere imperium, talem homini imprimendo legem, sine qua generis humani natura subsistere nequit.

36 Subiectum L. N. sunt omnes omnino homines, ut inferiores, seu subditi Dei, per ipsam naturam, seu dependentiam naturalem, potestati diuinae subiecti.

37 Ergo fallitur Hobbesius, quando, atheum diuino imperio subiectum esse, ideo negat, quod atheus nec agnoscat Deum, nec eidem se subiiciat.

38 Medium cognoscendi I. N. est Ratio, utpote quam Deus voluntatis suae, qualem hic intelligimus, dictatricem, ac ueluti promulgatricem esse, uoluit.

39 Rationis ope I. N. seu uoluntatem Dei intelligere, et ad ipsius normam actiones componere possumus.

40 Non igitur Ratio est ipsa L. N. ut multi, metonymice loquentes, docent.

41 Equidem, per solam Rationem, secundum uires naturales spectatam, de L. N. constare, dicimus, a Reuelatione, seu luminis superioris collustratione, hic abstrahentes.

42 At Rationem uolumus recte adhibitam, h. e. cultam, ab ignorantia, erroribus, praecudiciis, prauisque affectibus liberatam, cui homo in uolendo aequae, ac intelligendo unice attendat.

43 Ratio, ita se habens, id praestare ualeat, ut homo, in omnibus, tum intellectus, tum uoluntatis operationibus, naturae rerum sese conformare, adeoque legem naturae et cognoscere et perficere possit.

44 Hoc enim Rationi a Deo esse tributum, ex ipsius essentia, proprietatibus et effectis perinde, ac Conditoris, Dei, attributis, supra demonstrauimus in Ethic. Sect. IV. Membr. I.

45 Quod uero plurimi hominum actiones legi naturae plane diuersas, adeoque irracionales, admittant, non a Ratione est, sed Rationis deprauatione.

46 Vt adeo inter Rationem abstractiue et concretiue consideratam, inter usum Rationis et abusum, probe sit distinguendum.

47 Obiectum I. N. sunt actiones hominum morales, quae mores, seu

seu certam uiuendi rationem, legibus determinatam, concernunt.

48 Et quidem, quatenus natura obiectorum, in relatione ad homines consideratorum, ex ordinatione et uoluntate Dei, sunt metiendae.

49 Finis itaque intermedius est praestatio et obseruatio eius, quod cuiuscunque rei natura ab homine, rationaliter agente, requirit, seu iustitia naturalis, et uita rationalis.

50 Vltimus, et quidem primarius, est uoluntatis diuinae adimpletio, quaeque cum hac coniuncta est, Dei gloria.

51 Secundarius uero hominum conseruatio, salus et felicitas.

52 Fundamentum est natura rerum, quatenus in relatione ad hominem spectantur, adeoque operationum, seu actionum humanarum obiecta fiunt.

53 Hoc autem, cum omnibus I. N. demonstrationibus substituendum, adeoque penitus cognoscendum sit, infra seorsim exponemus.

54 IV. *Diuidimus* I. N. reiecta uulgari et incongrua partitione in positium et negatium, seu reductium, in animale et rationale, in primaecium, seu primitium, et secundarium, sequenti potissimum ratione:

55 (α) Ratione formae et effectus, in praeceptium, seu obligatorium, et permissium, seu concessium.

56 Praeceptium, in sensu complexo sumtum, est, quod actus hominum morales, cum natura obiectorum necessario conuenientes, praecipit, et contrarios prohibet.

57 Oriuntur hinc actus absolute et immutabiliter necessarii, ita, ut non magis, qui praecepti sunt, omitti, quique prohibiti, fieri ab homine possint ac debeant, quam, hominem simul non-hominem esse possibile est, ut infra demonstrabimus.

58 Adeoque tales actus LL. posituius denuo quidem, ut agendi o-mittendiue, proponi, et certa sub poena iniungi possunt, non autem eatenus mutari, ut ex praeceptis fiant prohibiti, et uice uersa.

59 Hoc est, Magistratus pro illis quidem, et circa illos, non contra, seu aduersus illos, quicquam disponere potest.

60 Permissium est, quod actus, cum natura obiectorum, neque

necessario convenientes, neque contradictorie pugnantes, permittit.

61 Dicuntur eiusmodi actus permitti, h. e. quorum suscipiendorum facultatem I. N. concedit, quamdiu scilicet per L. L. positivas et pactiones non aliter fuerint determinati.

62 Hoc enim pacta et L. L. positivae, a superiore latae, possunt, ut ea, quae alias I. N. permitti sunt, pro ratione necessitatis et utilitatis, necessario agenda, uel omittenda reddant.

63 (2) Ratione subiecti et obiecti, in absolutum, seu generale, et hypotheticum, seu speciale.

64 Absolutum est, quod omnes homines, quia tales, citra respectum ad certum statum, factum, aut institutum, concernit, adeoque pro obiecto habet res, absolute, secundum essentiam, naturam et conditionem originariam, in relatione ad hominem spectatas.

65 Hypotheticum est, quod homines, intuitu certi status, facti, aut instituti, ab hominibus formati, introducti, aut recepti, attingit, adeoque pro obiecto habet res, quoad conditionem, per impositionem ualidam essentiae iam constitutae superadditam, ad hominem relatas.

66 Quippe per uocem naturae duplicem rei conditionem, originariam et accessoriam, designari, supra diximus, et infra uberius exponemus.

67 Vnde duplex I. N. oritur obligatio, seu necessitas moralis, absoluta et hypothetica, de qua pariter infra.

68 (γ) Ratione totius substantiae, in principia et principiata, seu conclusiones.

69 Principia sunt talia axiomata, seu praecepta, et interdicta generalia, quae Ratio ex communi rerum, in relatione ad hominem consideratarum, cognitione, unicuique facile et sine discursu suggerit.

70 Talia sunt, e. g. Deus super omnia est colendus, parentes sunt honorandi, nemo laedendus, suum cuique tribuendum, homo homini debet prodesse, etc.

71 Conclusiones sunt propositiones practicae speciales, quae ex principiis, seu axiomatibus generalibus, mediante discursu Rationis, super naturam rerum ad homines relatarum reflexae, deducuntur.

72 Eiusmodi sunt : Deo externum praestare cultum decet, iniuria parentum est ferenda, superbia est uitanda, transitus innoxius non est denegandus, etc.

73 V. *Affectiones*, seu proprietates et adiuncta I. N. sunt (1) dignitas, seu praestantia, a nobilitate causae et effectorum proueniens.

74 Vnde proximum a Theologia locum I. N. sibi vindicare, non inepte iudicat Bodinus.

75 (2) *Utilitas*, quae in omnes omnino disciplinas, hominum conditiones uiuendique rationes quam latissime sese diffundit.

76 Quippe I. N. et Theologo et Politico inseruit, in decidendis casibus conscientiae, in confirmandis uitae praeceptis, in dirimendis summorum imperantium controuersis, in condendis interpretandisque legibus, etc.

77 Id quod I. N. doctores passim demonstrant, nominatim Grotius, Pufendorfus, Kestnerus, Willembergius, Cramerus, Titius, Reimerus etc.

78 (3) *Vniuersalitas*, ratione obligationis, ad omnes in uniuersum homines extensae.

79 Cum enim omnes Deum, ut Creatorem suum aequae, ac Conservatorem potentissimum, sapientissimum providentissimumque, cognoscere debeant, omnes etiam uoluntati eius sunt subiecti.

80 (4) *Immutabilitas*, ui cuius nec abrogatio, nec derogatio, nec dispensatio, adeoque nullus mutationis modus, in I. N. cadit.

81 Fundamentum quippe I. N. est convenientia actuum cum natura obiectorum, cuius oppositum, cum pugnam contradictoriam inuoluat, non magis simul stare potest, quam homo non-homo, creatura non-creatura, ut infra ostendemus.

82 (5) *Certitudo et euidencia*, talis nimirum, ut, saltem ratione principiorum primorum, a quouis homine, Rationis usum tenente, intelligi et demonstrari possit.

83 Nam Rationi id datum esse, ut obiectorum practico- rum naturam sufficienter assequi, eidemque actiones suas conformare possit, aliquoties iam diximus.

84 (6) *Simplicitas*, in eo consistens, quod I. N. circa generalia potissimum uerletur, neque ad specialia progrediatur.

85 Quare tot aliae LL. positivae, tam diuinae, quam humanae, eidem superadduntur, quae negotia peculiariora, pro ratione status, in primis legalis, definiunt.

86 (7) Insufficientia, tum ratione uitae Christianae, tum ratione salutis aeternae.

87 Etenim longe perfectius excellentiusque est lumen Reuelationis, quam Rationis, animae immortalitatem uix assequentis, nedum uitae alterius felicitatem, eiusque consequendae media.

88 VI. *Differre* itaque I. N. ab omni iure positiuo, qua tali, diuino pariter, atque humano, facile patet.

89 Consistit nempe differentia potissimum in diuersitate principii cognoscendi, subiecti, obiecti, adiuncti, finis et effectus.

90 VII. *Adminicula* autem I. N. rite addiscendi, sunt (1) studium scientiarum Philosophicarum.

91 His enim excolta Ratio operationes suas naturae rerum facile conformare potest, eoque ipso I. N. principia suggerere.

92 (2) Lectio scriptorum, tum historicorum, tum dogmaticorum.

93 Hinc quippe ad demonstrandum confirmandumue, quod iuris est naturae, et rationes et exempla desumi possunt.

94 (3) Constitutio fundamenti adaequati, certi et solidi.

95 Vtpote sine quo nihil firmi demonstrari potest, sed anceps identidem dubiusque circa I. N. asserta haeret animus.

96 VIII. *Controuersiae* insigniores, hic occurrentes, sunt: (1) an poenalis etiam sanctio in I. N. detur?

97 Sic aiendum, hoc nimirum sensu, quod L. N. homines, in iustissimum Deum peccantes, ad poenas quidem damnet, harum uero definitionem, seu determinationem, et executionem Deo, Deique uicariis, relinquat.

98 (2) An non dispensatio circa LL. naturae a Deo possit fieri, uel saltem aliquando circa certos facta fuerit actus, uti parricidium, Abrahamo imperatum, ablationem rerum Aegyptiacarum etc?

99 Negandum est: hic enim non dispensatio, seu mutatio praeceptorum L. N. est admittenda, sed mutatio in obiecto L. N. per accedentem Dei, rerum omnium domini, iussionem facta, ut infra dicemus.

100 (3) An I. N. etiam in statu integritatis, seu Paradiso extiterit?

101 Affirmandum est, quia (1) homo non potuit creari exlex (2) ipsa Ratio L. N. suggerit (3) absurdum foret, dicere, I. N. homini nunc demum connasci, uid. hic Musaeus, Alberti, Sensius, aliique contra Muelenium.

102 IX. *Axiomata* sunt: (1) Non sane Politicorum commentum, ex ratione status introductum, haberi debet I. N. sed prouidi sapientissimique Numinis decretum.

103 (2) Est actionum humanarum norma, hominibus innata, hominumque cordibus insculpta.

104 (3) Non quidem per modum habitus, sed potentiae proxima, et respectu Rationis, facienda et omittenda suggerentis.

105 (4) Ipsa hominis conscientia de iure hoc testatur, dum internum obligationis sensum, nunc de benefactis gaudento, nunc de malefactis dolendo, exerit.

106 (5) Nec leue hic momentum affert gentium, uniuersalem hanc legem perinde, ac summum legislatorem, admittentium, consensus.

107 (6) Et quamuis pravae gentium quarundam consuetudines I. N. aduersentur.

108 (7) Hinc tamen, Iuris huius sensum omnino defuisse, concludi haud potest.

109 (8) Peruersae educationi institutisque malis hoc tribuendum est, non Iuris connati ignorationi.

110 (9) Quippe a facinorum, I. N. prohibitorum, admissione ad ipsius Iuris eiusue notitiae negationem N. V. C.

111 (10) Nec etiam improbae leges humanae dignissimo huic Iuri quicquam derogant.

112 Tales non leges dici merentur, sed legum corruptela.

113 (11) Perinde, ut horologium, cum motu solis non conueniens, horarum perturbatio, non horologium est.

114 (12) Manet I. N. immota moralitatis regula, qua cuncta hominum instituta metienda sunt.

115 (13) Quare, non a Praetoris edictis, neque a LL. XII. Tab. sed penitus ex intima L. N. Philosophia, Iuris disciplina haurienda est.

116 (14)

116 (14) Et, omnes in ciuitate leges ad regulam summae illius legis, quam in mente, tanquam criterium et normam, circumferimus, aptentur, necesse est.

MEMBRVM II.

DE

HISTORIA IVRIS NATVRAE.

I. *Fata I. N.* II. *Scriptores.* III. *Historiographi.* IV. *Axiomata.*

I I.

Fata I. N. duas potissimum periodos concernunt, unam corruptionis, et alteram repurgationis.

2 Periodus corruptionis fuit ante tempora Grotii, utpote quibus I. N. sparsim et confuse, absque ulla artis et disciplinae forma, fuit propositum.

3 Primo nimirum a Poëtis, Philosophis et Historicis inter fabulas, praecepta morum, rerum gestarum narrationes, habitasque declamationes, hic et illic quicquam fuit inspersum.

4 Postea non ciuili tantum Iuri, sed et Theologiae fuit immixtum, multis scholasticorum ineptiis, barbaro praesertim seculo, obscuratum, nouisque identidem erroribus Iesuitarum corruptum.

5 Tandem a Peripateticis aliisque Philosophis sectariis, uel cum Ethica confusum fuit, uel uariis de causis neglectum.

6 Periodus repurgationis incipit ab aetate Grotii, qua natiuo suo nitori haec Philosophiae Moralis pars fuit restituta.

7 Grotius quippe, multa ueterum lectione usus, I. N. scientiam primus in artem redegit, aureoque systemate, quod I. B. et P. inscripsit, complexus est.

8 Quare hic inter I. N. Dd. talis merito habetur, qualis Lombardus, sententiarum magister, inter Dd. Theologiae Scholasticae.

9 Hunc demum alii secuti, ad eum, quo iam consistit, perfectionis gradum I. N. doctrinam euexerunt.

10 II. *Scriptores* itaque I. N. uel primarii sunt, uel secundarii,

11 Primarii sunt (1) Hugo Grotius, Batauus, circa quem, uberioris cognitionis causa, sequentia notari possunt:

12 (a) Vita eius: hanc inter alios scripserunt Freherus, Wittenius,

us, Meursius, Leickerus, Bailletus, Baelius, Tenzelius, Reimmannus.

13 (3) *Elogia*: horum plurima habent Blount, Cumberlandus, Magirus, Seldenus, Pufendorffius, et commentatores plerique in suis ad opus Grotianum notationibus.

14 (7) *Scripta*: praecipua sunt (1) de ueritate Religionis Christianae (2) *Mare liberum* (3) de antiquit. Reipubl. Batavi. (4) de imper. summ. potest. circa sacra (5) *Annal. et Histor. de reb. Belgic.* (6) *Historia Gothorum Vandalorum etc.* (7) de iure Belli et Pacis, etc.

15 (8) *Occasio operis de iure belli et pacis*: fuit haec suasio Nicolai Claudii Fabricii de Peirefc, consilarii Gallici, qui Grotium, in exilio tum uidentem, permonuit, ut libros hosce conscriberet, primumque Parisiis A. 1625. ederet.

16 (1) *Fata huius operis*: primum quidem in Gallia omni fere aestimatione fuit destitutum, et Romae tertio post editionem anno ab inquisitionis officio haereseos notatum, postea uero tum in Germania, tum alibi, communi fauore et applausu exceptum.

17 (2) *Laudes*: dicitur opus incomparabile, admirabile, diuinum, aureum, de coelo delapsum, concinnum I. N. systema etc.

18 (7) *Naeui*: tales sunt hypotheses Scholasticae, principia heterodoxa, seu haeretica, Syncretismi, Arminianismi, Calvinianismi, Iudaismi etc. Indigesta dictorum testimoniorumque peregrinorum coaceruatio, demonstrationes principio suo minus congruae etc. a quibus tamen liberare eum studuit Arnoldus.

19 (9) *Commentatores*: horum praecipui sunt Gronouius, Feldenus, Spinaeus, Boeclerus, Zieglerus, Ofrander, Henniges, Simonis, Velthemius, Tesmarus, Obrechtus, Muelenius, Bechmannus, Kulpisius, Hedingerus, Jaegerus, Cocceius.

20 (1) *Epitomatores et imitatores*: tales sunt Guilielmus Grotius, Müllerus, Seckendorffius, Klenckius, Schefferus, Vitriarius, Suicerus, Willembergius, Ferberus.

21 (*) *Versio*: Gallice Grotium uertit Curtinus, Germanice Sioldus, seu Schützius.

22 (2) Thomas Hobbesius, Malmesburiensis Anglus, subtilis et acuti ingenii, sed proteruae improbitatis uir, circa quem pariter notari merentur sequentia:

23 (α) Biographi eius: tales sunt Freherus, Wood et anonymi
sat multi.

24 (β) Scripta: haec uno opere prodierunt Amstelodami A. 1668.

25 (γ) Liber, huc spectans: sunt elementa philosophica de Cive,
in Latino, Gallico et Anglico idiomate edita.

26 (δ) Principium: naturalem hominis statum talem esse, docu-
it, in quo bellum omnium contra omnes, et ius omnibus in omnia,
et voluntas laedendi in omnibus sit.

27 (ε) Causa absurdorum dogmatum: haec, prout Dd. putant,
fuit partim novitatis, ex ambitione affectatae, amor, partim Regi
suo, Carolo, complacendi studium, partim intima cum Gassen-
do, Epicuri sectatore, amicitia.

28 (ζ) Aduersarii: tales habentur Wardus, Grandis, Scharro-
ckius, Heydius, Coquius, Bramshallus, Clarendonius, Haringtho-
nius, Eadworthus, Baxterus, Parkerus, Wallisius, Cumberlandus,
Morus, Rachelius, Strimesius, Conringius, Osiander etc.

29 (η) Defensores: horum numero habentur Gassendus, Velt-
huysius, Becmannus, Gündlingius, Bredelo.

30 (θ) Iohannes Seldenus, itidem Anglus, Ictus doctissimus,
qui, honesta Grotii aemulatione excitatus, eruditum de I. N. et G.
iuxta disciplinam Ebraeorum opus scripsit, circa quod haec no-
tanda sunt:

31 (α) Scopus scripti: propositum ipsi fuit in hoc volumine con-
gerere, quicquid I. N. et G. ex sententia populi Ebraici habetur,
utpote cuius leges et origine diuina et antiquitate quam maxime
uenerabiles sunt.

32 (β) Argumentum: septem Noachidarum praecepta exponit
(1) de cultu externo (2) de maledictione nominis diuini (3) de ho-
micidio (4) de turpitudine ex concubitu (5) de furtis et rapinis (6)
de iudicio (7) de animalis uiuentis membro non comedendo.

33 (γ) Iudicium de eo: imperfectum habetur hoc systema, tum
propter omissa I. N. praecognita, tum propter fundamentum ob-
scurum, incertum et minus domesticum.

34 (δ) Scriptores, de eo legendi: tales sunt Hugo Grotius et
Guil. Grotius, Pufendorfius, Buddeus, et alii.

35 (4) Samuel Pufendorfius, uir ingenio et eruditione incomparabilis, de quo haec notari merentur :

36 (α) Vita eius: haec descripta repetitur a Baelio, Reimanno, Claramundo, et autoribus des Teutschen Reichs-Staats et der denckwürdigen Lebens Memoire des Freyherrn uon Pufendorf.

37 (β) Scripta, huc referenda: sunt elementa Iurisprud. uniuersalis: octo libri de I. N. et G. ac libri duo de O. H. et C.

38 (γ) Fata scriptorum: uarias excitauit controuersias, sub nouitatum praetextu motas, a Pufendorffio autem solidis rationibus, stylo licet acriori, decisas.

39 (δ) Aduersarii: tales fuerunt Beckmannus, Schwarzius, Gessenius, Velthemius, Alberti, Scherzerus, Seckendorffius, Zentgraeuius, Pfannerus, Strimesius, Scharenschmidius.

40 (ε) Commentationes: tales ad libros de I. N. et G. scripsit Hertius, ad libros de O. H. et C. Titius, Weberus, Treuerus, Hochstetterus, Proeleus, Kemmerich, Waldkirch.

41 (ζ) Versiones: Barbeyracius ipsum Gallice, Kennedus Anglice, Weberus et Hertius Germanice uertit.

42 Secundarii scriptores non unius, sed uarii sunt generis.

43 Alii enim Scholasticorum, et ex parte Grotii, principia sequuntur, uti Zentgraeuius, Ferberus, Eisenhardus, Langius etc.

44 Alii cum Pufendorffio quodammodo sentiunt, uti Cumberlandus, Thomafius, Placcius, Rechenbergius, Wernherus, Beierus, Gundlingius, Rysselius, Proeleus, Gentzkenius, Lunckherus, Gerhardus, Wahlius etc.

45 Alii ab utroque discedunt, uti Cocceius, Kestnerus, Cramerus etc.

46 Alii fundamenti loco reuelatam substituunt Religionem, ut Alberti, Praschius, Senftius etc.

47 Alii noua plane principia introducere studuerunt, uti Buddeus, Bodinus, Amthor, Hedingerus, Hopperus, Strimesius etc.

48 Alii, nulli sese adstringentes principio, libera utuntur methodo, uti Meuius, Wachterus, Gribnerus, Goepelius etc.

49 III. *Historiographi*, qui I. N. Scriptores, tum ueteres, tum recentiores uberius exponunt, sunt Pufendorffius, Thomafius, Eisenhar-

senhardus, Buddeus, Ludouici, Groeningius, Procleus, Gentzkenius, Kemmerich.

50 Hos euoluere et perlustrare operae pretium omnino est, ad cognoscendum I. N. incrementa, tum scriptorum diuersorum principia.

51 IV. *Axiomata* sunt: (1) Non inanis scientiae literariae pars est I. N. historia, sed apprime utilis.

52 (2) Hinc enim, a quibus et quomodo praestantissimum hoc studium identidem fuerit excutum, nosse datur.

53 (3) Germanis quidem praecipuam hictribuendam esse laudem, in propatulo est.

54 (4) Hi quippe I. N. disciplinam in lucem restituere, inque formam artis redigere studuerunt.

55 (5) Quo ipso Angli, Bataui alique populi excitati, praestantissimi huius studii culturam susceperunt.

56 (6) Ita, ut Iurisprudentia Naturalis intra superius, quod effluxit, seculum plures habuerit progressus, quam aetate per annorum millia.

57 (7) Quae quidem cultura ipsi etiam Iuri Ciuli et emendando et augendo non parum inferuunt.

58 (8) Dolendum modo est, quod I. N. Dd. in huius perinde, atque aliarum disciplinarum, principiiis non conueniant, sed adeo a se inuicem discrepent, ut unus alterum proscindere et heterodoxiae, quin Atheismi, inculpae audeat.

59 (9) Quid? quod multi, uerborum magis, quam rerum, rationem habentes, in uanas sese dederunt logomachias.

60 (10) Adeoque minus recte iudicasse uidetur uir ille doctus, qui, Iurisprudentiam haeretificandi rixandique malo haud esse inquinatam, dixit.

MEMBRUM III.

DE

FUNDAMENTO I. N.

I. Notatio uocis. II. Definitio. III. Requisita. IV. Iudicium. V. Scriptores. VI. Fundamentum nostrum. VII. Probatio eius. VIII. Vfus. IX. Axiomata.

Vox *Fundamenti* idem hic denotat, ac principium demonstrandi, seu

seu cognoscendi, unde, quid I. N. sit, sine difficultate colligi possit.

2 Cum enim principium in genere dicatur, unde aliquid quocunque modo dependet, principium cognoscendi, seu demonstrandi I. N. id esse debet, unde Iuris Naturae cognitio dependet.

3 Contradistinguitur eiusmodi principium cognoscendi principio obligandi, seu, ut uulgo dicunt, essendi, aut fiendi, quod est uoluntas Dei.

4 Quippe a Dei uoluntate Ius Naturae, res, secundum naturam suam consideratas, respiciens, aequè dependet, atque res ipsa.

5 Neque lex, proprie sic dicta, concipi potest absque uoluntate superioris, uim et obligationem legi addentis, ut infra demonstrabimus.

6 Cum autem Dei uoluntas, quae legem naturae constituit, per Rationem cognosci debeat, principio aliquo, seu fundamento, cui cognitio talis innitatur, opus est.

7 Quemadmodum enim Ratio, leges diuinas positivas cognitura, scripturae, tanquam principio cognoscendi, attendere debet, ita leges non-scriptas, seu naturales, affectura, certum statuere debet fundamentum, cui demonstrationes suas superstruere possit.

8 Quid enim aliud est demonstrare, quam ex claro luculentoque, et extra omnem dubitationem posito, principio, iuxta concludendi leges, aliquid deducere?

9 Hinc demum oritur scientia, et inuitabilis credendi necessitas, ita, ut, qui assensum suum denegare, aut id, quod demonstratum est, inficiari uellet, is Ratione sua palam abuti censetur.

10 II. *Definiri* itaque potest eiusmodi fundamentum, seu principium, per propositionem aliquam generalem, unde omnes I. N. hypotheses et conclusiones immediate et euidenter deduci ac probari, h. e. actus, diuinae uoluntati conformes, aut difformes, cognosci ac demonstrari possunt.

11 Dicitur tale principium uulgo complexum, quia integram propositionem complectitur, cui contradistinguitur incomplexum, quod nudo termino effertur.

12 E. g. Theologiae moralis principium incomplexum est Scriptura sacra, complexum haec fere propositio: Quicquid in uerbo Dei

Dei reuelato praecipitur, uel prohibetur, illud in Theologia morali proponendum est.

13 Non magis igitur Iurisprudentiae naturalis doctor eiusmodi principio demonstrandi carere potest, quam Theologus moralis, nisi, pro arbitrio suo, de agendis omittendisue uelit statuere.

14 Quin imo, sicut nullus circulus sine centro confici potest, ita nulla lex I. N. sine lege aliqua fundamentali exponi potest.

15 Neque exigua confusio I. N. ante Grotium causa fuit eiusmodi principii, seu fundamenti, neglectus.

16 Equidem non desunt, qui, principium tale inueniri posse, ideo negant, quod nulla omnino disciplina sit, quae una sola propositione absoluat.

17 At hi principium primum absolutum et generale a principiis primis respectiuis et specialibus non recte discernere uidentur.

18 Diuersa eiusdem disciplinae objecta, diuersique status, diuersa admittunt principia, etiam prima, at respectiua et specialiora, quae primum aliquod absolutum et generale praesupponunt.

19 An non Iurisprudentiae civilis, plurima admittentis principia, fundamentum absolutum et generale hoc est? Quicquid legibus in Corpore Iuris Iustiniano comprehensis, usque constanti in imperio nostro receptis, conforme est, id Iuris civilis esse censendum est.

20 Quare seduli I. N. Dd. disciplinam hanc nitore suo nativo restituri, id potissimum curarunt, ut certum aliquod principium, seu fundamentum, constitueretur.

21 Et quamuis non eandem omnes uiam ingressi sint, neque id, quod praestandum erat, praestiterint, satius tamen est, aliquod habere fundamentum, quam nullum.

22 Vt autem recte ponamus caloulum, ante omnia, quale hic fundamentum quaeratur, dispiciendum est.

23 III. *Requiratur* itaque, ut sit (1) certum, seu demonstratiuum, unde certae et indubitatae hypotheses, iuxta concludendi leges, inuitabili necessitate deriuari possint.

24 Cum enim Iurisprudentia naturalis sit scientia practica, principium etiam firmo et necessario uero inniti debet.

25 (2) Clarum seu evidens, unde facili et perspicua subsumptione I. N. praecepta colligi possint.

26 Cum enim cuius homini, etiam plebeio, ad cognoscenda I. N. dictata inferuire debeat, tam evidens etiam esse oportet, ut connectio conclusionum ueluti palpari possit.

27 (3) Adaequatum, seu sufficiens, unde omnes I. N. conclusiones immediate deduci possint.

28 Cum enim totius Iurisprudentiae Naturalis fundamentum esse debeat, uniuersale etiam, seu sufficiens, omnia I. N. praecepta suo ambitu complectens, iisdemque ex aequo et adaequate respondens, fit, necesse est.

29 (4) Domesticum, seu huic disciplinae proprium, unde solius Rationis ope I. N. ab omnibus cognosci ac demonstrari possit.

30 Cum enim I. N. omnibus, adeoque etiam Ethnicis, reuelationem haud agnoscantibus, commune esse debeat, ex sola etiam Ratione, seu uniuersali, cunctisque hominibus competente I. N. cognoscendi medio, depromendum est.

31 IV. *Iudicari* hinc facile potest de aliorum principiis, an talia reuera et omnino sint, qualia esse debebant.

32 Scilicet principium (1) Grotii, Pufendorffii aliorumque, qui hos sequuntur, de colenda socialitate, uel, ut Cumberlandus uult, de beneuolentia omnium in omnes, nec evidens satis est, nec adaequatum, nec domesticum.

33 Et quamuis Ictus Rostochiensis, Sibrandus, quatuor suis regulis illud dilucidare studuerit, non tamen omnes sustulit difficultates.

34 Vt adeo non iniuste reiiciatur a Cocceio, Khunio, Fischbeckio, aliisque.

35 (2) Nitschii, Zentgraenii aliorumque de cultu Dei, nec evidens est, nec adaequatum.

36 (3) Hugonis de Roy, Hedingeri, Weisii, Hopperi, Iani, Boecleri, Winckleri aliorumque de amore Dei et proximi, nec evidens est, nec domesticum.

37 (4) Velthuyssii, Bodini aliorumque de fine mundi, aut ordine naturae, obscurum est.

38 (5) Pritii, Mäldneri, Titii aliorumque de fine hominis conditioni eodem uitio laborat.

39 (6)

39 (6) Zentgraeui, Ferberi, Jaegeri, Röhrenseei, Bittigii, aliorumque de conformitate creaturae cum Creatore, huiusque sanctitate et iustitia, nec clarum est, nec domesticum.

40 (7) Melanchthonis, Hemmingii, Philonis, Calixti, Boecleri aliorumque de obseruando decalogo non domesticum est.

41 (8) Alberti, Lanii aliorumque de imagine status Paradisiaci, nec euidens, nec adaequatum, nec domesticum est.

42 (9) Strimesii de amore intellectuali nec certum, nec clarum, nec adaequatum, nec domesticum est.

43 (10) Gundlingii, Gerhardi aliorumque de pace externa, nec certum, nec euidens, nec adaequatum, nec domesticum est.

44 (11) Cocceii, Kestneri, Crameri aliorumque de uoluntate Dei pro principio obligandi habendum est, non demonstrandi, seu cognoscendi.

45 V. *Scriptores*, qui uaria eiusmodi principia I. N. recensent, sunt: (1) Kulpisius (2) Wernherus (3) Hertius (4) Schneiderus (5) Lanus (6) Rechenbergius (7) Gribnerus (8) Gundlingius (9) Janus (10) Pritius (11) Gerhardi (12) Gentzenius.

46 VI. *Fundamentum uero nostrum* est convenientia actuum cum natura obiectorum, in relatione ad homines consideratorum.

47 Per naturam quid intelligamus, iam supra indicauimus.

48 Nimirum est conceptus essentialis, constitutio et essentia, qualitas et conditio, quae essentiam rei constituit, aut consequitur.

49 Verbo: est id, quod res est, uel esse debet, et per quod definitur, ita, ut eius oppositum contradictionem inuoluit, remque non amplius id esse, patiatur, quod est, uel esse debet.

50 Hinc definitio dicitur oratio, rei naturam sufficienter explicans, seu *quid* et *quale* indicans.

51 Quippe in omni definitione duo occurrunt: quid res sit? et qualis sit?

52 Quid? exprimit conceptum rei essentialem, qui Logici genus uulgo dicitur.

53 Qualis? notat affectiopes, seu proprietates rei, ratione causarum et effectorum, quae alias differentiam rei constituere dicuntur.

54 Sic igitur natura in Deo, Creatore, est ipsa essentia Dei simplicis.

plicissima, a Philosopho ex operibus et attributis eius cognoscenda: in rebus autem creatis natura duplicem inuoluit indolem, seu conditionem, originariam et accessoriam.

55 Illa est dispositio, quam quaelibet res per affectiones, aut proprietates suas physicas, citra interuentionem alicuius facti, aut impositionem, essentiae, iam constitutae, superadditam, habet.

56 Verbo: est qualitas naturalis, quae ab autore naturae rebus inest, uel essentiam necessario consequitur.

57 Haec est conditio, quam res per impositionem, seu actum uoluntatis humanae antegressum, habet.

58 Eiusmodi conditionem, seu qualitatem, habent omnes res, per certum institutum ita, uel aliter, dispositae, qualia instituta sunt iuramentum, dominium, coniugium, seruitus, et societas quaelibet.

59 Naturam, priori sensu acceptam, seu originariam respicit I. N. absolutum: posteriori autem significatione sumtam, seu accessoriam I. N. hypotheticum, in statu tum naturali, tum civili.

60 E.g. quilibet homo per proprietatem naturalem hoc habet, ut alteri sit aequalis, adeoque etiam aequaliter tractandus.

61 Contra, quod seruus hero certas operas pro certa mercede obsequiose et fideliter praestare debeat, non per naturam est, sed ab instituto, ex pacto nimirum, seu conuentione.

62 Notanter uero dicimus, naturam obiectorum, in relatione ad homines consideratorum.

63 H. e. pro eo respectu, qui ex conditionibus, seu qualitatibus rerum ad nos resultat, nostramque adeo uoluntatem ad agendum, uel non agendum determinat.

64 Scilicet, quicquid operationum uoluntatis nostrae obiectum, seu *περαντινον τι*, fieri dicitur, ita comparatum esse debet, ut grati quicquam, uel aduersi, boni aut mali, afferat.

65 Quemadmodum enim intellectus cognoscentis obiectum debet esse cognoscibile, ita uoluntatis determinantis obiectum debet esse appetibile, uel minus tale, h. e. uel bonum, uel malum.

66 Voluntas enim, neque appetendo, neque auersando, sese determinare potest, nisi, re quapiam sub specie boni maliue repraesentata, ut in Ethicis docuimus.

Ee

67 Quid

67 Quid uero boni aut mali res afferat, consideratio eius, ad nos relata, docet.

68 E. g. homo, debitum parentibus officium praestiturus, naturam eorum in relatione ad se considerare debet.

69 Sic deprehendet, parentes esse causas secundas, quibus Deus in generatione ac productione physica sit usus, quibusque adeo, post Deum, uitae et conseruationis beneficium acceptum referre debet.

70 Huic igitur naturae conformiter operaturus, parentes honorare et amare debet.

71 Honorare enim nihil aliud est, quam opinionem, de alterius praestantia et bonitate conceptam, certis actibus significare.

72 Amare est intima mentis propensione erga alterum, a quo beneficia in me profecta sunt, ferri.

73 Quicumque igitur parentes suos contemnere aut laedere sustinet, actus, cum natura pugnantes, committit, eoque ipso contra I. N. peccat.

74 Intellectu enim dependentiam sui a parentibus, tanquam causis secundis, a Deo adhibitis, agnoscere, et parentes tamen prauis uoluntatis actibus contemnere, aut laedere, inter se pugnant.

75 Id, quod Deo etiam, sapientissimo naturae ordinisue rerum auctori, eiusque uoluntati iustissimae, seu I. N. non potest non aduersari.

76 Quippe haec demum uoluntas Dei immutabilis lexque aeterna est, ut homo operationes suas naturae rerum conformet.

77 Hoc demonstraturi, ante omnia monemus, eam Dei uoluntatem, qua legem naturae constare, dicimus, non uerbis ac scriptis, sed factis et operibus Rationi innotescere.

78 Quamuis enim I. N. sub reuelationem quoque cadat, et decalogo contineatur, in proprio tamen et stricto sensu, Iuri positiuo, seu scripto, contra distinguitur.

79 Neque, cum uniuersale sit, omnesque in uniuersum homines obliget, reuelatio autem non omnibus obtingat, aliunde, quam ex Ratione, deduci debet.

80 Saltem a reuelatione hic abstrahendum est, uel non, nisi ad confirmanda aut illustranda, quae Ratio depromsit, argumenta, a Philosopho Christiano ex ea quid adducendum.

81 Vo-

81 Voluntatem igitur factis aequae, ac uerbis scriptisue declarari posse, manifestum est.

82 De humana quidem uoluntate exempla occurrunt in l. 5. ff. rem rat. hab. l. 2. §. l. ff. de pact. l. 14. ff. de N. G. l. 11. et 13. C. eod. l. 7. ff. de Religiof.

83 Diuinam uero uoluntatem ex operibus creationis colligi debere, Paulus innuit ad Rom. l. 19. et 20.

84 Nimirum ex factis Creatoris necessario inferri debet, quod iis necessario cohaeret, arg. l. 2. ff. de Iurisdict.

85 Posita enim actione, ponitur agentis uoluntas, cum actio, cum effectus, supponat uoluntatem, tanquam causam.

86 Deus igitur, dum agit, ultro uult id, quod agit, et actio, quam agit, a uoluntate eius proficiscitur.

87 Quare uoluntas Creatoris, uerbo, uel scripto, comprehensa, iuris diuini positiui, facto autem declarata, I. N. nomine uenit Kestnero.

88 Et Alphonsus de Castro scribit: I. N. illud est, quod ex ipsius naturae institutione uenit: nam quae quis facit, illa uult, et alias frustra ageret Creator, si effectum non haberet.

89 Inter facta autem Creatoris praecipua sunt creatio, conseruatio, ordinatio, instigatio, seu inclinatio.

90 Haec omnia certum finem, certam intentionem certumque sapientissimae uoluntatis propositum prae se ferunt.

91 Sapientissimus quippe Creator non fortuito agit, sed certum semper ob finem, qui nihil aliud est, quam intentio agentis, quae in moralibus optima dicitur probatio, adeoque ueluti anima I. N. est, uti ratio spiritus Iuris Ciuilis.

92 E. g. ex eo, quod Deus duplicem creauit lexum, eique generandi propensionem et facultatem concessit, recte uoluntas Dei de propagando genere humano colligitur.

93 Piscium, ferarum, pecudum, frugum, aliorumque terrae prouentuum creatio ad alendum et sustentandum hominem facta censetur.

94 Artificiofa planeque admiranda corporis humani structura ad perficiendas animae operationes a sapientissimo Creatore destinata est.

- 95 Neque adeo inepte in demonstranda naturae lege ad physiologiae mechanicae principia multi prouocarunt, ut supra docuimus.
- 96 Cum itaque Deus hominem animam rationali, intellectum et uoluntatem, seu intelligendi agendique potentiam, complexa, donauerit, credendus etiam est, uelle, ut homo intelligat agatque.
- 97 Scilicet intellectus nihil aliud est, quam mens, in consideratione obiectorum cognoscibilem spectata, et uoluntas, mens in electione, uel auersione obiectorum appetibilem, uel minus appetibilem considerata.
- 98 Seu intellectus est facultas rem in sua natura cognoscendi, et uoluntas potentia circa obiecta cognita sese determinandi.
- 99 Adeoque intellectus et uoluntas sunt termini respectui, qui non absolute, sed relate, in ordine ad sua obiecta, a quibus denominationem habent, concipi debent.
- 100 Absolute enim spectati, nihil aliud sunt, quam mens et substantia spiritualis, quae dicitur intellectus, quando refertur ad obiecta cognoscibilia, et uoluntas, quando refertur ad obiecta appetibilia, uel minus talia.
- 101 Quomodo enim maritus, pater et dominus nihil aliud sunt, quam homo, in respectu ad diuersa sua correlata consideratus.
- 102 Humana igitur mens ad duo haec officia a sapientissimo Creatore condita est, et ordinata, ut intelligat et agat.
- 103 Hinc intelligere et agere Ciceroni dicitur finis hominis naturalis, et ipse homo ad intelligendum natus, sicut auis ad uolandum.
- 104 Norma autem, quam animus noster in determinando, seu agendo, aequae, ac in cognoscendo, seu intelligendo, nisi fallus esse uelit, sequi debet, est natura rerum.
- 105 Hanc et intellectus et uoluntatis operationibus homo exprimere debet.
- 106 Quippe natura rerum, circa quas, uel uolendo, uel intelligendo, uersamur, non sequitur operationes mentis nostrae.
- 107 Contra, mens nostra, circa res cognoscendas, uel agendas, occupata, naturam rerum attendere debet.
- 108 Quomodo in Mathesi naturae corporum habenda est ratio, si haec inter se congruere debent.

109 Hinc

109 Hinc intelligere nihil aliud est, quam rem in sua natura cognoscere, eidemque, tanquam normae cognitionis, ideam conformem, seu formam conceptum naturae rei cognitae conformem.

110 Et ueritas cognitionis, seu, ut uulgo dicitur, Logica, quantum intellectus pro fine habere debet, dicitur conformitas intellectus cognoscentis cum natura rei cognitae, seu conuenientia conceptum et idearum mentis cum re extra mentem.

111 Contra, falsitas est difformitas, seu disconuenientia, idearum mentis cum natura rei cognitae.

112 Quemadmodum itaque uerum et falsum contradictorie pugnant, ita conceptus et idea, rei dissimilis, est idea non-idea; iudicium non-iudicium.

113 Essentiae enim rerum sunt uerae, adeoque idea, rebus dissimilis, pro falsa, isdemque contradictorie opposita, haberi debet.

114 Oppositio quippe contradictoria est, cuius altera enunciatio semper est uera, altera falsa.

115 E. g. si arborem uellem concipere tanquam halitum uaporesum, ex terra ortum, per aërem diffusum, et male olentem, habere ideam non-ideam, arborem non-arborem.

116 Nam talis idea arboris naturae repugnat, utpote quae non halitum eiusmodi sistit, sed corpus uegetabile, caudice et brachijs ramosis constans.

117 Sic expeditum est, intellectus officium ac finem naturalem, a Deo ordinatum, esse, ut intelligendo, uel cognoscendo, naturae obiectorum sese conformet.

118 Eadem uero certitudine demonstrari potest, uoluntatem quoque in determinando, seu agendo, naturae rerum sese assimilare debere.

119 Quippe eodem modo se habere debet animus, in respectu ad obiecta eligenda, uel respuenda, consideratus, h. e. uoluntas, ac se habet in ordine ad obiecta cognoscibilia spectatus, h. e. intellectus.

120 Par utrobique est ratio: idem operationis subiectum, mens: eadem norma, obiectorum natura: idem officium, recte operari, finesque naturales consequi.

121 Cum igitur intellectus, recte cogniturus, naturae rerum at-

tendere debeat, uoluntas etiam, recte electura, uel auersatura, ob-
iectorum practicorum naturam sequi tenetur.

122 Rectitudinem in cognoscendo, seu ueritatem, intellectus ob-
tinet, si conceptus et iudicia naturae rerum conformat.

123 Contra, in errores, seu falsitates, incidit, si dissimiles obiecto
cognoscendo ideas concipit.

124 Pari modo, rectitudinem in agendo, seu iustitiam, uoluntas
consequitur, si naturae rerum, ab intellectu cognitae, determina-
tiones suas assimilatur.

125 Sin minus, actiones iniustas, prauas et peruerfas, seu uitia et
peccata, committit.

126 E. g. qui circa opes, uel diuitias, recte agere cupit, earum na-
turam considerare, debet, in relatione nimirum ad hominem,
quatenus commodi, uel incommodi, quid afferunt.

127 Sic cognoscet, eas per se nihil facere ad ueram firmamque ho-
minis salutem, felicitatem ac beatitudinem.

128 Esse tantum media, diuinitus ordinata ad ordinariam nostri
conservationem, et commoda proximo praestanda.

129 Caeterum, transitorias easdem esse, fluxas et instabiles, cura-
rum et periculorum plenas.

130 Talem de diuitiis ideam intellectus formare debet, tale ferre
iudicium.

131 Quod si igitur uoluntas, circa diuitias occupata, has, tanquam
talia media, diuinitus ordinata, appetit, iisdemque propter sapien-
tissimam Dei ordinationem ad hunc finem utitur, recte agit.

132 Sin uero intellectus, diuitias conciperet, tanquam omnis salu-
tis fundamentum, seu S. B. cui obtinendo homo unice deberet at-
tendere, idea oriretur, naturae diuitiarum plane aduersa.

133 Quam ideam si uoluntas in operationibus suis sequatur, quid
aliud, quam peruerfas et improbitas oriri possit?

134 Patet hinc, uoluntatem ultimum plerumque intellectus iu-
dicium sequi, seu ita se determinare, prout ab intellectu de ob-
iecto determinationis fuerit informata.

135 Adeoque necessarium esse, ut recta prius cognitione intelle-
ctus imbuatur, quam uoluntas ad agendum procedat.

136 Quippe, ut in Ethica docuimus, intellectus uoluntati doctor et ductor a sapientissimo Creatore datus est.

137 Quo ipso etiam evinci potest, diuinæ omnino uoluntatis esse, ut homo, in uoluntatis aequæ, ac intellectus, operationibus naturarum rerum sequatur.

138 Etenim Deus sibi perpetuo constat, eiusque uoluntas ab intellectu simplicissima essentia non, nisi nostro concipiendi modo, separari potest.

139 Adeoque, etsi liberrimus est, tamen, pro intrinseca sua perfectione, non, nisi quæ rerum naturæ congruere, intelligit, uelle, nec nisi talia, pro summa sua sapientia, intelligere potest.

140 Cum igitur hominem creaturam rationalem condiderit, non potest non uelle, ut rationalis sit, et rationaliter agat.

141 Rationaliter agere est naturæ rerum in omnibus suis operationibus sese conformare.

142 Hoc quippe, ut supra docuimus, Rationis officium est, adeoque hominis finis naturalis, quin opus essentiae humanæ proprium.

143 Hoc sensu Deum, Rationem et Naturam sequi unum idemque ueteribus denotasse uidetur.

144 Asserenda autem hic omnino est Dei uoluntas, tanquam principium et fundamentum obligationis.

145 Nam citra uoluntatem Dei nulla uis est, quæ hominibus cunctis parendi necessitatem iniungere, eorumque libertatem agendi, quod lubet, restringere possit.

146 Nec ulla lex sine iussu aut uoluntate superioris dici, uel fingi potest.

147 Adeoque Dei, omnium hominum rectoris, hic præsupponenda est uoluntas, nisi admittere uelimus, hominem aut non debere, aut non posse naturæ rerum actiones suas conformare.

148 Hoc uero idem foret ac dicere, Deum, et sibi contrarium esse, et contradictoria admittere posse, seu Deum non-Deum.

149 Id est, Deum creasse quidem hominem creaturam rationalem, non tamen uelle, aut non præstare posse, ut homo rationaliter uiuat, seu intelligendo et uolendo naturæ rerum sese conformet.

152 Vtrumque diuinae repugnat perfectioni, alterum quidem summae eius bonitati, alterum uero sapientiae ac potentiae.

151 Quippe perfectio Dei hæc duo potissimum inuoluit.

152 Tum, ut qualitatibus, seu uirtutibus, ab ipsius tamen essentia non distinctis, adeoque etiam bonitate, super omnia excellat.

153 Tum, ut fines intentioni suae, aut intellectui suo sapientissimo, conformes obtineat, adeoque omnes creaturas in essentia sua, perfectas producat.

154 Dum igitur hominem creaturam rationalem condere uoluit, non potuit non eundem perfecte rationalem condere, et simul etiam, ut rationaliter agat, finesque naturales, essentiae proprios, impleat; omnino uelle.

155 Neque enim Deum, pro perfectione sua, aliter intelligere et uelle posse, antea docuimus.

156 Haec itaque Dei uoluntas est, legisque naturalis propositio fundamentalis: Homo in omnibus suis actionibus naturae rerum, in relatione ad se consideratarum, sese conformare debet.

157 Adeoque nostrum I. N. cognoscendi aut demonstrandi principium est conformitas actuum uoluntatis humanae cum natura suorum obiectorum.

158 VII. *Probatio* huius principii desumi potest a quatuor, quae eidem competunt, requisitis.

159 Est nimirum (1) certum et demonstratiuum, iuxta ea, quae de finibus et officiis intellectus et uoluntatis naturalibus, seu ab ipso creatore ordinatis, dicta sunt.

160 Scilicet utraque facultas in operando naturae obiectorum, circa quae uersatur, sese assimilare debet.

161 Intellectus quidem ideas, seu conceptus, de quauis re formando, uoluntas uero rem eligendo, uel respuendo, seu ad certas actiones sese determinando.

162 Ideo, utriusque quidem facultatis operationes, cum natura obiectorum suorum congruentes, diuersis uocibus, ueritatis et iustitiae, notantur.

163 Saepissime tamen apud sacros acque, ac profanos scriptores uno eodemque nomine ueritatis promiscue et synonymice ueniunt.

164 Notae sunt phrasae: operari ueritatem, Ioh. III. 21. facere mendacium, Apocalypf. XXII. 15.

165 Veritatem in iustitia detinuisse dicuntur gentes, Rom. I. 18. h.e. explicante Augustino, seris iniquae uoluntatis ita detinuisse, ne exiret ad effectus et opera ueritati conformia.

166 Vel, prout ipse gentium doctor c. l. u. 25. declarat, ueritatem Dei conuertisse in mendacium, h.e. perpetrasse actiones uerae Dei cognitioni, qualis etiam ex lumine naturae suppetit, aduersas.

167 Vnde Rom. II. 8. dicuntur non ueritati (*τῇ ἀληθείᾳ*) sed iniustitiae (*τῇ ἀδικίᾳ*) paruisse.

168 Sic peccatum dicitur mendacium, seu destinatio et aberratio a ueritate, seu praescripto rectae Rationis, apud Nicol. Abraam, & Soc. Ies. in tractat. de ueritat. et mendac.

169 Et practicas aequae ueritates, ac speculatiuas, ex ipsis rerum naturis naturali Ratione cognosci posse, scribit Molina.

170 Sic *ἀληθειαν*, seu ueram colligere Aristoteli dicitur Ratio, in rebus practicis occupata.

171 Quin Flaminius, Philosophus, honestatem definit, quod sit ueritas, quam sequatur et admittat appetitus.

172 Nec infrequense est iusti pro uero acceptio.

173 E. g. Filius iustus l. 2. ff de adoption. uxor iusta apud Suetonium, dominus iustus apud Cicronem, preces iustae apud Clement. Alexandrinum.

174 Princeps Aegyptiorum sacerdos, ius in omnes dicens, de collo imaginem ex sapphiro gessit, quam ueritatem dicebant.

175 Quare ius in uero positum esse, et, qui a uero recedat, eum semper et a iusto et legitimo declinare, Plato docuit.

176 Et ueritatem uitae humanae moderatricem ueteres dixerunt Philosophi.

177 Qui, Dromastem, Deastrum suum, corpore quidem lumini, anima autem ueritati esse similem, docuerunt.

178 Qui et ipsi ueritatis indagatores dicuntur, quemadmodum Philosophia ueritatis indagatrix (*θῆρα τῆς ἀληθείας*) uocatur.

179(2) Euidens, ut qui uis homo, Rationis usu pollens, circa omnes res practicas illud adhibere ualeat.

Ff

180 Quip-

180 Quippe omnis uoluntatis determinatio, seu actio, ultimum intellectus practici sequitur iudicium.

181 Nec appetere quicquam, uel auersari potest homo, nisi antea, quid boni maliue afferat, cognouerit.

182 Hoc cogniturus, Ratione recte adhibita, naturam obiecti, seu proprietates eius, in relatione ad hominem, considerare debet.

183 Eiusmodi consideratione facile et uerum et falsum, adeoque et bonum et malum, et agendum et omittendum, cernet.

184 Nec, nisi bonum aget, malumue omittet, si naturae obiectorum, prout Ratio eam cognoscit ac iudicat, omnino sese conformat.

185 Naturae et essentiae rerum sunt uerae, hominumque actiones reddunt ueras, h. e. bonas et iustas, ubi iisdem (quae Dei est uoluntas) fuerint conformes.

186 Conformes autem fieri possunt, si Ratio ubiuis et unice attendatur.

187 Rationem enim, in se spectatam, rerum naturam perspicere, adeoque uerum cognoscere et suggerere posse, supra docuimus.

188 (3) Adaequatum, quod omnia I. N. capita complectitur.

189 Ita scilicet, ut omnes iustitiae naturalis actus, seu officia omnia, tum erga Creatorem, tum erga creaturas, immediate et a priore inde demonstrari possint.

190 E, g. Quod Deus ab homine super omnia sit honorandus, amandus, timendus, ex natura Dei, seu attributis eius, praecipue relatiuis, cognosci potest.

191 Cum enim summus sit Creator et Conseruator, qui solus homini, quicquid est, et quicquid habet, dat, quique potentissima sua gubernatione omnia complectitur, merito honorandus est.

192 Honorare enim, ut supra diximus, nihil aliud est, quam opinionem, de alterius praestantia et potentia conceptam, animo fovere, certisque signis declarare.

193 Cumque solus summum sit bonum, quod hominem unice beare queat, etiam super omnia amandus est.

194 Amare enim, iuxta superius dicta, est intima quadam propensione aliquid appetere, ut tale, quod bonum nobis est, nobisque benefacere potest.

195 Con-

195 Contra, cum ira eius, ut iustissimi ac seuerissimi peccatorum vindicis, summum hominis malum haberi debeat, super omnia quoque timendus est.

196 Timere enim quempiam est malum, quod ab eo nobis fieri potest, mente concipere, idq; ne eueniat, maxime cupere et cauere.

197 Porro praeceptum de nemine laedendo facile ex natura hominis, qua talis, dignosci potest.

198 Quippe considerando hominem, iuxta me uiuentem, intelligo, in eum nihil iuris mihi competere, eum mihi esse aequalem, seu aequum hominem, eiusdem speciei creaturam, eiusdemque societatis membrum, eundem habere Creatorem et dominum, eandem legem et obligationem, eadem iura etc.

199 Hinc Ratio suggerit, eum, ut aequalem, esse habendum, idemque ei a me faciendum, quod mihi ab eo fieri, uelim, et contra.

200 Sic tandem concludere debeo: ergo ab omni abstinendum est laesione, ut aequalitati contraria.

201 Laedere enim nihil aliud est, quam sibi in alterum, in quem nullum ius competit, ius arrogare, eidem auferendo quicquam, uel faciendū, quod auferri, uel fieri non debebat.

202 (4) Domesticum, seu disciplinae huic proprium, ac sola Ratione assequendum.

203 Quippe Ius Naturae ipsam tantum obiectorum essentiam ac naturam, seu condiciones naturales, in relatione ad hominem consideratas, respicit.

204 Caetera autem iura actionis, uel omissionis, fundamentum habent in qualitate, ex arbitrio entium intelligentium rebus, physice iam constitutis, superaddita, seu impositione libera.

205 E. g. Quod homo luxuriam euitare debeat, ipsa obiectorum, ciborum scilicet, et potuum uestiumque, natura docet.

206 Haec enim non ad uanam uoluptatem, sed hominis nutritionem et conseruationem, ueluti fines naturales, a Creatore esse destinata, liquet.

207 Adeoque debitus eorum usus homini salutem affert, abusus uero, qualem luxuriosus facit, perditionem.

208 Contra, quod subdiri a capiendis feris abstinere debeant, non a Iure Naturae est, sed Ciuili.

209 Nam naturalis ferarum conditio ita comparata haud est, ut homines fugae, aut auersionis fundamentum in ea inueniant.

210 Ergo a sola Imperii ciuilis impositione est, quod earum captura in genere prohibitorum, uel illicitorum, habeatur.

211 Hoc autem nemo citra legem positam, rite promulgatam, scire potest.

212 Cum e contrario illud hominibus cunctis, sana Ratione ualentibus, ex sola rei consideratione facile succurrat.

213 VIII. *Vfus* Spectari potest (1) ratione praesuppositorum, quae sunt (2) hominem, ut iuris naturae subiectum, in statu naturali, seu integritatis, aut perfectionis naturalis, esse concipiendum.

214 H. e. talem, qui tum intellectus, tum uoluntatis uitiis sit liberatus, adeoque ad perficiendas harum facultatum operationes consequendosque fines naturales aptus.

215 Quippe, ut supra inuimus, naturae uocabulo, si per se sumatur, bonitatis quaedam et perfectionis notatio inest.

216 Mala enim non secundum naturam sunt, utpote cuius autor perfectissimum est Numen, sed illi maxime aduersantur.

217 Et quicquid corruptionis humano nunc generi adest, id naturae, qualis ea primum a Deo condita fuit, omnino repugnat.

218 Neque enim (quod supra monuimus) imperfectum, aut uiciosum producere opus, Dei patitur perfectio et bonitas.

219 Ita, ut quamuis Ratio, sibi relicta, defectuum humanorum originem a protoplastorum lapsu arcessere nesciat, eos tamen alii cuiuspiam causae, quam Deo, Creatori, tribuendos esse, liquido nouit.

220 Talis igitur status, in quo homo concessa a Deo uires et facultates recte adhibere, adeoque intelligendo et uolendo obiectorum naturae sese conformare potest, naturalis, seu integritatis et perfectionis naturalis, dici potest.

221 In Philosophico nimirum sensu, ac generaliori, non Theologico, ac stricto, aut proprio.

222 Peripde, atq; illa corporis humani dispositio, in qua omnium partium operationes, e.g. nutritio, sanguinis motus, debito modo fiunt, dicitur status naturalis, h. e. sanitatis et rectitudinis naturalis.

223 Ex aduerso illa corporis conditio, in qua eiusmodi operationes,

nes,

nes, propter superuenientes morbos, aut non amplius, aut saltem inordinate, fiunt, status praeternaturalis, seu morbi uocatur.

224 Quemadmodum igitur Medicus, aegrotum, cuius curationem suscipit, et habuisse aliquando sanitatem, et recuperare eam posse, praesupponit.

225 Ita Philosophus moralis, hominem sanaturus, integrum eum et fuisse, et reddi quodammodo posse, praesumit.

226 Idque figillatim intendit Ethica, ut mentem hominis, a prauis liberatam morbis, ad conformandas naturae obiectorum operationes, legisque adeo naturalis dictata perficienda, idoneam reddat.

227 Quo quidem nomine Ethica, ueluti disciplina praeparans, et necessaria omnino habenda est, et utilis.

228 Hinc enim actionum moralium, ad leges accommodandarum, honestas, hominisque adeo integritas in Iurisprudencia praesupponitur.

229 (P) Praecepta I. N. alia, ut principia, alia, ut conclusiones, eademque, uel absolutas, uel hypotheticas, considerata, adeoque probe a se inuicem discernenda esse.

230 Etenim illa generatiora sunt, hocque nomine magis obuia, perspicua, ac probatu facilia.

231 Ita scilicet, ut, attenta actus et obiecti natura, statim convenientia aut discrepantia, adeoque iustum, uel iniustum, deprehendatur.

232 Haec uero specialiora sunt, ac saepe mediorum rationem habent, quorum ope officium aliquod, a Iure Naturae praeceptum, perfici potest.

233 E. g. Nemini rem suam auferendam, aut citra ius aliquod denegandam, esse, generale I. N. axioma est, idque planum et perspicuum.

234 Hoc quippe ipsa rei alienae natura ostendit, cum contradictorium sit, rem, uni propriam, simul et in solidum alterius esse, h. e. propriam et non-propriam.

235 Proprietas enim, seu dominium, stricte sic dictum, est ius ita rem aliquam habendi, ut eodem modo in solidum ad alium non pertineat.

236 Adeoque consistit in pertinentia rei ad certum dominum, et exclusionem aliorum.

237 In quamcunque igitur rem tale ius non competit, in eam nemo id sibi, salua rei natura, ipsaque adeo lege naturali, arrogare potest.

238 Contra, quod rem alienam casu inueniens, facta debito loco et tempore denunciatione, curare debeat, ut res inuenta domino restitatur, conclusio est, ex generali quidem illo praecepto fluens, non aequae tamen plana.

239 Cum enim neque res talis alteri iniuste sit erepta, neque dominus eius sciatur, omnino inuenientis propria statim fieri posse uidetur.

240 Attamen, quia dominium omne ex pacto, uel lege est, adeoque sola inuentio tale ius non tribuit, res inuenta tamdiu alterius, manet; quamdiu de animo derelinquendi non constat, ac dominum resciscendi media suppetunt.

241 Inter quae media cum praecipuum sit denunciatio, huius omissio animum rem alienam retinendi arguit, eundemque in moralibus operatur effectum, ac furtiua rei alienae ablatio, seu detentio.

242 Facta autem denunciatione, nec apparente domino, ei deum rem inuentam leges tribuere possunt, cui fors, aut fortuna, eam destinare uoluisse uisa fuerit.

243 (γ) Certas hic tenendas esse regulas generales, principii, seu fundamenti nostri tum explicationem, tum applicationem concernentes, quales sunt:

244 (1) Prout quid naturae rerum conuenit, naturaliter iustum, et contra, prout naturae auerlatur, naturaliter iniustum habendum est.

245 Sic omne furtum, homicidium et latrocinium naturae rerum repugnat, adeoque naturaliter iniustum est.

246 (2) Rebus, per naturam ad certum usum certosque fines naturales datis, abuti, est L. N. uiolare.

247 Ergo omnis luxuria, prodigalitas, ebrietas, libido et scortatio L. N. damnatur.

248 (3) Qui rei cuiuspiam usum ultra aptitudinem naturalem extendit, reabuitur, et in conditionem naturae peccat.

249 Inde, quid de animorum ad certam fidem coactione, de euentuum

uentum humanorum praedictione, ex siderum positu, autum uolatu, etc. facta, iudicandum sit, facile patet.

250 (4) Cuiuscunque rei usus naturalis homini competit, illius utendae fruendae media etiam competere censenda sunt.

251 Idcirco marium, fluminum, uiarum infestatio, transitus innoxii et commerciorum prohibitio, non, nisi inter hostes, iusta est.

252 (5) Quicquid ad conseruationem et amplificationem bonorum, homini concessorum, tendit, illud, ceu naturaliter iustum, fieri posse existimandum est.

253 Ex principio hoc uiolenta sui contra iniustum inuasorem defensio, praedonum nocturnorum occisio, etc. iusta haberi debet.

254 (6) Naturalem in rebus omnibus ordinem, quippe ab ipso Creatore constitutum, seruare, aut custodire, fas est.

255 Sic diuersi dantur amoris gradus, pro naturali cognitionis ordine, utpote qui regulam facit comparisonis officiorum, naturali potissimum iure debitorum.

256 (7) Prohibita omnino censerentur ea, a quibus naturali pudore homines communiter abstinere uidentur.

257 Talia sunt denudatio proxime coniunctorum, seu matrimonia incestuosa, in primis in linea ascendente et descendente.

258 (2) Ratione legum collidentium, et quidem apparenter tantum, non reuera, quibus conciliandis nostrum inseruit principium.

259 E. g. collidere uidentur hae duae leges: alterum ne occidas, et uitam tuam defendas, etiam cum occisione, seu interneccione inuasoris.

260 At, si diuersa utriusque obiecti natura consideretur, utraque lex salua manebit.

261 Quippe prior agit de homine in fonte, aut immerente, in quem, ut natura aequalem, nullum alteri ius competit, quique adeo, dum alterum non laedit, nec laedi ab altero sine causa debet.

262 Posterior loquitur de homine, qui alterum iniuste inuadit, eique laesionem, aut mortem intentat, adeoque ius, quod in alterum statuere audet, in se etiam admittere debet.

263 Sic praeceptum de seruanda omnibus modis uita collidere uidetur cum hoc, quod uitam potius abiicere oporteat, quam minima etiam simulatione, aut dissimulatione Deum negare. 264

264 Verum diversa utrobique obiecti est natura, adeoque facilissima hinc suppetit conciliatio.

265 Quippe concurrunt hic corpus hominis, eiusue conseruatio, seu uita, quae Dei O. M. est donum, et anima huiusque salus, in constanti Dei cultu posita.

266 Quanto igitur anima praestat corpore, tanto etiam animae salus corporis conseruationi, seu uitae praesferenda est.

267 Et quanto plus donator, Deus, quam donatarius, homo, ipsumue donum, hominis uita, existimari debet, tanto maior etiam cultus diuini, quam uitae humanae, habenda est ratio.

268 Cum autem qualicumque Dei abnegatione et Dei cultus uioletur, et animae salus in discrimen adducatur, illa omnino, etiam cum iactura uitae, fugienda est.

269 Plures eiusmodi leges, apparenti inter se collisu pugnantes, praeter Grotium, Pufendorfium ac Thomasium, Hertius, Boehmerus, Rinkius aliiq. ex instituto collegerunt.

270 (3) Ratione consecratorum, sua ueluti sponte inde fluentium, qualia sunt.

271 (a) Quod omnia I. N. attributa inde demonstrari possint.

272 E. g. Immutabilitas et aeternitas eo nixitur, quod naturae rerum sint aeternae, scilicet non respectu existentiae, praesentiae, aut durationis, sed consequentiae, praedicationis, aut diuinae destinationis.

273 Vniuersalitas inde colligitur, quod omnibus in uniuersum hominibus, ab autore naturae, Deo, indicum sit, naturam obiectorum et intellectus et uoluntatis operationibus sequi.

274 Simplicitas ex simplici rerum natura sequitur, qualem quisque naturali Rationis ui cernere et cognoscere potest.

275 (ß) Quod pleraque aliorum principia, ueluti secundaria, cum hoc, tanquam primario, conciliari possint.

276 E. g. De lege Dei aeterna, de uoluntate Dei, de iustitia eius et sanctitate, de conformitate creaturae cum Creatore, de fine hominis conditi, de ordine naturae, de dictamine rectae Rationis, de socialitate etc.

277 Quippe haec demum lex Dei aeterna est, aeternis rerum naturis conformiter agere.

278 Nec

278 Nec magis quicquam et uoluntati Dei, et iustitiae et sanctitati conueniens est, quam naturae rerum in omnibus sese assimilare.

279 Hunc pariter finem hominis naturalem, et essentiae humanae, utpote rationali, proprium esse, supra docuimus.

280 Et quid aliud est, ordinem naturae obseruare, quam naturae rerum operationes suas conformare?

281 Hoc ipsum Ratio dictitat, cui naturas rerum perspicere, easdemque operando exprimere posse, datum est.

282 Homini autem cum aliis hominibus socialiter uiuendum esse, ipsa hominis natura, prout eam et animi facultates, et corporis structura, declarant, docet.

283 (γ) Quod plurimae, eaeque intricatae satis et dubiae, controversiae inde decidi possint.

284 E. g. An dentur actus antecedenter ad uoluntatem Dei moraliter boni, uel mali, seu in se et sua natura turpes, aut honesti?

285 Quae quidem assertio, a scholasticis excogitata, si nude et crude, abstrahendo ab omni Dei uoluntate, accipiat, nulla est.

286 Hocque nomine a Pufendorffio, Thomasio, Kulpisio, Wernhero, Beyero atque Gribnero haud immerito taxatur, dissentientibus licet Zentgraeui, Eisenhardo, Bittigio, aliisque scholasticorum patronis.

287 Nam citra legem, seu uoluntatem superioris, saltem Dei, non magis concipi potest moralitas, quam creatura absque Creatore.

288 Neque ad sapientissimum Dei intellectum eiusque perfectionem aut sanctitatem prouocare sufficit.

289 Siquidem intellectus et uoluntas in simplicissima Dei essentia non magis separari possunt, quam sapientia et bonitas.

290 Quippe Deus, et si liberrimus sit, tamen, pro intrinseca sua perfectione, non, nisi quae rerum naturae, a se constitutae, congrue uidet, uelle, nec, nisi talia, pro summa sapientia sua, uidere, iam aliquoties docuimus.

291 Quod si uero thesis intelligatur de conformitate, uel difformitate actuum cum natura obiectorum, adeoque de bonitate et prauitate, quae uoluntatem Dei posituam, rebus, physice iam constitutis, aliquid superaddentem, antecedit, recte se habet.

Gg

292 N imi

292 Nimirum hoc ipso, quod Deus rerum naturas ita, uel ita produxit, hominemque rationalem, h. e. ad cognoscendas exprimendasque rerum naturas aptum, condidit, etiam, ut rationaliter agat, uoluit.

293 Adeoque distinguendum est inter uoluntatem Dei implicitam, connexam, concomitantem, aut ipsis factis declaratam, seu naturalem, et explicitam, inconnexam, consequentem, aut uerbis significatam, seu positiuam.

294 Vnde Grotii opinio, quod detur lex naturae, etiamsi Deus aut non existat, aut negotia humana non curet, et absurda et impia haberi debet.

295 Quis enim, sublato Deo, naturas rerum conderet? quis creaturis omnibus essentiam daret? quis religionem animis, quis terrorem conscientiae incuteret?

296 Nonne, hoc posito, statueretur effectus sine causa, uel hac ille prior, principium supra Deum, obligatio ante legem?

297 Nec distinguere hic iuuat (1) inter phrasin et phraseos sensum (2) inter ius et legem (3) inter ius moralitatis et moralia ipsa (4) inter disputationem κατ' ἀνθρώπων et κατ' ἀλήθειαν.

298(d) Quod iurium positiuorum discrimen inde cognosci possit.

299 Scilicet I. N. ipsis rerum naturis, seu proprietatibus naturalibus, aut conditionibus physicis, nititur, indeque omnium uoluntatis humanae actionum fundamentum deducit.

300 Iura uero positiua qualitates obiectorum accessorias, rebus, physice iam constitutis, ab Ente intelligente, pro utilitatis aut necessitatis ratione, libere impositas, respiciunt.

301 Dicuntur eiusmodi qualitates κατ' ἐξοχήν entia moralia, seu entitates morales, quia diuersos hominum mores producant.

302 Quales tamen non, nisi ab iis efficaciter imponi possunt, qui iustam habent potestatem alios ad id, ut easdem ratas habeant, cogendi.

303 Neque etiam ualent, ubi cum physicis rerum conditionibus pugnant, adeoque contradictionem in obiecto inuoluunt.

304 Quam diu scilicet res manet id, quod natura sua est, uel esse debet.

305 Muta-

305 Mutata autem rei, inprimis indiuiduae, natura, habito ad agentem respectu, mutatur etiam moralitas.

306 Quare nec occisio filii, Abrahamo mandata, parricidii, nec ablatio rerum Aegyptiacarum, ab Israëlitis facta, furti nomine venire potest.

307 Quippe a Deo, summo omnium creaturarum Domino, Abrahamus ius filium occidendi, sibi antea non competens, acceperat, ut licite eundem in Dei honorem mactare potuisset.

308 Et diuina concessione uasa Aegyptiorum cessabant esse res alienae, quas auferendi potestatem Israëlita non habebant.

309 IX. *Axiomata* sunt: (1) Est aliquid I. N. praecepta ex certo deducere fonte, certum uel iis substruere fundamentum.

310 (2) Alias enim, dubio semper pede inceditur, nec una statuitur uia.

311 (3) Humani commētum ingenii, praeiudiciorum cumulus et opinionum, farrago Iuris prudentia naturalis dicitur.

312 (4) Cum tamen scientia sit perinde, ac disciplinae caeterae, certas admittens demonstrationes.

313 (5) Neque hic obstat, quod diuersa a diuersis doctoribus inueniantur, uel proponantur principia.

314 (6) Quippe, ut supra monuimus, satius est, aliquid, quam nullum hypothesium suarum habere fundamentum.

315 (7) Quod si uero recte ponatur calculus, ipsa rerum natura principii loco facile se sistet.

316 (8) Huic in cognoscendo et agendo sese conformare est uere recteque agere.

317 (9) Contra, aduersari huic est creationi, ordinationi et conseruationi diuinae repugnare.

318 (10) Quid uero aliud hoc est, quam Dei uoluntatem spernere, legemque naturae transcendere?

319 (11) Quemadmodum igitur iustitia in genere suum cuique, ex uoluntate superioris, tribuere dicitur.

320 (12) Ita iustitiae naturalis est, id rei cuique reddere, quod naturalis conditio, ex uoluntate Creatoris, pollicit.

321 (13) Hunc in finem ueras rerum naturas nosse, maximi refert.

322 (14) Quippe admissi in cognitione errores non possunt non peruersas producere actiones.

G g 2

323 (15)

223 (15) Et praeiudicia, h. e. praeconceptae de rerum naturis, ante iustum examen, opiniones plurimorum inter homines malorum fontes merito dicuntur.

324 (16) Nec male iudicat, qui, vulgum mundi opinionibus iungi, regi, ac decipi, dicit.

PARS PRINCIPALIS.

Complectitur haec actus iustitiae naturalis, seu officia, legem naturali debita, et quidem habito respectu (1) supra nos, (2) intra nos, (3) iuxta nos, et (4) infra nos.

SECTIO I.

DE

I. N. HABITO RESPECTV SVpra NOS.

Supra nos sunt Deus, Creator, et Spiritus creati, seu creaturae spirituales.

MEMBRUM I.

DE

I. N. CIRCA DEVM, CREATOREM.

I. Appellatio huius officii. II. Ratio tractationis. III. Definitio. IV. Fundamentum. V. Actus. VI. Requisita. VII. Media, s. Adminicula. VIII. Vfus. IX. Contraria. X. Controuersiae, XI Scriptores. XII. Axiomata.

I I.

Appellatur hoc officium aliis nominibus religio; pietas et cultus Dei, Graecis *εὐσεβεία*, emphatice *θεοσεβεία*.

2 Religio nimirum, in sensu complexo, seu latiori, sumpta, quatenus et cognitionem Dei et cultum eius denotat, secus, ac Lactantius aliique eam accipiunt.

3 Naturalis etiam hic intelligitur religio, reuelatae, non ciuili, contradistincta.

4. Quemadmodum pietas, qualis huius est loci, philosophica dici potest, h. e. complexus officiorum erga Deum, ex Ratione, non Reuelatione, ex Philosophia, non Theologia, deducendorum.

5 Adeo-

5 Adeoque pietas non spectatur hic in relatione ad patriam, ad parentes, aut liberos, ad superiores, aut etiam ad clericos, sed ad Deum, huius uniuersi Creatorem ac Dominum.

6 II. *Ratio tractationis*, de pietate, seu religione naturali hic suscipiendae, est utilitas eius ac necessitas.

7 Est enim religio officiorum omnium fundamentum, societatis humanae uinculum, omnisque iustitiae fulcrum.

8 Quare, tantum abest, ut a Philosophia morali aut Iurisprudencia naturali arcenda sit, ut potius primum in ea locum occupare debeat.

9 Secus, atque Aristoteles in Ethica sua, et ipse etiam Pufendorfius in opere maiori putasse uidetur.

10 III. *Definiri* potest religio naturalis, quod sit conformatio operationum intellectus et uoluntatis, seu credendorum ac faciendorum, ad naturam et essentiam Dei, prout homo eandem ex lumine naturae cognoscere potest ac debet.

11 Dicitur conformatio credendorum ac faciendorum, quia haec duo, cognitionem et uenerationem Dei, religio complectitur.

12 Norma conformationis ac fundamentum est natura Dei, qualis ea ex lumine naturae, diuinis potissimum operibus, cognosci potest ac debet.

13 Notanter dicimus, debet: cum Deum, ut recte colere, ita uere cognoscere, homo, naturalis Dei subditus, morali necessitate tenetur.

14 Haec enim hominis, a Deo dependentis, omniaque habentis, obligatio est, Creatorem ac Dominum suum, Deum, et discere recte et debite uenerari.

15 Haec Dei quoque uoluntas est, ipsa hominis, creaturae rationalis, productione declarata.

16 Faceat autem hinc praepostera de Deo sentiendi libertas, ac statuendus pro arbitrio cultus, seu ἰσοθεοποίησις.

17 Ita noscendus colendusque Deus est, ne, quem Deum esse, uolumus, sentiendo agendoque non Deum habeamus.

18 IV. *Fundamentum* igitur religionis, h. e. rectae cognitionis ac iustae uenerationis Dei, est ipsa natura Dei, simplicissima quidem, non uno tamen a nobis conceptu comprehendenda. 19 Quip-

19 Quippe alium conceptum de essentia Dei, alium de singulis eiusdem attributis nos formare, in Ethica docuimus.

20 Summa uero conceptuum huc redire debet, quod Deus sit ens spirituale, a se subsistens, seu independens, adeoque summum, infinitum, immensum, aeternum, perfectum, omnia producens, sustentans ac gubernans.

21 Haec Dei natura est, tam propria, tamque necessaria, ut contradictionem inuolueret, Deum esse, non tamen hanc habere naturam, seu hanc essentiam hasque proprietates.

22 Qua uero necessitate haec omnia in Deo cohaereant, ac caetera attributa omnia inuoluant, demonstratu facile est.

23 Scilicet spiritualis debet esse Deus, seu immaterialis, quia summa et prima debet esse causa, adeoque omnis materiae, ad quam, ut prius quoddam, uel antecedens, respectum importare deberet, expers.

24 Eodem respectu debet esse independens, seu a se ipso, non positue, quasi se ipsum produxerit, sed negatiue, quod non sit ab alio.

25 Vnde sequitur, simplicissimum eundem esse, s. omnis compositionis expertem, et unum, seu unicum, cum plura prima et summa entia, essentialiter distincta, existere nequeant.

26 Cumque optima sit causa tot creaturarum, omnes etiam perfectiones, siue formaliter, siue eminenter, in se continere debet, h. e. perfectissimus esse.

27 Ex perfectione reliqua fluunt attributa, uti summa potentia, sapientia, bonitas, sanctitas, ueracitas, iustitia etc.

28 Quae quidem omnia cum in Theologia naturali ex instituto doceri soleant, eo nos remittentes, nunc, quid credendum inde faciendumue religio concludat, dispiciemus.

29 V. *Actus* itaque naturalis erga Deum iustitiae, seu religionis naturalis concernunt tum credenda, tum facienda, seu uerum de Deo sensum, et rectum eius cultum.

30 (a) Verus de Deo sensus has potissimum complectitur propositiones: (1) Deus tale est ens, quod neque sensibus neque intellectu ab homine positue et plene comprehendi potest.

31 Quippe Spiritus est infinitus, immensus, adeoque incomprehensibilis.

32 (2) Deus

32 (2) Deus negatiuos potius terminos ac indefinitos, aut superlatiuos admittit, quam positiuos, aut definitos.

33 Etenim tanta Numinis est perfectio, ut negationis atque eminentiae uia hic tutissima sit, qua potius, quid Deus non sit, quam quid sit, inuestigatur.

34 (3) Deus solus et unicus huius uniuersi est conditor.

35 Cum enim prima et summa sit causa, res etiam uniuersas ab eo solo dependere oportet,

36 (4) Deus prouidentia et gubernatione sua omnia complectitur.

37 Ita credere iubet summa Dei perfectio, sigillatim bonitas eius, utpote quae creaturas, à se conditas, destituere, non patitur.

38 (5) Deus omnium hominum est superior, non uoluntaria eorum subiunctione, sed naturali dependentia.

39 Nam homo perinde, ac creaturae omnes, et existentiae et subsistentiae beneficium Deo, Creatori, acceptum referre debet.

40 (6) Deus omnibus rebus naturalem quandam praestituit finem, huncque intendi ab homine et obtineri uult.

41 Declarat hoc sapientia eius in formando ordinandoque microcosmo iuxta, ac macrocosmo, patefacta.

42 (7) Deus tam seuerus malorum uindex, quam clemens bonorum remunerator credendus est.

43 Nimirum non, nisi talis, pro sanctitate sua, iustitia et bonitate, esse potest.

44 (8) Rectus Dei cultus uel internus est, uel externus, idemque uel indirectus, uel directus, hicque rursus uel positiuus, uel negatiuus.

45 Internus cultus, qui intra animum hominis subsistit, nec signis externis in sensus externos incurrit, sequentes complectitur actus:

46 (1) Honorem, quo homo talem de Deo aestimationem ac uenerationem concipit ac fouet, ut eum supra semetipsum et res omnes constituat atque aestimet.

47 Nititur hic actus summa Dei, omnia regentis, eminentia, praestantia, potentia, ac bonitate.

48 (2) Amorem, quo homo in Deum, ut summum bonum, complacentiae, deuotionis, ac unionis studio fertur.

49 Eli-

49 Elicit hunc actum summa pariter Numinis excellentia et bonitas, qua omnis boni fons et scaturigo perennis existit.

50 (3) Spem ac fiduciam, qua homo, a Deo quamcunque felicitatem quiete et secure expectat, eumque omnia bona daturum, mala uero auersurum esse, confidit.

51 Prouenit hic actus ex attenta diuinae potentiae, sapientiae ac bonitatis consideratione.

52 (4) Timorem, quo homo Deum, ut summum imperantem, haud impune offendendum, reueretur, adeoque transgressionem uoluntatis diuinae, seu peccata sollicitè uitat.

53 Producit hunc actum immutabilis Dei potentia, sanctitas et iustitia.

54 Externus cultus est, qui actibus externis, seu in sensus externos incurrentibus, peragitur.

55 Indirectus quidem, qui legum, homines respicientium, obseruantia Deo praestatur, directus, qui directo et immediate Deum respicit.

56 Positiuus uero, seu positiuus est, qui actuum, Deo honorem exhibentium, exercitio constat, negatiuus, seu priuatiue talis, qui in omissione actuum contemptus externi consistit.

57 Actus, cultum externum, constituentes, sunt (1) Adoratio, qua homo excellentiam Dei deuote et cum admiratione agnoscit, laudes eius extollit, ac profundam suam submissionem quocunque modo testatur.

58 (2) Gratiarum actio, qua homo Deum, ob beneficium ac bona sibi collata, dictis et factis celebrat, ac, tanquam summum benignissimumque largitorem, praedicat.

59 (3) Precatio, qua homo Deum, ut bona necessaria concedere, mala auertere uelit, uerbis, deuote ac submisso conceptis ac prolatiis, implorat.

60 (4) Obtemperatio, qua homo ad uoluntatem Dei et dicta et facta sua componere, morumque sanctimonia reuerentiam et amorem probare studet.

61 Omnes hi actus, perinde, ac superiores, ex Dei natura, seu attributis Dei, ac proprietatibus deduci possunt.

62 Scili-

62 Scilicet cum attributa Dei, pro perfecta eius natura, perfectissima sint, seu summa, Ratio concludere debet, id omne, quod Deo praestandum est, in suo genere eximium esse oportere.

63 Externum uero cultum, cum interno coniunctum, longe maiori in gradu Deo honorem exhibere, quam solum internum, dubio caret.

64 Quippe sic totus homo et animo et corpore Deum colit, pietatem suam dictis et factis declarat, Creatorem suum palam honorat, suaque deuotione et alios ad cultum incitat, et semetipsum confirmat.

65 Vt taceam, plenum deuotionis ac pietatis animum non posse non per ipsum quoque corpus, oculos, linguam, manus, ac pedes, sese exercere, cultumque adeo externum producere.

66 VI. *Requisita* igitur cultus, eiusmodi actibus exercendi, sunt: (1) Vt rationalis sit, diuinae conformis naturae, prout hanc Ratio, non corrupta, cognoscere potest ac debet.

67 Etenim Rationi, in se et abstractiue consideratae, rerum naturas, si non à priori, saltem à posteriori, sufficienti *εἰς τὸ εἶναι ἀναπολόγητον* modo, assequi posse, datum est, ut multoties diximus.

68 (2) Vt sit serius, h. e. non fictus, simulatus, aut hypocriticus.

69 Nam Deus, ut uerus, uere uult coli, ut sanctus, omne ludicrum ac simulatum respuit, ut omniscius, adyta cordis nouit, ut iustus, hypocritas confundit.

70 (3) Vt sit ardens, h. e. cum zelo quodam coniunctus.

71 Quippe sincerus Dei amor hanc in gradu extenso affectionem habet, ut et Dei gloriam in omnibus sollicitè quaerat, et ea, quae eidem aduersantur, strenue repellat.

72 (4) Vt sit purus, h. e. non mercenarius, aut tantum quaestus causa operans.

73 Alias enim amor Dei non summus foret ac primus, sed amor hominis proprio subordinatus, adeoque peruersus.

74 VII. *Media*, seu *adminicula* talis cultus sunt uel generalia, uel specialia.

75 Generalia, quae Religionem in genere iuuant, sunt: (1) attentatio operum diuinorum contemplatio.

H h

76 Hinc

76 Hinc enim, quanta Numinis sit excellentia, pulchritudo ac bonitas, satis intelligi potest.

77 (2) Sedula euentuum humanorum consideratio.

78 Quippe hi luculentum de Dei, cuncta dispensantis, prouidentia documentum praebeant.

79 (3) Debita sui cognitio.

80 Etenim hæc omnis prope sapientiæ principium haberi debet.

81 (4) Crebra mortis meditatio.

82 Haec enim, uelut ultima certissimaque rerum omnium meta, magnos ad pie uiuendum stimulos subdere potest.

83 Specialia sunt, quae speciali religionis exercitio inseruiunt, uel unum alterumue pietatis actum in specie prouehunt.

84 E. g. amorem Dei excitare potest recordatio tot beneficiorum, in tenera aetate nobis collatorum, totque e contrario malorum, a nobis propulsatorum.

85 Spem et fiduciam confirmare potest tum propria bonitatis diuinæ experientia, tum aliorum exemplorum frequentia.

86 Reuerentiam conseruare potest perpetua diuinæ praesentiae, omniscientiae, potentiae ac iustitiae repraesentatio.

87 Precationem iuuare potest debita praeparatio, deuota attentio, et crebra repetitio.

88 VIII. *Vsus* religionis naturalis uel primarius est, uel secundarius.

89 Primarius respicit Deum, cuius fauorem et opem homines cultu recte exercito obtinere possunt.

90 Non plene quidem, et sufficienti ad salutem modo, sed intuitu temporalis duntaxat felicitatis, seu uitae secundum uirtutem.

91 Secundarius consistit partim in paedagogia ad cultum reuelatum, partim in unione et coërcitione societatum humanarum.

92 Etenim timor Dei solus est, quo humana constat uita, quique hominum inter se societatem custodit.

93 IX. *Contraria* uero sunt: (1) Scepticismus, in sensu speciali sumtus, quo anceps circa existentiam Dei animus redditur.

94 (2) Atheismus, tum theoreticus, tum practicus, de quo in Ethica prolixè egimus.

95 (3)

95 (3) Naturalismus, quo natura rerum omnium causa crepatur, aut mechanicus materiae motus principii uniuersalis loco habetur.

96 (4) Epicureismus, quo prouidentia Dei in dubium uocatur, uel talis agitur uita quasi Deus res humanas non curaret, neque praemia, aut poenas dispenseret.

97 (5) Stoicismus, quo uniuersalis mundi anima ac fatalis rerum omnium necessitas somniatur.

98 (6) Deismus, seu peruersa de Deo eiusque attributis sentienti docendique ratio.

99 (7) Enthusiasmus, quo Ratio circa religionem plane reiicitur, aut internitantum cultus praestatio inculcatur.

100 (8) Polytheismus, seu plurium Deorum cultus, unitati Dei repugnans.

101 (9) Libertinismus, seu affectata, religionem pro lubitu concipiendi, uel credendi faciendique libertas.

102 (10) Paganismus, seu ineptus, irrationalis, superstitiosus, aut idololatricus cultus.

103 X. *Controuersiae* potiores, hic occurrentes, sunt: (1) An detur Religio naturalis?

104 Negauit hoc Spinoza, ex uariis rationibus, quas inter alios solide et ex instituto refutauit Procleus.

105 (2) An Religio naturalis cum reuelata pugnet?

106 Sic quidem multi putarunt, at perperam, cum utraque ab uno ueritatis fonte, Deo, sibi perpetuo constante, promanet.

107 (3) An Ethnicis etiam unitas Dei fuerit cognita?

108 Ita credimus, saltem de sapientioribus, licet non eadem omnibus facilitate illa patuerit, atque existentia Dei.

109 (4) An Trinitas ex lumine Naturae possit cognosci?

110 Hoc pernegamus, licet una alteraue similitudine, ex naturalibus petita, quodammodo declarari possit, ut supra in Ethica docuimus.

111 (5) An Religio naturalis homini ad salutem sufficiat?

112 Negatiuam in Ethica pariter, contra Zvinglium, Gualtherum, Amyraldum, Chauuinum, Cherburium, aliosque Naturalistas, cum Musaeo, Marefio, Stillingfleet, aliisque amplexi sumus.

113 (6) Ancultus externi necessitas Rationi pateat?

114 Negant hoc Thomafius, Beyerus et nonnulli alii, ob rationes, quae contra internum quoque cultum urgeri possunt, ut clare id demonstrant Buddeus, Barbeyracius, Müllerus, Hertensteinus, Hedenus, et alii.

115 (7) An sacrificia ad cultum naturalem referri possint?

116 Negatiua hic ualet, cum, Deum uictimis placari posse, ex natura eius non pateat, secus, ac Chauuinus statuit, refutatus a Buddeo, Zeibichio, Hertensteinio, aliisque.

117 (8) An Sabbatum sit iuris naturalis?

118 Ita quidem nonnulli cum Hedingero, Schvverdtnero, aliisque existimarunt, sed citra rationes sufficientes, quas sub examen uocarunt Buddeus, Alberti, Beyerus, Boetnerus, Syrbius, aliique plures.

119 (9) An praestatio uoti ad cultum pertineat?

120 Hoc affirmamus, siquidem uotum sit promissio sancta, ab homine sui iuris Deo uero, ex iudicio Rationis et proposito uoluntatis, de re bona et possibili, in gloriam Dei facta, unde religio uoti, de qua multae prostant commentationes.

121 (10) An usus sortis cum Religione conueniat?

122 Sic omnino uidetur, dummodo circa rem congruam debito modo et fine adhibeatur, alias secus.

223 (11) An nulla Deum imagine repraesentare liceat?

124 Non alia, credimus, quam qua ipse Deus se manifestare uoluit, unde merito pictorum reiiciuntur errores.

125 (12) An superstitio nocentior sit atheismo?

126 Sic quidem statuit Baylius, ab aliis autem, contrariam sententiam amplexis, hoc nomine notatus.

127 XI. *Scriptores*, qui, praeter adductos, hic legi possunt, sunt: (1) Clafenius (2) Ludouicus Granatensis (3) Raynaudus (4) Rudraufus (5) Klotzius (6) Proeleus (7) Mayerus (8) Roëlius (9) Loescherus.

128 XII. *Axiomata* sunt: (1) Vt omnium rerum primordia a Deo capienda sunt, ita cultus Dei caeteris etiam, quae Iurisprudentia naturalis tradit, officiis merito praemittendus est.

129 (2) Quippe Religioni, ut fundamento, omnis innititur iustitia, omnis uirtus, uirtutisque actio.

130 (3)

130 (3) Sublata religione, fides etiam generisque humani confortatio tollitur.

131 (4) Neque enim societas ulla, siue domestica, siue politica, citra pietatem, cultumue Numinis, tuta manere posset, ac firma.

132 (5) Ad propriam cuncta gloriam, propriamue utilitatem homines referrent, suae seruientes libidini.

133 (6) Vnde perpetuo omnia tincti perpetuisque suspicionibus forent exposita.

134 (7) Quare debitum pietati in omnibus statuatur pretium, ac praecipua Religionis habeatur cura.

135 (8) Quicquid agamus, aut discamus, id suo modo ad cultum Dei spectare, credendum est.

136 (9) Neque enim inepte uir quidam religiosus dixit, ueram eruditionem diuini cultus esse habitum.

137 (10) Ita scilicet, ut Iurisprudentia et Medicina, perinde, ac Theologia, circa cultum, si non immediate, saltem mediate, occupetur.

138 (11) Theologia circa cultum religiosum pietatis, Iurisprudentia circa cultum officiosum socialitatis, Medicina circa cultum fructuosum sanitatis.

139 (12) Exordium uero pietatis est, talem de Deo fouere sententiam, qualem ueritatis amor postulat.

140 (13) Neque incuriosa de Deo eiusque prouidentia disceptatione gloriae quaerenda est materies.

141 (14) Omnis de Deo Philosophia non tumidam prae se ferre debet scientiam, sed piam incomprehensibilis Diuinitatis admirationem.

142 (15) Faceat hinc uana subtilitatis Scholasticae ostentatio perinde, atque insaniens empaectarum sapientia.

143 (16) Ebraeorum teneatur prouerbum: Non curiose quaerendum est post opera Dei.

144 (17) Sanctius et reuerentius est de Deo credere, quam scire.

145 (18) Noscendus est Deus, ut admirationem cum aestimatione, uenerationem cum timore, amorem cum fiducia, obsequium cum zelo excitemus.

146 (19) Hic demum *θεογνωσιας* fructus est, ut, quem pie credimus, etiam sancte colamus.

H h 3

147 (20)

147 (20) Sanctissimus autem Dei cultus est, puro eundem uenerari animo, pio ore, ac puro opere.

148 (21) Neque enim interna mentis religio ab externa factorum pietate secerni debet.

149 (22) Quemadmodum nec cultus externus, interna deuotione uacuis, sufficit.

150 (23) Quare ad perfectum Dei cultum omnia referamus, ac uera pietate omnia metiamur.

151 (24) Ita semper cogitemus, quasi oculatissimus aliquis cogitationum scrutator intimum perspiciat pectus.

152 (25) Ita loquamur, ac si coram rigidissimo aliquo uerborum iudice sit loquendum.

153 (26) Ita agamus, tanquam in conspectu tremendae alicuius Maiestatis perpetuo uersemur.

154 (27) Nihil enim prodest, ab homine aliquid esse secretum, cum Deo omnia pateant.

155 (28) Hic nostris interest animis, mediis interuenit cogitationibus, cunctisque intermanet factis.

156 (29) Caueamus ergo, ne, foedas mundi uoluptates, uanos honores, aut fluxas opes, uelut idola, adorantes, summum mundi Dominum despiciamus.

157 (30) Caueamus etiam, ne, ignorantia, uel praeiudiciis, abrepti, in superficialiam eruditorum, siue, ut uulgo dicuntur, prudentum Religionem delabamur.

158 (31) Perpendamus contra, quanta sit nostra Christianorum felicitas, quibus ex Scriptura perinde, ac Natura, Deum cognoscere posse, datum est.

159 (32) Perpendamus autem simul, quanta futura sit eorum poena, qui, spreto duplici hoc lumine, Deum nec cognoscere recte, nec colere, curant.

160 (33) Certe tam seuerum in reddenda ratione exactorem sentient, quam benignum in dando hoc beneficio largitorem habuerunt.

MEM-

MEMBRVM II.

DE

I. N. CIRCA SPIRITVS CREATOS, SEV
CREATVRAS SPIRITVALES.

I. *Causa tractationis.* II. *Appellatio* III. *Definitio.* IV. *Probatio existentiae.* V. *Diuerfitas.* VI. *Officia.* VII. *Horum opposita.* VIII. *Controuersiae.* IX. *Scriptores.* X. *Axiomata.* I. I.

C*ausa tractationis* est, quia Ius Naturae, tanquam uniuersalissimum ac generalissimum, omnes omnino res, quae actionum humanarum obiecta fieri possunt, respicit.

2 Cum igitur homo circa Spiritus, humanis negotiis interuenientes, aequae, ac circa creaturas alias, recte agere debeat, haec etiam agendi ratio in Iure Naturali tradenda est.

3 Quare Ius Naturae inter Angelos et homines perinde, atque inter hos et Deum, dari, non inepte docuerunt Cocceius, Kestnerus, Cramerus alique.

4 II. *Appellantur* autem Spiritus, recepto inter Philosophos nomine, intelligentiae, quia post Deum intellectu maxime pollent.

5 Quemadmodum enim Deus dicitur intelligentia prima et independens, Spiritus, a Deo dependentes, uocantur intelligentiae secundae, seu ortae.

6 Sumta nimirum uoce intelligentiae in sensu pneumatico, non physico, aut noologico.

7 Quo sensu etiam mentes dicuntur, h. e. potentiae, citra corporis instrumentum operantes.

8 Nota praeterea sunt nomina Angelorum, Geniorum, Daemonum, Diabolorum etc. quae partim officium, partim distinctionem, ac proprietates designant.

9 III. *Definiri* in genere possunt Spiritus creati per substantias immateriales, completas, a Deo, Creatore omnipotente, in ministerium et gloriam ipsius productas, adeoque in se et sua natura bonas.

10 Dicuntur substantiae immateriales, h. e. omnis materiae expertes, incorporeae, neque in essendo, neque in operando a corpore dependentes.

11 Et quidem completae, h. e. ad nullum per naturam corpus ordinatae, quo cum totum aliquod constituere debeant. 12 Cre-

12 Creator est idem ille omnipotens Deus, a quo caeterae dependent creaturae.

13 Finis productionis est ministerium Dei eiusque gloria, utpote ad quam omnia referri debent.

14 Natura boni sunt Spiritus, cum Deus, pro perfectione sua ac bonitate, non, nisi bonum condere possit.

15 Indeque Ratio, licet, Spiritus quosdam superbia degenerasse, citra reuelationem, ignoret, alii tamen causae, quam Deo Q. M. malitiam eorum adscribendam esse, colligit.

16 IV. *Probari* autem potest *existentia* Spirituum, seposita reuelatione, (1) ab analogia: Deus substantias quasdam pure corporeas formauit, ut bruta, quasdam corporeo-spirituales, ut homines, adeoque credibile est, eum quoque mere spirituales condidisse.

17 Praesertim cum Spiritus, ut creaturae nobiliores, et potentiam Dei, et Maiestatem eius omnium maxime patefacere et illustrare possint.

18 (2) Ab experientia rerum, quae non, nisi Spiritibus tribui possunt.

19 Talia sunt: (1) responsa oraculorum (2) prodigia et ostenta (3) opera magica (4) spectra hominibus apparentia (5) terricula inopina (6) mirabilia obsectorum (7) famulicia secreta.

20 A consensu Philosophorum, uti Thaletis, Pythagorae, Platonis, Chryssippi, Aristotelis, Zoroastris, Hermetis Trismegisti, aliorumque.

21 Hos enim Spiritus, quos partim Genios, partim Daemones appellarunt, agnouisse, docent Censorinus, Apuleius, Plutarchus, Laërtius, Venetus, Chartarius, Cherbury, Stanley et alii.

22 V. *Diuersos* autem esse Spiritus, et quidem alios bonos, alios malos, ex iis, quae iam diximus, patet.

23 Scilicet diuersitatem hanc diuersae arguunt operationes, a Spiritibus fieri solitae.

24 Quippe alii bona hominibusque salutaria prouehere, alii contra ad mala et noxia concurrereprehenduntur.

25 Quare adducti etiam Philosophi duplices admittebant Genios, bonos, quos tutores, seu tutelares, uocabant, et malos, quos alastores, seductores, aut corruptores dicebant.

26 Illos

26 Illos et regnis urbibusque praesidere, et homines assidue commitari ac tueri, hos autem peruertere omnia hominesque perdere, credebant.

27 Clemens Alexandrinus, per singulas gentes ciuitatesque distribuitas esse Angelorum praefecturas, scribit.

28 Quid? quod Ebraei, cuilibet planetae, cuilibet signo zodiaci, cuilibet elemento, et cuilibet orbis parti certos praeesse Spiritus, docebant.

29 Aegyptii uero tres singulis hominibus assignabant Angelos, sacrum scilicet Daemonem, Genium coelestem, et Spiritum professionis.

30 VI Officia igitur, hic obseruanda, duplicis sunt generis, alia bonos concernunt Spiritus, alia malos.

31 Erga bonos ita se gerere debet homo, ut (1) eos, tanquam nobilissima diuinæ potentiae et Maiestatis specula, agnoscat.

32 Quippe ex praestantissima eorum natura diuinæ clucent perfectiones.

33 (2) Ut eos caeteris quidem creaturis digniores, diuino tamen cultu plane indignos, reputet.

34 Cum enim substantiae sint creatae, finitae ac seruae, eodem modo, ac Creator summus, infinitus et dominans, coli nec possunt, nec debent.

35 (3) Ut eos, debite recteque uiuendo, comites, duces ac custodes habere studeat.

36 Nam, pro ea, qua sunt, integritate ac puritate, non, nisi proborum consortia hominum ferre possunt.

37 Ratione malorum Spirituum cauere debet homo, (1) ne, iis fidendo, eorumque auxilium, uel operam, expetendo, in mala et peccata incidat.

38 Fallaces enim esse Daemones, sub specie benignae familiaritatis noxam et perniciem quaerentes, opera ipsorum testantur.

39 (2) Ne iis, illicita, uel cognoscendarum, uel agendarum rerum media adhibendo, decipiendi nocendique occasionem praebat.

40 Quippe acerrimi hominum hostes sunt, adeoque omnia in noxiae improbitatis instrumenta uertere student.

41 (3) Ne iis, prauis propensionibus immoderatisue affectibus indulgendo, copiam sui faciat.

42 Nam animo, ita affecto, facile, pro astutia et subtilitate sua efficacissima, sese insinuare possunt.

43 VII. *Opposita* horum officiorum sunt (1) Adæmonismus, seu negatio Spirituum, tum ratione existentiae, tum ratione operationum.

44 Nam dogma hoc, inter Atheos potissimum et Naturalistas receptum, iis omnibus aduersatur, quæ et Ratio suggerit, et experientia comprobatur.

45 (2) Daemonolatria, seu cultus Spirituum, Geniorum, aut Daemonum, siue bonorum, siue malorum.

46 Vterque enim cultus naturæ Spirituum repugnat, adeoque superstitionem, impietatem ac corruptionem inuoluit.

47 (3) Magia, siue benefica sit, siue malefica, siue γαρύττις, siue Φαρμακία, complectatur.

48 Omnis quippe Magia, hominem a Creatore ad creaturam abducens, rectum Numinis cultum peruertit, captasque mentes ad præcipitia defert.

49 VIII. *Controuersiae*, hac occasione commemorandae, sunt: (1) an Spiritus in corpora operari possit?

50 Ita credere iubet experientia, dissentientibus licet Beckero, Thomasio, aliisque.

51 (2) An pactum cum Daemone iniri possit?

52 Hoc multi pariter, Beckerum et Thomassium secuti, negant, sed citra sufficientes rationes.

53 (3) An homines a Diabolo obsideri possint?

54 Sic quidem docent exempla Daemoniacorum et Energumenum, quos Daemon αυτοπροσώπως incessit, corpora ipsorum occupando, membrisque ad mira opera abutendo.

55 (4) An Diabolus corpora uere mutare possit?

56 Hoc diuinæ tantum opus potentiae, adeoque, quicquid de lycanthropia, aliaque hominum transfiguratione referri solet, uel commenta, uel decipientis Satanae praestigias esse, putamus.

57 (5) An sagæ et epoti cum Diabolo concumbere possint?

(6) An

11

58 Sic

58 Sic quidem recepta de incubis et succubis fert opinio, quam uero cordatiores identidem uiri exploserunt, uti Fichardus, Bodinus, Syluius, Wilisius, Albinus, aliique.

59 (6) An Daemones futura praedicere possint?

60 Affirmari potest, ratione futurorum, quae ex suis causis praedici possunt, non ratione eorum, quae in se et natura sua citra reuelationem sciuntur.

61 (7) An homo artes diuinatorias licite tractare possit?

62 Nos negamus ideo, quod, etiamsi quaedam naturales uideri possint et innoxiae, pleraeque tamen, intermixtis Daemonum imposturis, sceleratae fiant ac perniciosae.

63 (8) An Spirituum familiarium ministerio uti liceat?

64 Nos pariter negamus, licet plurima, doctorum quoque hominum, exempla obstant, qualia congescit Lipsiensis quidam Magister, Wagnerus.

65 (9) An *ανθοπλασμακεία* sit illicita?

66 Cum media, hic adhiberi solita, imparem tanto effectui uim aut uirtutem natura sua habeant, non, nisi superstitionem fraudemque Diabolicam iis subesse, censemus.

67 (10) An apparitio defunctorum sit lusus Satanae?

68 Ita, non secus, ac de aliis apparitionibus, iudicandum esse uidetur, assentientibus Luthero, Balduino, Dorscheo, Meisnero, Schelguigio, aliisque Theologis.

69 (11) An dentur solennes strigum cum Diabolo conuentus?

70 Tales quidem in monte Bructerorum quotannis fieri, uulgus contendit, rectius autem negant Camerarius, Fichardus, Carpzoui, Stryckius, Bodinus, Vagedes, aliique.

71 (12) An Daemones certa loca inhabitent?

72 Communes quidem rumores de Insula Bermudae, ac monte Giganteo, Rubenzahlii sede, circumferuntur, quos uero eruditi cum Becmanno aliisque strenue oppugnarunt.

73 IX. *Scriptores*, qui, praeter nominatos, hic adiri possunt, uarii sunt generis.

74 Alii enim de Spiritibus generatim tractarunt, uti (1) Scharfius (2) Meierus (3) Heereboortus (4) Clericus (5) Loescherus.

75 Alii de Magia scripserunt, uti (1) Cornelius Agrippa (2) Delrio (3) de Torreblanca (4) Io. Bodinus (5) Wierus (6) Pictorius (7) Remigius (8) Schottus (9) Goedelmannus.

76 Alii de lamiis, sagis, sortilegis et spectris egerunt, uti (1) Spinus (2) de Poncinibus (3) Grillandus (4) Fichardus (5) Schroeterus (6) Romanus (7) Kirchmayerus (8) Schererzius (9) Taillepie.

77 Alii contra Magiam calamum strinxerunt, uti (1) Beckerus (2) Thomafius (3) Henr. Bodinus (4) Meierus.

78 X. *Axiomata* sunt: (1) Equidem Spirituum existentiam difficilius assequitur Ratio, nullo tamen id modo fieri posse, Beckero minime largiendum est.

79 (2) Comprobant illam tot apparitiones, tot opera, tot scelera, Daemoniorum fraudibus in orbem introducta.

80 (3) Quae quidem omnia si quis uel negare prorsus, uel in dubium uocare, auderet, non prudentis Philosophi, sed impudentis Sceptici nomen mereretur.

81 (4) Temerarium quippe est, omnibus hominibus, etiam a fide non sublesta, circumspeditione singulari, rerum experientia, mentisque robore commendatis, ueritatem denegare.

82 (5) Et, quemadmodum nemo, nisi desipiens, innumera illa, quae historiarum monumentis consignata, in disitis regionibus obseruata omniumque scriptorum assensu comprobata sunt, negare, aut oppugnare aufit.

83 (6) Ita nullus, nisi praefractae mentis, homo tot summorum uirorum testimonia de oraculis, magis, obsessis, portentis et spectris ficta, aut falsa, iudicauerit.

84 (7) Neque praetendi hic potest incirca, aut *αυτοψίας*, uel *αυτογνωσίας*, propriaeue experientiae negatio.

85 (8) Haec enim non maius hic momentum habet, quam circa alias res, quas ipsi non uidimus.

86 (9) Hab. tari ab hominibus Indiam orientalem et occidentalem, nouimus credimusque, licet paucissimis eo excurrere contingat.

87 (10) Dantur pisces volatiles, infestant Aegyptum crocodili, astuta crudelitate noti.

88 (11) Sunt fontes, qui, uel minimo lapillo in eosdem iniecto, grauissima tempestate furunt, nec, nisi extracto lapillo, requiescunt.

89 (12) Occurrunt nauigantibus monstra marina, uel solo aspectu terribilia.

90 (13) Quis uero haec omnia, fidissimis narrationibus tradita, ideo fabulas dixerit, quod propriis ea sensibus non percepisset?

91 (14) An non risu exciperetur talis Philosophus, qui, domi confidens, nil, nisi quod ipse in materna ciuitate patriaque terra conspexerit, pro uero habere uellet?

92 (15) Postulat omnino Rationis usus, ut infinitis prope rebus, ex hominum relatione acceptis, fidem habeamus.

93 (16) Neque exigua cognitionis nostrae pars historiarum fidenititur, hominumque probiorum traditione.

94 (17) Quemadmodum igitur stolidae credulitatis est, quiduis coeco ueluti impetu amplecti, suoque assensu tueri.

95 (18) Ita uitiosam arguit pertinaciam, insolita omnia, a dignissimis etiam uiris tradita, scepticae dubitationi subiicere.

96 (19) Vtrumque fugiendum est extremum, adhibitis contra praecudicia remediis.

97 (20) Quare credendum quidem est, existere Spiritus, apparere Angelos, interuenire rebus humanis Daemones.

98 (21) At circumspecta debet esse fides, ne incauta subinde credulitate fallamur.

99 (22) Neque affectanda cuipiam est curiositas uisendi Spiritus, propriisue sensibus ea experiendi, quae fando ab aliis accepit.

100 (23) Satiusest aliorum hic sequi fidem, quam propriae cognitionis sumere periculum.

101 (24) Porro singulari opus est prudentia circa sagas et striges tractandasque earum causas.

102 (25) Ne scilicet, quod tuis ob indicium, ad quaestionem, aut rogam, omnes rapiantur, punianturque in fontes cum fontibus.

103 (26) Neque e contrario intempestiua quorumuis praestigiatorum defensione foueatur malitia, quam diuinae pariter, atque humanae leges punire iubent.

104 (27) Quippe occidere sagas, et capitali supplicio tollere ueneficos

neficos praecipit Deus Exod. XXII et Leuit. XX. conf. 1. Samuel. XXVIII

105 (28) Concremandos esse aruspices, et ferali peste absumendos maleficos, pronunciant Imperatores l. 3. et l. 6. C. de malefic. et mathematic. conf. c. 1. extr. de sortileg.

106 (29) Denique pia etiam moderatio in eo requiritur, qui abditam hanc Philosophiam disquirere, scriptisque publicis in controuersiam uocare sustinet.

107 (30) Etenim tantum hic nocet scurrilis dicacitas cauillandique libido, quantum ea Philosopho, et multo magis Christiano, indigna est.

SECTIO II.

DE

I. N. HABITO RESPECTU INTRA NOS.

Intra nos, seu in nobis metipsis, respici potissimum debent anima et corpus, ut duae essentiales nostri partes, in quarum unione consistit uita. Haec igitur, ut praecipuum hominis bonum, et recte utenda est, et debite conseruanda, et iuste defendenda.

MEMBRUM I.

DE

I. N. CIRCA VITAM, RECTE VTENDAM.

I. *Praesuppositum.* II. *Vsus.* III. *Cautelae* IV. *Contraria.* V. *Controuersiae.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.*

I I.

P*raesupponi* ante omnia hic debet, in homine non materiale tantum, seu uegetatiuam et sensitiuam, spectandam esse uitam, sed immateriale potissimum, seu rationalem, aut intellectualem.

2 *Materiale* quippe uitam homo cum brutis communem habet, immateriale uero sibi propriam.

3 Haec enim in unione animae rationalis cum corpore organico consistit, illa autem in intestino, harmonico et constanti materiae mechanicae, seu automaticae motu.

4 Hoc

4 Rationalis ista uita diuinum hominis insigne est, dignitatisque humanae prae animantibus cunctis fundamentum.

5 Siquidem hunc in finem Deus et animum, praestantissimis facultatibus praeditum, et corpus, tot organis idoneis instructum, concessit, ut hominem, creaturam rationalem, hocque nomine nobilissimam, constituere debeant.

6 Quo praestantior itaque uita immaterialis est materiali, eo maior etiam cura ad eandem recte utendam conferri debet.

7 Oritur hinc obligatio hominis ad uitam recte utendam, tuendamque creaturae rationalis honestatem, seu dignationem.

8 II. *Vita* autem uitae complectitur (1) Cognitionem sui, ratione tum animi, tum corporis.

9 Qui enim facultates, sibi concessas, ad debitos fines adhibere earumque infirmitatibus mederi cupit, nosse easdem debet.

10 Quae uero bona, quaeue mala, circa animum perinde, ac corpus, considerata occurrant, supra in Ethica docuimus.

11 Inde, uelut e domestica sede, repetenda huc sunt, quae uitae rationalis usum, pro obligatione L. N. dirigere debent.

12 Qua quidem de causa tam necessaria sui cognitio est, ut summa merito Philosophia dicatur, omnisque scientia alia sine hac sapientia fucata, seu stultitia.

13 (2) Perfectionem qua animi, qua corporis.

14 Cum enim animus aequae, ac corpus, in tanta hominum corruptione uariis laboret morbis, sedula opus est perfectione.

15 Equidem causam malorum, quibus cum homo nunc conflictatur, Ratio sibi relicta ignorat.

16 At uero, mala illa neque primo hominis Creatori, Deo, adscribenda esse, neque adeo semper et natura in homine fuisse, ignorare nequit.

17 Contra, et integrum aliquando hominem extitisse, et talem quodammodo reddi posse, non obscure colligit.

18 Scilicet, ut supra dictum est, haud secus, ac Medicus, aegrotum curaturus, et bonam ipsam ualitudinem habuisse, et restitui eidem posse, praesupponit.

19 Quem admodum itaque uita materialis in debito facultatum uirumque omnium uigore sita est.

20 Ita

20 Ita rationalis etiam uita, optimam hominis sanitatem complexa, et animi et corporis perfectione nititur.

21 Sine hac enim neque ad mutuam hominum utilitatem, neque ad Dei, Creatoris, gloriam, uita, pro eo, ac par est, referri potest.

22 Postulat autem perfectio animi studium uirtutum, tum intellectualium, tum moralium.

23 Intellectuales sunt, quae intellectum, morales, quae uoluntatem perficiunt.

24 Duabus enim hisce facultatibus, seu potentiis, animum hominis constare, ex Ethica notum est.

25 Virtutum intellectualium quinque uulgo numerantur, scilicet intelligentia, scientia, sapientia, prudentia et ars.

26 Moralium tres potissimum, pro triplici obiecto, statuimus, pietatem, temperantiam et charitatem, per uaria sese exercent officia.

27 De quibus omnibus cum in Ethica egerimus, nihil addendam hic superest, quam ratio animum scientiis et artibus perficiendi, infra circa cautelas proponenda.

28 Perfectio corporis requirit curam, tam totius, quam partium.

29 Ut scilicet mediis idoneis, qualia sunt alimonia iusta, exercitatio moderata, requies alterna, stabilis procuretur firmitas, de qua Membro proximo.

30 Neque enim animus suas praestare potest operationes, nisi integrum fuerit corpus apteque politum.

31 In animi quippe ministerium ac domicilium corpus a Deo esse concessum, ex ipsius natura perspicit Ratio.

32 Eaque de causa tam parum abiici, uel seponi, potest cura et perfectio corporis, quam exornatio palatii, in Principis, aut Regis, habitationem constructi.

33 (3) Electionem certi generis uitae, seu degendae aetatis.

34 Scilicet diuersa sunt hominum instituta, et diuersae, quae his accommodantur, artes.

35 Cum igitur quibuslibet amplectendis tenendisue nemo par esse possit, unaliqui operam dari oportet, prout circumstantiae, hic attendendae, tulerint.

36 Nimirum circa eligendam uitae conditionem et animi et corporis et fortunae habenda est ratio.

37 In

37 In animo quidem exploranda est, tum inclinatio, tum aptitudo.

38 Natura enim reluctantem, irritus est labor, et contra eam nitentibus idem euenit, quod contra aquam remigantibus.

39 Circa corpus ualeitudo uiriumque qualitas considerata est.

40 Hac enim labores, in eligendo uitae genere peragendos, eum metiri oportet, qui iisdem suppeditare cupit.

41 Per fortunam intelligimus quaecunque bona externa, qualia sunt opes, natales, parentes, fautores, etc.

42 His pariter attemperandum est uitae institutum, si uoto, uel animi sententiae respondere debet.

43 (4) Existimationem, seu studium bonae famae.

44 Dicitur alias haec existimatio simplex, in opinione uiri honesti consistens.

45 Adeoque contradistinguitur existimationi intensiuae, quae honorem, gloriam et dignitatem complectitur.

46 Haec quidem ad uitam exornandam sat magnum saepe affert momentum.

47 Honor quippe, laus et gloria, tanquam cibi dulcissimi, uirtutem alere, rerumque bonarum studia fouere dicuntur.

48 At, nisi actiones bonas sua ueluti sponte consequatur amplitudo, sollicitè sectanda haud est.

49 Illius uero, existimationis simplicis, necessaria omnino cura est.

50 Permagni enim refert, ut talis quisque apud alios audiat, qualis esse debet, uir nimirum probus, seu legum obseruans, dignumque societatis humanae membrum.

51 Hac existimatione nititur tum hominum prae brutis excellentia, tum eorum inter se aequalitas et amicitia.

52 Ex honestatis opinio hominum conciliat fiduciam, ad dignitates aperit uiam, ac bene merendi occasionem praebet.

53 Ill. *Causelae* praecipue, hic adhibendae, sunt fere sequentes:

54 (1) Cauendum est, ne defunctoria sui sit cognitio.

55 Etenim talis nec bonorum, quae quis habet, aut malorum notitiam parit, nec debitum se perficiendi studium.

56 Adeoque non animi tantum et corporis, sed fortunae etiam, seu rerum, extra nos positarum, cognitio hic requiritur.

57 Id quod Porphyrio, ex mente Platonis, est undique se cognoscere.

58(2) Cauendum, ne, posthabita uoluntate, intellectus tantum agatur cura.

59 Vtramque enim facultatem emendare tenetur, qui ueram sui perfectionem obtinere cupit.

60 Neque citra uoluntatis emendationem alia obtinget eruditio, quam uana, stulta et noxia.

61 Quippe doctrina et sapientia ueritatis consecutionem, immunitatemque ab erroribus et errorum periculis complectitur.

62 Cum uero errorum scaturigo non in rudi tantum intellectu, sed in corrupta etiam uoluntate, lateat, haec perinde, ac ille, emendari debet.

63(3) Cauendum, ne praecipiti consilio quaeuis arripiantur studia.

64 Quippe accurata hic opus est deliberatione, nili, uel praepostere agendum sit, uel frustra.

65 Deliberandum scilicet est, quale adsit ingenium, habile, an inhabile, excellens, an mediocre, aequale, an inaequale?

66 Huius omnino habendam esse rationem, egregie docent Huartus, Posseuinus, Buddeus.

67 Deliberandum porro est, qualis intendatur finis, an debitus, indebitusne?

68 Debitus enim studiorum omnium finis Dei gloriam mutuaque hominum utilitatem complectitur, non ambitionem, aut uoluptatem.

69 Deliberandum denique est, qualia suppetant media, an sufficientia, an minus talia?

70 Idoneis enim mediis deficientibus, studia successus, spemque conceptam euentus destituit.

71(4) Cauendum, ne animum inexplorata occupet inclinatio.

72 Nam duplex datur inclinatio, genuina, seu uera, aut ordinata, et spuria, seu falsa, aut inordinata.

73 Illa est internus quidam stimulus, a Deo inditus, a tenera usque aetate per uarias sese exerens actiones, futurum uitae genus ueluti profudens.

74 Haec

74 Haec autem, praepiudicio aliquo, aut uitio interno, nixa, a parentibus, magistris, sodalibus, aut exemplis obuiis originem ducit.

75 (5) Cauendum, ne digniori atque utiliori doctrinae praeferatur indignior, minusue utilis.

76 Nimirum uaria est eruditio, alia diuina, alia humana, alia principalis, alia instrumentalis, alia praeparans, alia perficiens.

77 Quaelibet quidem suam meretur commendationem, debet tamque poscit operam.

78 At alia tamen alia praestantior censeretur debet, adeoque maiori etiam studio, longiori tempore pluribusque sumptibus digna.

79 Praestat enim diuina humanae, principalis instrumentali, perficiens praeparanti.

80 (6) Cauendum, ne improbandae lectionis libri culturam animi impendant.

81 Tales haberi debent (a) obsceni, e. g. Martialis, Petronius, Tibullus, Propertius, Casa, Lemnius, Meursius, Aloysia Sigaea, Schola Virginum, et Poëtarum eroticorum plerique, nec non fabulae Romanticae.

82 (β) Dogmatistici, e. g. Beuerlandus, Brownius, Cornelius Agrippa, Böhmius, Peyrierius, Seruietus, et scriptores de polygamia.

83 (γ) Atheistici, e. g. liber de tribus impostoribus, de arte nihil credendi, de libertate cogitandi, Amphitheatrum Vannini, scripta Petri Pomponatii, Campanellae, Machiaveli, etc.

84 (δ) Ludicri, e. g. Encomia rerum abiectarum, aut noxiarum, a Dornauio consignata.

85 (ε) Seditiosi et famosi, e. g. Miltonus, Ackerus, Iunius, Brutus etc.

86 Quantum eiusmodi libri detrimentum afferant, neminem, in rerum hominumque usu uersantem, latere potest.

87 (7) Cauendum, ne nimius studiorum amor uitam reddat umbratilem.

88 Cum enim omnia, quae discimus agimusque, ad aliquem uitae humanae usum referri debeant, certi etiam φιλομαθείας statuendi sunt limites.

89 Quare dispiciendum quoque est, ne studia curiosa, elegantia, aut etiam inania, utilibus praeferantur.

K k 2

90 Prae-

90 Praesertim cum iisdem innutritus, eorumue dulcedine captus, et fugere lucem, et res agendas detrectare soleat.

91 Neque adeo mirum, si multis verae sapientiae et vitae activae impedimenta existant studia, quae animi culturam hominumque societatem iuvare debebant.

92 (8) Cauendum, ne polyhistoriae affectatio rerum necessariorum cognitioni officiat.

93 Cum enim tot scientiis et artibus addiscendis tam brevis vitae spatium haud sufficiat, inuolare in omnes, ac nulli immorari omnino nocet.

94 (9) Cauendum, ne eruditione, aut doctrina, animus inflatur.

95 Nam hoc pariter fini studiorum repugnat, et instrumenti, in se optimi, usum pervertit.

96 Quippe non ad ambitionem, aut ostentationem, comparari debet scientia, sed ad perfectionem hominis, vitaeque exornationem.

97 Imo tantum abest, ut vera sapientia homini det ansam superbiae, ut potius, iudicante Abercrombio, Anglo, omnium maxime ad humilitatem serviat.

98 Hoc nimirum sensu, quod sapientissimus quisque, quo magis scientiae imperfectionem agnoscat, eo minus etiam sibi tribuat.

99 Adeoque cum certo discrimine accipiendum est illud πολλοῦ ἀλλήλων: scientia inflat.

100 Cuius occasione Hirnhaim de typho generis humani scripsit, quo cum conferri possunt Agrippa et Turretinus.

101 (10) Cauendum, ne aliena magis, quam propria, voluntate vitae genus eligatur.

102 Cum enim ingenio cuiusvis, inclinationi et conditioni accommodari debeat vitae genus, huius etiam electio à propria voluntate proficisci debet.

103 A tali nimirum, quae plenam habeat libertatem id sequendi, quod rerum, hic considerandarum, ratio postulet.

104 Adeoque peccant illi parentes, qui, immaturo consilio, liberos, uel nondum adultos, certo vitae generi deuouent, uel inuitos ad illud amplectendum retinendumue cogunt.

105 Quo quidem nomine merito taxantur in erudita dissertatione,

one, hoc super argumento sub moderamine illustris nostri Wernheri habita.

106 IV. *Contraria* horum officiorum sunt: (1) Supina sui incuria.

107 Haec enim impedit, ut neque bonorum, quae homini insunt, perfectio, nec malorum emendatio obtineri possit.

108 (2) Proterua culturae uoluntatis neglectio.

109 Haec enim omnis animi eruditio et imperfecta evadit, et infructuosa.

110 (3) Inconsulta sciendi curiositas.

111 Hanc enim sequens, inania, noua et uana studia subinde amplectitur, suoque ac seculi genio magis attendit, quam animi perfectioni ac uitae practicae.

112 (4) Peruersa discendi ratio.

113 Haec enim, siue ineptam docentium institutionem, siue praeposteram discendum *modus* et applicationem contineat, culturae mentis obest.

114 (5) Desultoria circa uiuendi conditionem leuitas.

115 Haec enim neque certum tenere institutum, neque artem ullam perficere sinit.

116 (6) Onerosa aliis inertia.

117 Haec enim officio de uita recte utenda prorsus repugnat, adeoque merito damnanda in ualidis mendicabulis, histrionibus, funambulibus, agyrtis, aliisque huius generis hominibus.

118 V. *Controversiae*, hic incidentes, sunt: (1) An bene uicturo praestet indoctum esse, quam doctum?

119 Sic quidem cum Patribus quibusdam ii statuunt, qui omnes scientias, ueluti noxias magis, quam utiles, rejiciunt.

120 At perperam, cum inter usum et abusum, inter studia, concrete et abstractiue considerata, probe sit distinguendum.

121 (2) An libri Gentilium ex Scholis et Academiis sint proscribendi?

122 Ita uisum est multis tum prisca, tum nostra aetate, propter exempla eorum, quos scriptorum Gentilium amor corripit.

123 Verum neque his ad stipulati possumus, omnesque sine discrimine Ethnicos repudiare.

Kk 3

124 Quam

124 Quamuis enim nonnulli turpia tradant, animi culturae ac bonis moribus aduersa, hocque nomine noxii omnino et proscriptione digni haberi debeant.

125 Attamen horum censu illi haud ueniunt, qui, uel cognoscendae historiae et antiquitati, uel tractandae Philosophiae, uel excolendis linguis subsidia praebent.

126 Tales igitur legi possunt, saltem ab iis, qui, firmis instructi praefidiis, debitoque animi robore pollentes, ab inconsulto ipsorum amore sibi temperare ualent.

127 (3) An nouitatem circa studia sectari liceat?

128 Sic quidem hominum fert indoles, utpote qui natura, in tanta praesertim corruptione, nouitatis sunt auidi.

129 At hic etiam cauta opus est circumspectione, rerumque ac studiorum discretionem.

130 Ne scilicet, reiectis ueteribus, noua promiscue arripiantur, quamuis neque certiora, neque meliora, neque utiliora, manifeste appareant.

131 Id quod prudenter monuerunt Rechenbergius, Ehrenbergerus, Lilienthalius, Langius, Lehmannus, aliique.

132 (4) An rei literariae studium utilitatem praebeat?

133 Id quidem nemo inficiari ausit, qui, quantam hoc studium et facilitatem, et perfectionem, et commendationem eruditae afferat, secum perpendit.

134 At certi pariter limites hic seruandi sunt, ne aut nimium in illud tempus infumatur, aut omnis in eo ponatur eruditio.

135 Ideo falluntur, qui assiduae Ephemeridum lectioni uacant, easdemque, ut instruendae Bibliothecae, ita acquirendae eruditioni sufficere, credunt.

136 (5) An addiscendae Musicae opera sit danda?

137 Et utilem et iucundam nos quidem existimamus Musicam, adeoque studiosorum, maxime pauperum, opera non indignam.

138 Haec enim perinde, ac Calligraphia, multos adolescentes, inopia depressos, ad dignitates euexit.

139 Quare duae etiam haec artes inopum scholasticorum alae uocari solent.

140 At

140 At moderatum hic requirimus studium, ne Musica uoluptatis fiat administra, et Musicam tractantes, Musice uiuere consue-
scant.

141 Adeoque non ἔργον, sed πάσργον, non ἔδωμα, sed ἡδύσμα esse
debet, ex consilio Magni Tubingensium Theologi, Heerbrandi.

142 (6) An honesta sit malorum librorum retractatio?

143 Honestissima haberi debet, omnique laude digna, cum et se-
riam animi mutationem indicet, et continuam peccandi occasio-
nem auertat.

144 Malorum quippe librorum autores etiam post mortem pec-
care, bene docuit Schelguigius.

145 Quare operae pretium omnino fecerunt, qui talis retracta-
tionis necessitatem tum rationibus, tum exemplis demonstrarunt,
uti Schmidius, Neumannus, Feustkingius, Lyserus, ab Elsvvig.

146 (7) An extra certam conditionem uiuere liceat?

147 Affirmant hoc omnes, qui, ampla gaudentes fortuna, nescio
quam libertatem, aut commoditatem, affectant.

148 At dissentire hic iubet diuina ordinatio, quam recte cogno-
scere et studiose sequi nos oportet.

149 Hunc quippe in finem Deus tot animi corporisque bona
homini concessit, ut iisdem in Creatoris gloriam hominumque
utilitatem uti debeat.

150 Quod cum in uita priuata, aut prorsus solitaria, fieri nequeat,
haec etiam, quam diu laborandi uires suppetunt, omnino dedecet,
prout ipsi gentiles institutis suis declararunt.

151 Inde, quid de otiosa eremitarum, monachorum, canonico-
rum hominumque similium uita iudicandum sit, facile patet.

152 (8) An coeptum Theologiae studium, salua conscientia, mu-
tari possit?

153 Si mutationem graues urgeant causae, e. g. inclinatio plane
aduersa, deficiens aptitudo, debilitas uirium, eam licite fieri posse,
non dubitamus.

154 Sin minus, eandem, ut impiam, omnino detestamur cum
Bechmanno, Meiero, Oleario, Thomasio, Linckio, aliisque.

155 (9) An honores cum recto uitae usu consistere possint?

156 Du-

156 Dubium hic multi mouent, Carlstädi aliiorumque doctrina et exemplis perturbati.

157 At certum est, honores, nisi ambitionis explendae causa, modisue illicitis appetantur, prodesse magis, quam obesse.

158 Inseruiunt quippe explicandis ingenii dotibus, amplificandis hominum commodis, et excitandis rerum bonarum studiis.

159 (10) An propriis laudibus existimationem tueri liceat?

160 Si iniuriae depellendae, aut recolendae uirtutum memoriae, causa, citra ambitionem, cum adiecta inuidiae aut iactantiae deprecatione, fiat, indecorum haberi nequit.

161 Quare nec reprehendendum est, quod multi ex recentioribus perinde, ac ueteribus, propriam ipsi uitam consignauerint.

162 Seruatis nimirum modestiae legibus, ex fiducia potius morum, quam arrogantia.

163 Alias propria laus sordet, ac, ueluti hominis de sua ipsius uirtute testimonium, non magni habetur.

164 Perinde, ac testis de domo à iuris peritis reiiçitur, quippe cum affectu magis, quam ueritate rem metiri iudicetur.

165 VI. *Scriptorum*, huc pertinentium, alii de cultura animi agunt, uti (1) Pufendorfius (2) Hochstetterus (3) Buddeus (4) Tschirnhausen (5) Langius (6) Röhrensee (7) Crellius (8) Leopoldus (9) Fardella.

166 Alii eruditionem studiorumque methodum, disquirunt, uti (1) Vosius (2) Gerhards (3) Lunckherus (4) Fleurius (5) Thomafius (6) Meierus (7) Schmidius (8) Rechenbergius (9) Meyfartus (10) Chytraeus (11) Boeclerus.

167 Alii bonos et malos libros recensent, uti (1) Morhofius (2) Struuius (3) Raynaudus (4) Rechenbergius (5) Francus (6) Esselen (7) Sachinus (8) Heumannus (9) Becmannus.

168 Alii de fabulis Romanensibus, seu Romanticis, tractant, ut (1) Heideggerus (2) Paschius (3) Huetius (4) Götzius et alii, maximam partem allegati à Morhofio, Sorello, etc.

169 Alii existimationis rationem exponunt, uti (1) Nobilius (2) Typotius (3) Simonius (4) Vagedes (5) Mitternachtius (6) Freherus.

170 VII. *Axiomata* sunt: (1) Est uita donum, in Dei gloriam tuam-

tuamque hominum salutem concessum, adeoque hos etiam ad fines semper referendum.

171 (2) Sic quidem bonorum temporalium fundamentum et aeternorum occasio non inepte Grotio dicitur.

172 (3) Nimirum si rectus eiusdem usus semper tenetur, animi praecipue curam complectens.

173 (4) Quae qualis esse debeat, ipsa animi nostri natura facile ostendit.

174 (5) Cum enim animus spiritualis sit et immortalis, adeoque rebus mere corporeis et perituris satiari nequeat, ne sit mortale, quod optat.

175 (6) Cum animus in operando uariis impediatur malis, his remouendis opera sedulo danda est.

176 (7) Cum animus suas dotes a Deo habeat, easdem Deo quoque acceptas referri, in Deique gloriam conferri oportet.

177 (8) Cum animus per conscientiam nobis insinuet, reddendam esse uitae rationem, ita uiuendum est, ut ratio constare possit.

178 (9) Cum animus omnibus ex aequo hominibus a Deo contigerit, non desperandum est de mediis, quae perficiendo animo adhiberi possunt ac debent.

179 (10) Inde, quid porro circa culturam animi obseruandum sit, facile liquet.

180 (11) Scilicet hunc praecipue finem studiis omnibus esse praestituendum, ut animus perficiatur.

181 (12) Nihil admittendum esse, quod uel animi, uel corporis, sanitati officere, rectumque uitae usum peruertere possit.

182 (13) Euitandos esse libros noxios, cum quantacunque etiam cura et elegantia sint conscripti.

183 (14) Neque enim ab iis bene loqui discendum est, qui male docent uiuere.

184 (15) Quis aurum in luto, thesauros in stercore, gemmas in oleo quaereret?

185 (16) Opium Principem, qui malos libros, ueluti Ecclesiae ac Reipubl. pestes, ex bibliopolarum iuxta, ac typographorum officinis profligat!

186 (17) O fidum cenforem, qui, ne tales subinde irrepant, prouide curat!

187 (18) Certe, fieri nequit, ut improba lectio probum dimittat lectorem.

188 (19) Quemadmodum nec rebus ludicris studens, rebus praeclaris et laude dignis, pro eo, ac decet, uacare potest.

189 (20) Nec magis uerae sapientiae cum *ματαιοτεχία* conuenit, quam eruditioni solidae cum *πολυστορία*.

190 (21) Quare haec etiam fugienda est, neque inanis in ea quaerenda gloria.

191 (22) Equidem non dedecet uirum honestum et eruditum famae ac celebritatis studium.

192 (23) Potius felix dicendus est, qui bonae mansuraeq; famae praesumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria uiuit.

193 (24) Quin omnes homines, qui caeteris animantibus praestare student, niti debeant, ne uitam silentio transigant, ueluti pecora, quae natura prona et uentri obedientia finxit.

194 (25) Ipsa etiam uirtus gloriosa est, alios anteire, et immortalem meritorum famam parare cupiens.

195 (26) At ordinatum esto studium gloriae, ne stultitiae magis, aut superbiae, quam uirtuti, aut probitati inferuiat.

196 (27) Haec demum optima fama est, mentem recti bonique consciam ubiuis probare, et honestatis laude apud bonos gaudere.

197 (28) Itaque frustra sunt, qui famam magis, quam conscientiam, uerentur, suo tantum honori uelificantes.

198 (29) Quid iuuat, aliis longe lateque notum uiuere, et sibi ignotum mori?

199 (30) Quid prodest, scribendo, uel disputando, aduersarium non ita iniquum uincere, et saeuienti intra animum tyranno, philautiae, succumbere?

200 (31) Sibi suisque affectibus imperare posse, et maxima est sapientia, et certissima gloria.

MEMBRUM II.

DE

I. N. CIRCA VITAM, DEBITE CONSERVANDAM.

I. Funda-

I. *Fundamentum*. II. *Media*. III. *Oppositum*. IV. *Limitatio*. V. *Controuersiae*. VI. *Scriptores*. VII. *Axiomata*. I I.

Fundamentum obligationis ad uitam debite conseruandam est natura uitae.

2 Est nimirum haec animae et corporis coniunctio, a Deo facta, adeoque ab homine, citra Dei uoluntatem, non dissoluenda, sed potius conseruanda.

3 Est solius Dei arbitrio subiecta, adeoque talis, in quam homo nullum sibi ius temerario ausu arrogare potest.

4 Est ueluti depositum, homini a Deo concessum, adeoque sollicite custodiendum, et Deo, quando uoluerit, reddendum.

5 Est ad certum usum fructum a Deo ordinata, adeoque, quamdiu per Deum licuerit, ordinate utenda et fruenda.

6 Est mediis, ad conseruationem aptis, instructa, adeoque iisdem, quoad eius fieri potest, conseruanda.

7 II. *Media* autem sunt uel ordinaria, uel extraordinaria.

8 Ordinaria sunt (1) Alimenta, seu cibi ac potus congrui.

9 Haec enim, in uentriculo digesta, riteque concocta, chylum producant, qui uitam, ueluti, oleum candelam, conseruat.

10 Dum scilicet, sanguini permixtus, particulas balsamicas, nutritioni naturalium corporis partium inseruientes, affert.

11 Habenda autem est circa edendum bibendumque certarum circumstantiarum ratio, puta, finis, quantitatis, qualitatis, temporis, ordinis, modi, etc.

12 Finis nimirum, ut corporis uitaeque sustentatio unice intendatur, uoluptate faceßere iussa.

13 Quantitatis, ut tantum edatur ac bibatur, quantum stomachus concoquere ualet, pro aetatis, sanitatis ac conditionis diuersitate.

14 Qualitatis, ut ea, quae partium tenuiorum sunt, euchyma, cum quadam humiditate coniuncta, et aequalia, praeferantur crassioribus, minus succulentis, et inaequalibus.

15 Temporis, ut modo semel, modo bis, modo ter, aut saepius, de die cibus capiatur, prout temperamenti, aut consuetudinis, ratio tulerit.

16 Ordinis, ut lubricantia primo, uim adstrictoriam habentia extremo sumantur, facta per interstitium potus irrigatione. 17 Mo-

17 Modi, ut lente, citra liguriendi, aut deuorandi, auiditatem, cibi bene masticati in uentriculum demittantur.

18 (2) Labores, ad corporis exercitium ac motum facientes.

19 His enim et sanguis, alioquin stagnaturus, iuuatur, et uires debiliores corroborantur.

20 Quippe otio corpus contabescit perinde, ut aquae, decursu carentes, ac iacentes in fouea, putrescunt.

21 Quare neteres Romani id inter alia curabant, ut liberi natando, dimicando, ac pugnando bene exerceantur.

22 At hic etiam tum hominum, tum temporum et locorum aliarumue circumstantiarum diuersitas probe est attendenda.

23 Pro hac enim diuersitate diuersa quoque exercitia, diuersoque modo tractari debent.

24 Nosse inprimis iuuat, proxime ante pastum corpori prodesse motum, non ita post.

25 (3) Remissiones per somnum, quietem, otium ac delectationem.

26 His enim animi corporisque uires ita refocillantur, ut continuandis laboribus sufficere, ac ualitudinem firmam praestare possint.

27 Si scilicet debita cum moderatione fiant, ad refectionem, non corruptionem, aut destructionem, prout cuiusque conditio tulerit.

28 Somnus quidem nocturno tempore, non diurno, capiendus est, propter aëris frigiditatem pariter, ac tenebrarum fauorem.

29 Quietis interstitia toties facienda sunt, quoties uirium lassitudo, aut ualitudinis infirmitas postulauerit.

30 Otium esto honestum, quod, ueluti alimentum, animo et corpori indulgeatur, ad reficiendas augendasque nouo spiritu utriusque uires.

31 Delectatio in rebus innoxiiis est quaerenda, quales sunt deambulationes, congressus, ludi ingenui, ioci liberales, uenationes, etc.

32 (4) Vestes, ad corpus tegendum tuendumque aptae.

33 His enim et coeli iniuria, et terrae asperitas, et uolitantium animalculorum incurfatio auerti potest.

34 Est ergo praecipuus uestium usus, ut corpus honeste ueletur, et debite conseruetur.

Adeo-

35 Adeoque omnis circa easdem luxur et splendor inanis uitandus est, ne uanitatis, superbiae, libidinis ac corruptionis instrumenta euadant.

36 Attamen mundities et *luxuria* non negligenda est, dummodo seruetur modus, ac circumstantiarum habeatur ratio.

37 Si enim habitationes nostras rite seruandas et exornandas curamus, cur non corpus, diuini spiritus domicilium?

38 Extraordinaria media sunt, quae in extrema incolumitatis necessitate adhiberi possunt, huiusque fauore ac iure nituntur.

39 Est autem talis necessitas, uis, ex praesentissimo et urgentissimo periculo, citra culpam nostram suborto, proueniens, et ad aliquid, huius depellendi causa, faciendum, uel omittendum, cogens, quod alias facere, uel omittere, nefas foret.

40 Vel, est periculum uitae, membrorum, aut rerum, sine culpa nostra excitatum, ex quo alia uia euadere non possumus, quam si actum, alias prohibitum, suscipimus, aut praeceptum omittimus.

41 Requiritur itaq; (1) ut periculum sit instantissimum (2) ut culpa nostra non sit accersitum (3) ut actus suscipiendus sit medium ad illud auertendum unicum (4) ut damnum, inde alteri illatum, reparetur.

42 Exempla esse possunt abscissio membri insanibilis, proiectio mercium in mare tempore naufragii, prostratio hominis, in uia obfistentis, destructio aedium suborto incendio, etc.

43 Hinc uaria fluunt axiomata, et recepta apud Ictos brocardica, qualia fere sunt sequentia:

44 Necessitas non habet legem, ideo lex subiacet necessitati, non e contrario, l. 7. pr. ff. de admin. tut.

45 Necessitas adeo ingens est telum, ut non sit subiecta legi, sed legem sibi subiiciat, l. 10. §. 16. ff. quae in fraud. credit.

46 Necessitas facit licitum, quod alias de iure non est licitum, l. ult. C. de patr. qui fil. distrax.

47 Necessitatis causa multa conceduntur, quae ex uoluntate profecta prohibentur. l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog.

48 Quae tamen omnia ita accipienda sunt, prout dicta superius requisita ferunt.

49 Scilicet, talis debet esse necessitas, quae culpa careat, seu inuoluntaria sit, non uoluntaria.

Ll 3

50 Nam

50 Nam necessitatem sponte sibi imponenti non succurritur. l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog.

51 Et praesidium necessitatis non suffragatur illi, qui uolens necessitatem affectat, l. 2. §. penult. et l. ult. ff. si quis caut.

52 Adeoque malum, uel damnum, quod quis sua culpa sentit, sentire non uidetur, et sibi, non aliis, imputare debet c. 86. de R. l. in 6. et l. 203. ff. eod.

53 Est enim culpa delicti quaedam species, cum dolum inuoluat, qui dicitur delictum, l. 1. §. 14. ff. de tut. et rat. distrah.

54 Delicta autem non patrocinium, sed poenam, merentur, ut homines a malo abstineant l. 1. C. ad L. lul. repetund. et l. 31. de V. S.

55 Medium uero ex necessitate elabendi non debet contemptum, aut abnegationem Dei, adeoque malum necessitate grauius inuoluere.

56 Necessitas enim peccare non permittit, l. 43. §. 5. ff. de rit. nupt. lason in l. 1. n. 75. de offic. eius, cui mand. est iuris dict.

57 Nec facienda sunt mala, ut inde eueniant bona c. 2. de sortileg. c. 4. de usur. gl. in l. 9. C. de S. S. Ecclef.

58 Patet hinc, quo sensu accipienda sit regula: Ex duobus malis minus est eligendum.

59 Scilicet ex duobus malis dolorificis, uel tristibus, aut naturalibus minus est eligendum, ex moralibus neutrum.

60 Quod si uero alterum naturale, alterum morale fuerit, naturale, tanquam minus, prae morali, tanquam grauiori, est eligendum.

61 Quoties igitur susceptio, uel omissio, actus contemptum Dei, aut abnegationem, inuoluit, toties exceptio necessitatis locum non habet.

62. Contra, quoties susceptio, uel omissio actionis, alias prohibita, uel praecepta, in contemptum Dei non cedit, toties necessitas excusationem praebet.

63 Inde, an exempla, a Pufendorffio allata, recte se habeant, facile iudicari potest.

64 In primis disceptatur, an recte fecerint septem Britanni, qui, mari in extremo famis periculo uersati, socium, sorte designatum, mactarunt ac comederunt, de quo prostat dissertatio Henrici.

65 III.

65 III. *Oppositum* huius officii est uiolenta sui occisio, Graecis ἀντιφονία, uel ἀντιφονία dicta.

66 Est autem duplex, uel crassa, seu directa, uel subtilis, seu indirecta.

67 Crassa est, quando quis sibi ipsi uiolentas iniicit manus, ferro, igne, laqueo alioque modo uitam sibi auferendo.

68 Subtilis est, quando quis tale quid agit, uel omittit, quo uitam abrumpi, mortemque accelerari, nouit, uel nosse poterat, ac debebat.

69 Ad utramque requiritur et uoluntas, quae gradibus suis discernitur, et legis prohibitio, quae tamdiu praesumitur, donec probetur exceptio.

70 Crassae autochiriae species est uiuiseputura, siue ex amoris excessu fiat, siue ex mortis imminens certitudine.

71 Cuius quidem exempla, tum ex utraque India, tum aliunde accersita, collegit Goetzius.

72 Pertinet etiam huc duellum, ex leui offensa, nomine tuendi recuperandique honorem, ac propulsandae ignominiae, re autem uera falsae gloriae, seu priuatae uindictae causa, susceptum.

73 Quae dimicandi ratio, Turcis etiam exosa, et inexcusabilis audaciae, et intolerabilis feritatis, et extremae iniustitiae, et immanis superbiae, et affectatae inobedientiae arguenda est.

74 Hocque nomine merito damnatur a sinceris Doctoribus, uti Limnaeo, Iac. Thomasio, Imhofio, Becmanno, Boeclero, Reinkingio, Boxhornio, Lancellotto, Bocero, Rachelio, Galezio, Vischero, Scharffio aliisque.

75 Nec satis laudari possunt Principes, qui seueris edictis eandem proscribere, grauissimamque in monomachos poenam statuere sustinuerunt.

76 Hi quippe Magistratui debitam detrahunt auctoritatem, dum sibi ipsis ius dicere audent, et priuatam exercere uindictam.

77 Quam tamen diuinae pariter, atque humanae, leges prohibent, Rom. XIII. 4. l. 13. ff. quod met. caus. l. ult. C. de ui priuat. l. 14. C. de lud. et coelic. l. 176. ff. de R. l.

78 Nec consuetudinem hic praetexere iuuat, cum ea irrationabilis sit, bonis moribus aduersa, adeoque nequaquam attendenda, iuxta l. 2. C. quae sit longa consuetud.

79 Quod

79 Quod quidem de priuato tantum duello, eodemque extraiudiciali, non iudiciali, aut publico, multi intellectum uolunt.

80 Scilicet duellum priuatum iudiciale, uulgo sic dictum, est, quo litigantes, in subsidium deficientis probationis ac purgationis, adhibita certa solemnitate, olim utebantur.

81 Vocabant hoc, exquirere iudicium Dei per duellum, die Sache im Kampff zu Gottes Urtheil stellen.

82 Unde Ius Ordalii, seu Urtelae apud ueteres Germanos, Ordel, Gades Ordel, de quo legi inter alios possunt Schottelius, Spelmannus, Goldastus et Becmannus.

83 Publicum uero dicitur, quod in causa publica, seu nomine publico, a Principibus, uel horum delegatis, instituitur.

84 Estque uel decretorium, uel prolusorium, hocque rursus uel reale, uel augurale.

85 Decretorium est, quo hostis cum hoste in pugnam descendit, ad dirimendum ex pacto bellum, ita, ut, quae pars duello uicerit, bello toto uicisse censeatur.

86 Prolusorium, idemque reale, est, quo maiori certamini quasi proluditur, congregiente hoste cum hoste, probandae uirtutis causa, augurale uero, quo ex hostili unius pluriumue pugna de futuro belli euentu omen capitur.

87 Huius quidem generis duella cum et ueterum institutis, et uariis exemplis, tum sacris, tum profanis, niti dicantur, non aequè illicita uideri possent.

88 At, iudiciale quoque duellum temeritati potius, quam fortitudini accedere, cum Schiltero aliisque existimamus.

89 Publicum, quod Principes suscipiunt, ueluti Reipublicae notissimum, merito reiciunt Zentgræuius, Camerarius, Buddeus, alique.

90 Prolusorium pariter, siue reale sit, siue augurale, non ita iustum censeri potest, cum alterum ad uoluptatem duntaxat, uanamque gloriam, alterum ad gentilem superstitionem referri debeat.

91 Decretorium denique non, nisi in casu necessitatis, haud aliter euitabilis, licitum pronunciari potest.

92 Subtilis avtochiria uariis agendi uiuendique modis fieri potest.

93 (1) Intemperanter edendo et bibendo.

94 Ingluuias enim et ebrietas animi perinde, ac corporis uires hebetant, uaria morborum semina spargunt, uitaeque finem sensim accelerant.

95 Quare uerissimum est, quod uulgo dicitur: plures occidit gula, quam gladius.

96 Quid? quod quaedam quasi uini sepultura haberi potest luxuria et intemperantia.

97 Maxime uitam destruit ebrietas, familiarissimum quidem hominibus uitium, at indignissimum pariter, ac nocentissimum.

98 Quippe hominem in brutorum sortem detrudit, mentem a statu suo deturbat, Rationis lumen extinguit, uires animi frangit, corporis robur labefactat, opes consumit, aetatem perdit, plurimisque uitis uiam sternit.

99 Ideo non diuino tantum mandato, sed humanis etiam constitutionibus, sigillatim Recessibus Imperii, seuerissime prohibetur.

100 Nec defuerunt uiri cordati, qui scriptis eandem impugnare, et uia ipsam coercendi consilia suppeditare conati sunt.

101 Equidem distinguunt uulgo inter ebrietatem et ebriositatem, hanc uinum habituale, illam uero actum dicentes, qui citra habitum et praeter intentionem euenire possit.

102 At, quamuis ille, qui sine culpa, uel imbecillitatem suam, uel potulenti naturam ignorans, aliquando sese inebriauerit, non omni prorsus excusatione indignus uideri possit.

103 Tamen distinctiuncula ista plerumque in abusum trahitur, ac uoluntariae praetextitur ebrietati.

104 Quam exiguum uero causae suae praesidium petere inde possint bibones, D. Apostolus docet, quando cum furibus et adulteris coniungit ebrios. 1. Cor. VI. 9.

105 Scilicet, quemadmodum quis unico actu fur, aut adulter, fieri potest, Deique gratia excidere, quin animae salutem perdere.

106 Ita unum quoque ebrietatis actum, contra leges admissum, nisi seria interueniat poenitentia, diuina manet nemesis.

107 Nec inuat, gradus ebrietatis in maiorem et minorem, ipsamque adeo ebrietatem in modicam et immodicam, distinxisse.

M m

108 Prae-

108 Præterquam enim quod ἀγλαφός fit hæc exceptio, leue etiam momentum habet.

109 Siquidem aequè peccat, Deoque exosus est, qui minori in gradu sciens uolensque sese inebriat, quam qui in maiori uentrem uino zythoque ingurgitat.

110 (2) Scorta et ueneres sectando.

111 His enim libidines inflammantur, spiritus uitales dissipantur, vires attenuantur, partes corporis uiolantur, uaria morborum genera accelerantur, et misera tandem fata maturantur.

112 Ideo libidinosi ueneris serui pariter, ac gulones et bibones, he autem timorumenis, h. e. se ipsos punientibus, merito annumerantur.

113 Complectimur autem hic scortatione simplici omnia impuritatis genera, quocunque ueniant nomine.

114 Nam qui uis motus et actus, fini, ad quem Deus homini appetitionem sexus sequioris indidit, et ordini, quo eandem circumscript, repugnantes, inter prohibitos censi debent.

115 Id, quod erudito libro, contra impuritatem scripto, demonstrauit religiosus Gallus, Osterwaldus.

116 Nimirum et parcissimus et uerecundissimus esse debet ueneris usus, idemque in legitimo tantum matrimonio.

117 Hoc demum diuinæ circa coniunctionem sexus intentioni conuenire, infra probabimus.

118 Patet hinc, quam grauer peccent Principes et Magistratus, prostibula et lupanaria in ciuitatibus suis tolerant.

119 Sunt enim lupanaria spirituum immundorum templa, firenum antra, corruptelae iuuentutis, cloacae impudicitiae, foedarum uoluptatum sentinae, omniumque uitiorum latibula.

120 Efficiunt hæc, ut urbes aut diris foedentur caedibus, aut spuris onerentur liberis.

121 Contingit hinc, ut multi fugiant matrimonia, non castitatis amore, sed scortandi licentia.

122 Quare tantum abest, ut restringendis uoluptatibus, coercendisque criminibus inserviant, ut potius iisdem accendendis augendisque materiam præbeant.

123 Ne-

123 Neque eas moramur gentes, quae, nullam de pudicitia legem habentes, uagam liberamque tenerem permiserunt.

124 Excusandis enim peccatis frustra praetenduntur exempla, et sceleratorum multitudo sceleribus patrocinium haud parit.

125 Quemadmodum nec leges, ex Iure Ciuili et Canonico hic allegari solitae, attendi merentur.

126 E.g. in multorum honestorum uiro-
rum praediis lupanaria exercentur l. 27. §. 1. ff. de hered. petit.

127 Et lupanaria non infamant castitatem, sed castitas loci abolet infamiam c. 32. qu. 5.

128 Has enim leges subsecutis temporibus partim circumscriptas, partim nouis mutatas fuisse, constat.

129 Quaestus denique, ex lupanaribus in fiscum et aerarium publicum rediens, iustam ea tolerandi causam minime praebet.

130 Etenim Reipublicae salus non commodorum multitudine metienda est, sed morum etiam honestate.

131 Imo, dicendum potius est, plus mali, quam boni, ex censu meretricio in ciuitatem redundare.

132 Quippe grauissimam Dei uindictam lupanaria prouocare, certissimumque ciuitatibus exitium asferre, Spartanorum docet exemplum.

133 Mirum igitur est, quod ipse Romanae Ecclesiae Praeful tam turpe uectigal, ad augendos sanctionis aerarii redditus, sumere, hocque nomine publica tolerare lupanaria non erubescat.

134 Succidere potius debebat crescentem luxuriae siluam, subtrahere occasiones, amouere instrumenta libidinum et delinimenta deliciarum.

135 Etiam si minus culta, minus opulenta ciuitas uideatur, aut aerario aliquid decedat, cum praestet frugalis mediocritas profuset luxuriosis opibus, monente ita e Soc. Ies. Conzenio.

136 (3) Affectibus immoderatis indulgendo.

137 Quantum hi noceant, spiritus uitales exagitando, sanguinem condensando, uires debilitando, corporis oeconomiam peruertendo, calorem uitalem destruendo, in Ethica docuimus.

138 Sunt autem ii maxime uitandi, qui et corpori et animae praeter caeteris noxam asferre possunt.

M m 2

139 Ta-

139 Tales potissimum sunt tristitia, metus, odium, ira, inuidia, zelotypia, desperatio, amor libidinosus.

140 Tristitia quippe animum corpusque affligit, ac veluti carie quadam ita exedit, ut praeceps inde mors sequatur.

141 Metus animum conecit, omni quiete priuat, anxietatem iniicit, pallore et tremore omnia replet.

142 Odium hominem exacerbatur, ad iram et vindictam incitat, in temerarios ausus praecipitat.

143 Ira sanguinem, ab imis praecordiis exestuantem, concitat, spiritus omnes perturbatur, mentem de statu deiecit, ad furorem adigit, totum hominem peruat, et aegrum, immanem, truculentum, ac toruum reddit.

144 Inuidia indignus periade, ac perniciosus affectus est, malis rebus gaudens, bonis dolens, animam exulcerans, corpus consumens, maciem, pallorem, tabiem inducens.

145 Zelotypia hominem metu continuo torquet, suspiciosum pauidumque reddit, cura et anxietate premitur, umbris somnisque affligit.

146 Desperatio animum despondet, omne remedium spernit ad extrema ruit, et malo, quod insuperabile concipitur, succumbit.

147 Amor libidinosus, instar flammae furentis, hominem corripit, deuorat, perdit ac destruit.

148 His igitur affectibus, tum fugiendis, tum cohibendis, danda est sedulo opera.

149 Adeoque frigus affectuum, ut firmissimum prudentiae fundamentum, ita optimum sanitatis praesidium, certissimumque uitae conseruandae medium statui potest.

150 (4) Curas, uigilias et labores impares sustinendo.

151 His enim spiritus uitales profligantur, humores et succi exhauriuntur, membra debilitantur, alimenta corrumpuntur, et corporis animique uires franguntur.

152 Ideo cura Graecis dici solet *μεσημερια*, quasi mentem diuidens, et *δυμοδαμης*, mentem demordens.

153 Et Lucianus in dialogis mortuorum, e.g. Terpsionis et Plutonius, inter causas mortis (*αιτιας τῆς αποθανειν*) uigilias et curas (*αγρυπνιαν η̄ φροντιδας*) refert.

154 Im-

154 Immodici autem labores corpus atterunt, non secus, atque arcum nimia frangit intensio.

155 Optimum uero hic remedium est sufficientia, Graecis *ὑπομέτρητος* dicta, et *πλουξίας* uitio opposita.

156 Haec enim aequabilem hominis animum suaque sorte contentum praestat.

157 Ita scilicet, ut bona fortunae anxio desiderio et immoderato studio haud appetat, sed honesto labore parta aequi bonique faciat.

158 Quamquam haec uirtus mereatur commendationem, quantumque in omni uita afferat fructum, scriptores passim exponunt, uti Omeisus, Philaretus, Aepinus, et Anglus anonymus.

159 (5) Corpus inedia, aut abstinentia, macerando.

160 Hac enim alimenta, ad conservandam uitam necessaria, subtrahuntur, adeoque mors inuitabiliter accersitur.

161 Quae quidem subtractio, si totalis fuerit, Graecis dicitur *ἀποπαράσις*, seu mortis per inediam illatio.

162 Nam *ἀποπαράσις* nihil aliud denotat, quam uitam inedia, seu abstinentia alimentorum, finire.

163 Fuisse autem hanc uitae abruptendae consuetudinem plurimis olim Philosophis familiarem, Democriti Abderitæ, Zenonis, Cleanthis, Lyeurgi, aliorumque exempla testantur.

164 Maxime ii hoc mortis genus sibi elegisse scribuntur, qui, lecto Platonis libro de animarum immortalitate, uitam hanc fastiduerunt.

165 At stolide et iniustissime, nec naturali sui amor, nec sociali-
tatis legibus conuenienter.

166 (6) Studiis inconsulte et assidue incumbendo.

167 Hac enim studiorum intemperie corporis mentisque uigor prostermitur, cachexia, aut habitus uitiosus, contrahitur, et uita praemature abrumptur.

168 Scilicet dantur heluones librorum, qui citra legem officii, mera sciendi cupiditate, aut malesana etiam curiositate, in uarias sese artes ingurgitant.

169 Vade sit, ut, libris affixi, rerumque aliarum fere obliti, dies noctesque, sedendo, legendo, scribendo, aut meditando, consumant,

170 Quae quidem uiuendi ratio quam noxia sit et uitiosa, erudita oratione exposuit Wedelius.

171 Scilicet subtilis autochiria, quocunque demum modo, contra prohibitionem legis, fiat, aequae, ac crassa, peccatum inuoluit.

172 Qui enim occasionem, uel causam, praebet morti, ille et mortem inflixisse censetur.

173 Nec quicquam interest, occidat quis, an causam mortis praebet, l. 15. ff. ad L. Cornel. de sicar.

174 Errarunt itaque (α) Stoici, qui sapienti suo uitam, unde nulla in societatem utilitas redundaret, uoluntaria morte finiendi libertatem concesserunt.

175 Rati nimirum, hominem, ut animans rationale et sociale (λογικὸν καὶ κοινωνικόν) unice societati humanae natum esse, ac destinatum.

176 Adeoque omnem quoque uiuendi rationem eo esse referendam, et, ubi utiliter uiui non posset, mortem prae uita eligendam.

177 Quare in eo multus est Seneca, ut unum quidem ad uitam introitum, exitus uero ex illa plurimos homini naturam dedisse, et declaret, et laudet.

178 Quae uero sententia et stultitiae, et impietatis, et imprudentiae arguitur a Lipsio.

179 Hocque nomine merito relicitur a Cl. Viris, Buddeo, Barbeyracio, Geulingio, Rachelio, Montano, Zimmermanno, aliisque.

180 (ε) Ebraeorum Magistri, qui, memorante Grotio, tum demum licitam pronunciarunt autochiriam, si quis uideret, se deinceps in opprobrium Dei uicturum esse.

181 Scilicet, autochiriae crimen caeteroquin damnantes, unicum hanc causam exceperunt, quam laudabilem excessum (εὐλογον ἔξαγωγήν) uocarunt.

182 Exempli loco adduxerunt Simsonem, nec non Saulem, et Raziam, Senatorem Hierosolymitanum.

183 At inepte, cum Simsonis factum singulare prorsus sit, magisque notandum, quam imitandum, Saul uero et Razia dubio procul peccauerint.

184 Hi itaque nullum autochiriae patrocinium praestare possunt, ille uero, Simson, a Doctoribus recte autochiriae absoluitur.

185 (γ)

185 (γ) Circumcelliones, seculi IV. haeretici, qui, certis pariter casibus uoluntariam sui occisionem licitam esse, statuerunt.

186 Quam peruersam quidem sententiam resuscitasse uidetur Donnius, Anglus, in peculiari tractatu, *Βιαδάνατος* inscripto, cui suum de autochiria librum opposuit Adami.

187 Quanquam haud mirum sit, talia ab Anglis prodire scripta, utpote quibus autochiriam non adeo inusitatam esse, nouimus.

188 Verum, quibuscunq; siue rationibus, siue exemplis, ea defendatur, diuinis tamen pariter, atque humanis, legibus aduersa manet.

189 Si enim nemo citra legem in alterius uitam ius habet, multo minus in propriam, hactenus, ut eandem impune possit abrumper.

190 Quippe membrorum suorum nemo uidetur dominus, l. 13. ff. ad L. Aquil. conf. c. 23. qu. 5.

191 Cogitandum potius est, conditum esse hominem, ut patriae et proximo utilis uiuat, l. 1. §. 15. ff. de uentr. in poss. mitt.

192 Quare uarias etiam poenas in propricidas lura statuunt, uti bonorum confiscationem, sepulturam caninam, aut aliud ignominiae genus.

193 Et quamuis Icti Romani, Stoam secuti, non omne propricidium improbauerint, imo seruis illud simpliciter permiserint, ueluti cura legum non comprehensis, l. 9. §. 7. ff. de pecul. l. 32. ff. de R. l.

194 Haec tamen leges alius emendantur, quibus malus seruus dicitur, qui aliquid facit, quo magis se rebus humanis extrahat, tanquam nonnihil in alium ausurus, qui hoc aduersus se ausus est, l. 1. §. 1. ff. de Aedil. edict. et l. 23. §. 3. ff. eod.

195 Scilicet, qui sibi non pepercit, multo minus alii parcere praesumitur, l. fin. §. 6. ff. de bon. eor. qui mort. sibi conscisc.

196 Et hodie seuera admodum poena propricidium coercetur, nisi ex furore, aut summa melancholia, prouenerit, adeoque prorsus sit inuoluntarium.

197 Furiosus enim nullam habet uoluntatem, sed equiparatur ignorantia, absenti et quiescenti, imo infanti l. 40. ff. de R. l. l. 26. ff. qui testam. fac. poss. l. 2. §. 3. ff. de iur. codicill. l. 124. §. 1. ff. de R. l. et l. 1. ff. de bon. poss. furios.

198 Quin

198 Quin attentatum quoque propitium puniri, arbitraria nimirum poena, testatur Carpzovius.

199 Neque attendi debet, siue ex tædio uitæ, siue ex fortitudinis et constantiæ opinione, siue ex pudicitiae conseruandæ prætextu proueniat.

200 Non, nisi iussu Imperatoris, h. e. Dei, decedendum est de statione, in qua nos ille collocauit.

201 Retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est datus, ex uita migrandum, ne munus, a Deo assignatum, defugisse uideamur.

202 IV. *Limitatur* autem hoc officium eo, quod (*) mortem pro altero, cui peculiariter obstricti sumus, oppetere liceat.

203 Etenim hic legis cessat prohibitio, et ordinati amoris habenda est ratio.

204 Modo sit persona præstans, publico utilis, adeoque digna, quæ tam care redimatur, e. g. Princeps, Parens, Magistratus.

205 Illustre exemplum sistit Sleidanus in adolescente nobili, qui Mauritium, Saxoniae Ducem, in bello Turcico humi prostratum, protexit, suæque morte seruauit.

206 Alias et stolidum foret, et impium, alteri perituro frustra se se comitem addere, uel nauci hominem propriæ uitæ iactura tueri.

207 Neque enim cuius cuius alterius uitam suæ præferre debet, sed potius, cæteris paribus, sibi quisque proximus esse permittitur.

208 Quippe charitas, bene ordinata, incipit a se ipsa, l. 14. ff. de præscript. uerb. et l. 6. C. de seruit. et aqu.

209 Et iusta censetur excusatio eius, qui suam salutem alienæ præfert, utpote cuius nemo præsumitur esse immemor, l. 6. C. ad L. Iul. repetund.

210 Adeoque Iuri Naturæ omnino repugnant antiquæ illæ deuotiones, quales in Iaponia et India etiam nunc fieri solent.

211 Præsertim cum pleraque non, nisi uanam fidei et fortitudinis ostentationem, præ se ferant.

212 Infelix autem habenda est gloria eorum, qui nulla iusta de causa, et citra utilitatem, pro aliis morte statuunt occumbere.

213 Et

213 Et deploranda est eorum miseria, qui, peruersi amore dogmatum uitam, optimum hominis bonum, cum Vannino, perdere non dubitant.

214 (a) Vitae periculum Reipublicae causa subire liceat.

215 Nam hic pariter contra prohibitam alias autochiriam exceptio obtinet.

216 Socialitas nimirum, philanthia potior, et salus publica, quo priuatorum saluti anteponenda est.

217 Salus enim Reipublicae suprema lex esto, quae parentibus etiam in necessitate est praefenda, l. 5. ff. de decret. ab ordin. faciend. et l. 19. §. fin. ff. de captiu. et postlimini. reuers.

218 Proinde in autochiriae crimen haud incurrunt milites, qui dubiae belli fortunae uitam committunt.

219 Nec iniuste agit Princeps, qui, postulante necessitate, ciues arma capere, publicamque salutem, etiam cum propriae periculo uitae, defendere cogit.

220 Cum enim bella propter asserendam patriae securitatem gerantur, uel geri debeant, praeclarum habetur, bene in iis mereri.

221 Imo, in perpetuum per gloriam uiuere intelliguntur, qui pro Republica ceciderunt, pr. l. de excusat. tut. uel cur.

222 Quare militia etiam dicitur dignitas, et inter species honoris refertur, l. 12. C. de Palatin. et l. 51. pr. C. de Decur.

223 Hocque respectu militia sagata cum togata comparatur, quodque dispositum est in Doctore Iuris, censetur etiam dispositum in milite l. 14. C. de aduocat. diuers. iudic.

224 Quin duo in Gallia equitum genera olim fuisse, armorum et legum, testatur Carpzouius.

225 Vnde factum uidetur, ut adulterii aliorumque criminum dammati, inter milites non reciperentur, l. 4. §. 7. ff. de re militar.

226 Idque Ebraeorum etiam institutis conuenienter, utpote qui facinorosos et mala conscientia trepidos, non secus, ac meticulosos, aut imbelles, a sacri communionis exercitus arcere solebant, teste Schickardo.

227 Rari nimirum, nec animum, nec fidem, nec fortunam expectari posse a sceleratorum hominum colluie, ubi plus malitiae, quam militiae, deprehendatur.

N n

228 Quod

228 Quod quidem nostra aetate tanto magis notari deberet, quanto infelicius exercitum, ex improba turba conflatum, pugnasse, constat.

229 Pertinet huc navigatio, seu excursio in mare, exportandarum importandarumque mercium causa.

230 Equidem non, nisi cum vitae periculo, iter maritimum suscipi potest, et multi oceanum ingrediuntur, quibus egredi inde non datur.

231 At uero navigatio maximam in bello et pace utilitatem affert, Gentiumque commercia mirum in modum iuuat.

232 Quapropter publico dandum est bono, quicquid periculi, aut mali, eandem excipere possit.

233 Praesertim cum tempestates, quaeque oriri hinc solent, naufragia, ex accidenti eveniant.

234 Neq; etiam rei autophoniae sunt, qui, calamitatem, ex incendio, diluvio, latrocinio, aut simili causa ortam, repressuri, pereunt.

235 Quippe ad mutuam defensionem, mutuumque auxilium homines naturae uinculum copulauit, l. 3. ff. de l. et l.

236 Idcirco, qui iniuriam a socio uicino non depellit, tam est in uitio, quam si parentes, aut patriam deferat, c. non in 23. qu. 3.

237 Modo hic euitetur temeritas, aut inconsulta curiositas, qua, citra necessitatem, aut uocationem, pericula adueniunt.

238 Qui enim indebite uel castra militum sequitur, hostiumque loca minus tuta contemplatur, uel alio modo, e. g. martyrium affectando, uitam exponit, nullum ab audacia uanaque persuasionem praesidium petere potest.

239 Quare semper obseruandum est axioma illud: Hoc age, curabit praetia Conon.

240 (3) Probabilem vitae breuioris conditionem eligere liceat.

241 Hoc nimirum sensu, quod in officio honeste tales subire liceat labores, quibus animi quidem corporisque uires atteruntur, ipsaque adeo uita breuior redditur, at talenti usus in Dei Gloriam hominumque salutem largius dispensatur.

242 Sic tantum abest, ut eiusmodi vitae conditio uoluntati diuinae repugnet, ut potius eidem maxime conueniat.

243 Hunc

243 Hunc enim in finem natus est homo, ut laborando et Deo, Creatori suo, et patriae, et proximo seruiat.

244 Ideo uiri, praeclara munera obeuntes, uti Ecclesiae Scholaeque Doctores, candelae assimilari solent, quae, aliis lucendo, se ipsam consumit.

245 Quanquam credere debemus, Deum, pro bonitate sua, strenue pieque laborantibus, subuenire, eorumque vires insigniter augere et seruare.

246 Neco dubium est, quin plures segni otio, aut nexia uoluptate, uitam destruant, quam laborum utilium pertinacia.

247 Diximus autem, officium debere esse honestum, seu tale, in quo honestis et necessariis laboribus ad uitam humanam commodi quicquam et honoris decorisque conferri possit.

248 Requiritur etiam, ut officio tali functurus, iis instructus sit dotibus, quibus ad bene merendum opus est.

249 Alias stolidum foret, ac temerarium, munus uiribus impar suscipere, nec suo se modulo ac pede metiri.

250 V. *Controuersiae*, seu quaestiones illustriores, hic occurrentes, sunt potissimum sequentes:

251 (1) An ciborum ac potuum habendus sit delectus?

252 Sic quidem nobis uidetur, si delectus physicus, oeconomicus ac politicus intelligatur, non superstitiosus.

253 (2) An carniū esus sanitati conducatur?

254 Cum Medici hic inter se non conueniant, aliis plantas carni-bus esse salubriores, aliis contrarium statuentibus, propriam quisque consuetudinem sanitatisque rationem attendere debet.

255 (3) An sanguis escarius inter alimenta locum mereatur?

256 Vsum eius et lege naturali et institutis Christianorum licere, cum Bartholino aliisque non negauerim, neque tamen, omni eundem corpori prodesse, dixerim.

257 (4) An conuiuia frequentare consultum sit?

258 Si honesta sint, et bona intentione, citra luxum, aut peccandi occasionem, instituta, dissuaderi nequeunt, nisi uel corporis, uel animi ratio ab iis abstinere iubeat.

259 (5) An in alterius salutem bibere liceat?

260 Soteria quidem pocula uoluptatis et ebrietatis incentiua à multis uocantur, sin uero inter usum et abulum, inter causam per se et per accidens distinguatur, usus eorum, ad testificandam beneuolentiam introductus, damnari nequit.

261 (6) An omnis plane in bibendo excessus peccatum inuoluat?

262 Excessum proaereticum, ex praua uoluntatis affectione et lata culpa prouenientem, peccato nunquam uacare, certum est; at excessus inuoluntarius excusationis quicquam parere uidetur.

263 (7) An ebrietas tuendae ualitudinis causa sit licita?

264 Sic multi quidem, Philosophi perinde, ac Medici, et Doctores Pontificii statuunt, quibus autem regula, superius exposita, contradicit: Non facienda sunt mala, ut inde ueniant bona.

265 (8) An herbae Nicorianae abusus ebrietatem inducat?

266 Certe, uix aliter de luxuriosis peti fumantis succonibus iudicari potest, quam de Scythiis et Thracibus, ex herbarum, ignibus iniectarum, odore ebrietatis uoluptatem capientibus.

267 (9) An saltationes inter licita corporis exercitia sint referendae?

268 Sic quidem, secus ac multi contempnunt, statuendum uidetur de saltationibus modestis, uerecundis ac simplicibus, non autem de lasciuis, ad libidinem uanamque ostentationem impense ac sumtuose compzatis.

269 (10) An flagellationes, apud Pontificios usitatae, naturaliter sint illicitae?

270 Falsè omnino uidentur, perinde, atque Indorum mutilationes, uel cauterizationes per ferrum ignitum, aut interdictae Ebraeis cruentationes corporis, cum, uana tantum meriti opinione nixae, neque corpori, neque animae conducant, ut recte iudicat Beierus.

271 (11) An pro merita alterius delicto poenam in se recipere liceat?

272 Negamus hoc, mortemque adeo uicariam minime probamus, cum delicta debeant tenere suos autores, neque unus teneatur de delicto alterius, l. 2. C. de poen. l. 23. §. 1. C. de inoffic. testam. et l. fin. ff. ad Sct. Syllan.

273 (12) An citra autochiriae culpam in loco, peste infecto, quis manere possit et occumbere?

274 Ita

274 Ita credendum est de iis, quos uel officii ratio, uel necessitudinis uinculum, hominibus, tali calamitate afflictis, deesse uetat, de aliis focus.

275 VI. *Scriptorum*, huc pertinentium, alii generaliter de conseruatione uitae, aut temperantia tractarunt, uti omnes fere doctrinae moralis et iuris Naturae Doctores.

276 Alii specialiter de uno alteroue actu officii erga seipsum rationis uitae egerunt, e.g. de usu cibi et potus Clem. Alexandrinus et Schmidius, de esu carnis et sanguinis Erasmus, Heshusius, Omeisius, Seldenus, Bartholinus, Wandalinus, Flannickenius, et alii.

277 VII. *Axiomata* sunt: (1) Equidem leue admodum uitae humanae uicium est illis, qui ad aeternitatem adspirant.

278 (2) Est enim uita cum perpetua peccatorum coaceruatione et germinum perpensione coniuncta.

279 (3) Attamen non despicienda prorsus est, sed, ueluti operum pietatis, temperantiae et charitatis continuatio, uitaeque futurae occasio, debite aestimanda.

280 (4) Vitae longitudo Dei beneficium est, sanctissimis olim uiris concessum.

281 (5) Est praecipua Dei benedictio, piis Deumque amantibus promissa.

282 (6) Diuini signum factoris est, caleos et uestes, h. e. fragilis compager corporis, quam minimum atteri, dum in terram promissionis gramus.

283 (7) Quare cura omnino et opera est adhibenda, ut ne culpa nostra corporis ualetudo, cumque ualetudine uita, amittatur.

284 (8) Quantum enim sanitas sit bonum, ueteres eo indicarunt, quod huius nominis Deam cultu perquam religioso uenerati sunt.

285 (9) Huius autem seruandae medium est temperantia, seu Rationis in libidinem ac degeneres animi motus iusta et firma dominatio.

286 (10) Accenda nimirum est uoluptas, capitalis hominum pestis, omniumque prope malorum mater ac nutrix.

287 (11) Ad fines naturales omnia referre decet, rerumque cunctarum usum ipsarummet natura metiri.

288 (12) Haec Dei est ordinatio, sanctissimisque naturae legibus decreta voluntas.

289 (13) Ergo solius uoluptatis gratia edere, bibere, et consuescere est rerum naturae difformiter agere.

290 (14) Voluptatem uero euitaturus, libidinosa sensuum irritamenta fugere debet.

291 (15) Maxime cauendum est, ne effraenata ueneris cupido excitetur, furiosissimus omnium affectus, hominumque Rationi infestissimus.

292 (16) Quippe mentem de statu suo deturbat, lumen eius extinguit, hominemque in brutorum sortem detrudit.

293 (17) Grauiissimum quoque peccatum in corpus perpetrant, qui lustrorum ac scortorum tenebris sese immergunt.

294 (18) Profundendo scilicet ac perdendo semen, quod corporis humani pars est longe praestantissima, nouae menti hospitium praebitura.

295 (19) Est igitur opera danda, ut excitandae ueneri lasciuiae omnia subtrahantur incitamenta, qualia sunt impudici aspectus, libri amatorii, picturae turpes, carmina erotica.

296 (20) Maxime detestandi sunt sermones et cantus obsceni, tanquam cupiditatis, in corde dominantis, indicia, honesti sodalitiū dedecora, mentisque tenerae offendicula.

297 (21) Imo, dixerim, omnis inertiae, stultitiae et infamiae quasi compendia.

298 (22) Cor enim immundum non ingreditur sapientia, nec Dei fauor exorari potest lingua, impuris dictis contaminata.

MEMBRUM III.

DE

I. N. CIRCA VITAM, IVSTE DEFENDAM.

I. *Modus.* II. *Fundamentum.* III. *Requisita.* IV. *Fauor.* V. *Limitatio.* VI. *Obiectiones.* VII. *Controuersiae.* VIII. *Scriptores.* IX. *Axiomata.*

Modus defensionis duplex est, uel incruentus, uel cruentus.

2 Incruentus, seu non nocens, est, quando alterum, nobis mala intentantem, sine ipsius laesione a nobis propulsamus. 3 Ita

3 Ita scilicet nos componendo, ut anceps, aut formidolosa, nostri inuasio aggressorem a proposito deterreat.

4 Cruentus, seu nocens, est, quando aduersus hominem, iniuste nos adorientem, cum ipsius laesione nos tuemur.

5 Nimirum, uel uulnera ipsi infligendo, uel, ubi alia sese expediendi ratio non suppetit, mortem inferendo.

6 Vterque defensionis modus naturaliter iustus cenferi debet.

7 II. *Fundamentum* uero iustitiae in ipsius aggressoris conditione pariter, ac uitae nostrae natura, positum est.

8 Vitam nostram Creatoris esse depositum, ex ipsius uoluntate omnibus modis solícite custodiendum, supra docuimus.

9 Vitae conseruandae necessitas iusta reddit media, sine quibus conseruatio fieri nequit.

10 In moralibus enim, qui uult finem, etiam media, ad finem pertinentia, uelle praesumitur.

11 Quoties itaque unicum et extremum uitae tuendae medium est uolenta sui defensio, haec omnino legitima putari debet.

12 Iniustus uero aggressor eo ipso, quod iniuste nos laedendi uitamque nostram petendi facultatem sibi arrogat, idem nobis in se ius concedere indicandus est.

13 Hoc enim aequalitatis postulat ratio, ut, quod quisque iuris in alium statuerit, in se quoque admittat, idque sibi fieri patiatur, quod aliis facere auit.

14 Neque socialitas cum eo seruari potest, qui prior socialitatem uiolat.

15 Quemadmodum frustra quis fidem ab eo expectat, cui fidem, a se datam, praestare recusat.

16 Accedit, quod metuendum sit, ne inuasor, qui semel tale quid in alterum sibi sumit, ulterius progrediatur, et plures, nisi eidem resistatur, interficiat.

17 Tantum igitur abest, ut talis offensör pro tranquillo societatis humanae membro haberi possit, ut contra noxius eiusdem perturbator cenferi debeat.

18 Quo quidem nomine non minus a nobis nostrisque est propulsandus, quam alia mala, quae nocitura uidentur.

19 In

19. In hunc etiam finem homini perinde, ac cæteris animantibus, naturalis sui amor (*instinctus*) inditus est.

20. Hunc sui amorem amoris, proximo debiti, normam Deus constituit, cum alium iuxta nos ipsos, non præ nobis, amare iussit.

21. Ordinata igitur charitas a se ipsa incipere debet, et potior censenda est salus nostra, quam aduersarii perniciēs.

22. Quin imo autochiria, saltem interpretatiuæ, argui meretur, qui neglecta sui defensione, citra causam se occidi, permittit.

23. Contra, defensor propriæ salutis in nullo peccat, et uim repellere ipsa naturæ lege licet l. 3. C. ad L. Cornel. de sicar. et l. 1. §. 27. ff. de ui. et ui. armat.

24. Etenim, quod quisque ob tutelam corporis fecerit, id iure fecisse existimatur l. 3. ff. de l. et l.

25. Et aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere l. 4. ff. ad L. Aquil.

26. Quin ipsis etiam animantibus brutis sese conseruare, et uitam cum aggressoris morte tueri datum est l. 1. §. ii. ff. si quadrup. pauper.

27. Neque læsus, sed lex, iniustum aggressorem occidere dicitur c. si homicidium §. cum homo. caus. 33. qu. 5.

28. Quippe libera resistendi facultas cunctis tribuitur, ita, ut aggressor mortem, quam minatur, excipiat, et id, quod alius intendit, ipse incurrat l. 1. C. quando lic. unic. fin. iud.

29. Quare ipsi etiam Apostoli, permittente Seruatore, gladios ad necessariam sui defensionem gestasse præsumuntur.

30. III. *Requisita* autem, ut defensio fiat iusta, et moderamen inculpatæ tutelæ, seu modus se uitamque suam sine culpa tuendi, uocari mereatur, sunt sequentia:

31. (1) Causa iusta, quæ nititur (2) iniusta aggressoris offensione.

32. Tali nimirum, quam inuasus, citra culpam suam, patitur, neque uerbis, neque factis mali quicquam promeritus.

33. Inculcata enim tutela est, quæ culpa uacat, et iniusta demum offensio iustam defendendi causam præbet.

34. Contra, qui rixando, laceßendo, aut uerberando, aduersarium trouocat, iustæ defensionis patrocinio excidit.

35. Adeoque maximum hic momentum habet consideratio prim-

principii, utpote quod, sicut in alia quacunque causa, ita in delictis attendi debet.

36 Nimirum valet hic Philosophorum regula: Causa causae est etiam causa causati.

37 Quicunque igitur primum fecit insultum, rei illicitae operam dando, ipse ad sui offensionem causam dedisse censetur.

38 Neque enim is incipere iudicatur, qui, prouocatus ad iram, aliquid fecit, sed ille princeps culpa habetur, à quo malitia incipit l. 4. C. de seru. fugit. et l. 20. C. de furt.

39 Ac proinde sibi imputare debet periculum, cui propria culpa caput suum obiecit l. 11. ff. ad l. Aquil. et l. 151. ff. de R. l.

40 Siquidem aequum est, ut autor rixae faber fortunae suae habeatur, adeoque, quos fecit compedes, faber ipse gestet.

41 Quinimo supplicium in eum, qui uim facere tentauerit, et alterutri parti causam malorum praeberit, exercere iubet Imperator l. 6. C. ad L. lul. de ui publ.

42 Quod etiam in praxi ita obseruari, ut tali casu homicidae capitalis infligatur poena, rerum criminalium scriptores passim testantur.

43 (3) Antegressa mediorum leniorum tentatione.

44 Cum enim dubius sit defensionis exitus, praestat tutiores defungendi uias experiri, quam ancipiti sese pugnae committere.

45 Proinde aditus aggressori intercludendus est, repraesentandum inuasionis periculum, iungenda monitis ac precibus interminatio.

46 Etiam fuga est capeffenda, si periculum ea declinari uitaeque praesidium obtineri potest.

47 Neque enim ignominiosa cuipiam uideri debet haec elabendi ratio, cum diuinis humanisque legibus nitatur.

48 Quæ sane plus ualere debent, quam hominum, stolide ambitionis, iudicia.

49 Quippe alia censeretur fuga timiditatis et socordiae, alia pietatis et prudentiae.

50 Ex praelio fugere, uel stationem; publica autoritate assignatam, relinquere dedecet, non imminenti a priuatis periculo se subducere.

O o

51 Quo

51 Quo quidem sensu accipienda sunt sancita in l. 3. §. 4. 5. et l. 6. §. 3. ff. de re milit.

52 Sin uero anceps uideatur fuga, non tergum inuasori praebere, sed uim opponere corpusque tueri fas est.

53 Non enim in pedum celeritate salutis praesidium semper est positum, sed in corporis animique firmitate.

54 Praesertim, ubi periculum subest, ne aduersarius, fuga audacior factus, fugientem insequatur, eumque, uel armis destitutum, uel cursu fessum, uel humi prostratum, transfodiat.

55 Quare distinguendum hoc casu est inter fugere uitae discrimen et effugere.

56 Quo Carolinae etiam constitutionis uerba respiciunt: Vnd der benöthigte kan tüglich nicht entweichen.

57 An uero periculum fuga euitari possit, nec ne, iudicandum est partim ex ratione loci, partim ex armorum qualitate, partim ex conditione personarum.

58 Scilicet in planitie campi non tam opportunum est asylum, quam circa dumeta, uel loca siluestria.

59 Qui bombarda, uel sclopo, ab altero petitur, is a tergo non minus, quam a fronte, in capitali uersatur periculo.

60 Longe difficilius est effugium claudo et infirmo, quam rectis incedenti pedibus, beneque ualenti.

61 (γ) Necessaria periculi propulsatione.

62 Quando scilicet uita in praesentissimo uersatur discrimine, nullumque aliud eam conseruandi medium suppetit, quam uiolenta aggressoris repulsio.

63 Tale periculum Grotio dicitur consistere in puncto, quale quidem in moralibus potissimum attendi debet.

64 In ea nimirum latitudine, quae ex natura rei ac personarum aliisque circumstantiis est aestimanda.

65 Quare nec primum excipere ictum, nec aggressorem, tardius molientem, e. g. sclopetum parantem, expectare quis debet.

66 Sufficit, si aggressor armatus, laedendi occidendique animum praese ferens, adsit l. 3. et 4. C. ad l. Cornel. de sicar.

67 Melius enim est occurrere in tempore, quam post exitum iudicare l. 1. C. quando lic. unic. fin. iud.

68 Quod

68 Quod Carolina etiam constitutio uult, ita pronuncians artic. 140: Ist auch mit seiner Gegenwehr, bis er geschlagen werde, zu warten nicht schuldig.

69 Solae autem minae, etiamsi grauissimae fuerint, citra animum, actu aliquo declaratum, non sufficiunt.

70 Nam facile quid interuenire potest, quo aduersarius ante noxam commotus, a nocendi proposito desistat.

71 (2) Modus iustus, qui complectitur (a) defensionem, in continenti adhibitam.

72 Nimirum in ipso offensionis actu, durante aggressione et periculo.

73 Cessante enim ui ac necessitate, necessariae etiam defensionis ius cessare, credendum est.

74 Id quod potissimum ratione iudicii, uel auxilii, a Magistratu ciuili praestandi, ualet.

75 Hactenus nimirum, ut, simul ac huius copia suppetit, uis defensionis iniusta cenferi debeat.

76 Ideo inculcata tutela dicitur actus, quo periculum uitae praefens, nec, nisi ui opposita, euitabile, in instanti, eoque tempore, quo iudicium, saltem ad momentum, cessat, propulsatur.

77 (3) Congruentem offensionis defensionem.

78 Ne scilicet maior uis adhibeatur, quam ad propulsandam alterius uim oportet.

79 Neque enim facere hic quicquam licet, quod uiolentae defensionis finis, praesentis nimirum periculi propulsatio, haud postulat.

80 Quare iniusta censenda est uulneratio, seu occisio, si leniori remedio aggressor repelli potest.

81 Cum enim hominis uita sit maximum Dei beneficium, eam citra causam, uel meritum, auferre, tanto grauius cenferi debet peccatum, quanto irreparabilior est eius iactura.

82 Et quid, quaeso, detestabilius esse potest, quam Dei officium usurpare, occidendo hominem, ad imaginem Dei creatum?

83 Quid atrocius, quam Rempublicam, cuius interest homines conseruari, hominibus priuare?

84 (γ) Occisionem, reluctante animo factam.

85 Haec enim, ut extremum duntaxat uitae tuendae medium, tentatis omnibus aliis, adhibenda est.

86 Adeoque a secundaria etiam intentione, non primaria, a defendendi necessitate, non ulciscendi ardore proficisci debet.

87 Proinde duo hic circa occisionem, ut inculpatae tutelae praefidii defendi possit, secernere iubent Doctores.

88 Alterum est actus, ad sui defensionem necessarius, unde securam aggressoris mortem inuasus praevideat.

89 Alterum vero est interfectio, tanquam medium, ad sui defensionem uitaeque conseruationem necessarium.

90 Prius, dicunt, intendere potest defensor, posterius non ita, h. e. defensio debet fieri cum intentione, occisio praeter intentionem.

91 Pari scilicet modo, ac medicus, morbum curaturus, talia interdum pharmaca adhibet, quibus debilitari aegrotum, nouit.

92 Non uero intendit debilitatem, ut recuperandae salutis medium, sed eam tantum permittit, ut actum, medicamentorum usum plerumque comitantem.

93 At dandum hic aliquid est animi perturbationi, quae accurate omnia perpendere non patitur, ut infra dicemus.

94 Et durum nimis foret, hominem, in extrema constitutum necessitate, ad eiusmodi obligare uelle Metaphysicam.

95 Adeoque nulla etiam est distinctio inter moderamen defensionis et moderamen inculpatae defensionis, a Salomonia, aliisque inuenta.

96 Ipsa enim uox moderaminis connotat inculpati quid, ex necessaria et inuitabili contra iniustum aggressorem defensione aestimandum.

97 Adiecta uero inculpatae tutelae notio non distinctiua est, sed expressiua.

98 Nullam igitur irregularitatem incurrit, qui, mortem aliter euitare non ualens, suum occidit, uel mutilat, inuasorem, cap. unic. de homicid. in Clementin.

99 (3) Tempus iustum, quod, ratione tum initii, tum finis, seu ter-

termini a quo, et termini ad quem, pro diuerſitate ſtatus naturalis et ciuilis, definiendum eſt.

100 Incipit nimirum deſenſio in ſtatu naturali, quando et facultas et uoluntas nocendi moraliter certa apparet, in ſtatu autem ciuili, cum ceſſante magiſtratus auxilio, actualis fit inuaſio.

101 Moralem hic certitudinem uocamus, quae in genere morum ad excuſationem ſufficit, ſeu iuſtam ui agendi cauſam praebet.

102 Quatenus nimirum aduerſarius efficacem nocendi uoluntatem eiſmodi ſignis exerit, ut eundem hoc nomine occupare liceat.

103 Adeoque, non creſcens quidem potentia, neque incerta malitiae ſuſpicio, hic attendenda eſt.

104 Attamen praeparatio, ad huius illiusue perſonae aggreſſionem adhiberi coepta.

105 Hac enim ſpota, facile euenire poteſt, ut inermis omnique nudus praefidio opprimatur.

106 Actualis autem inuaſio adeſſe dicitur, quando quis, compoſitis ad laedendum armis, alterum, anguſte concluſum, directe adori-
toritur.

107 Etiam ſi nullus dum ictus fuerit factus, utpote quem, ut ſupra diximus, nemo expectare, aut primus excipere, debet.

108 Definit autem deſenſio in ſtatu naturali, ubi, reparato damno, ſufficiens de ſecuritate, uel non amplius laedendo, cautio, ſiue uoluntaria, ſiue inuoluntaria, eſt data, in ſtatu autem ciuili, ſimul ac periculum eſt depulſum.

109 Voluntaria cautio eſt, quam aduerſarius, poenitentia ductus, ultro offert, facta damni reparatione, et data ſecuritatis fide.

110 Inuoluntaria eſt, quam aggreſſor, infractis demum uiribus, obiectisque ueluti repagulis, praefare cogitur.

111 Id quippe in naturali libertate ſedulo eſt curandum, ut hoſtis pertinax et infidus in eum detrudatur ſtatum, unde non facile, collecto ſpiritu, ad laceſſendum reſurgere poſſit.

112 At, ubi ciuile obtinet imperium, ibi huius auxilio et damni uindicta, et futurae ſecuritatis aſſertio eſt quaerenda.

113 Competit enim uindicta magiſtrato, quem cuſtodem iuſtitiae (Φύλακα τῆ δίκης) et iuſtitiam uiuam (δικαίον ἔμψυχον) nominat Stagirita.

114 Id circo iudiciorum uigor, iurisque publici tutela uidetur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere ualeat ultionem, l. 14. C. de iud. et coelic.

115 IV. *Favor* defensionis in hoc potissimum consistit (a) Quod aduersus errantem quoque et furiosum liceat.

116 Equidem talis inuasor proaeresi caret, cum consentire non uideatur, qui erret, et furiosi nulla sit uoluntas, l. 116. §. 2. ff. de R. l. et l. 40. ff. eod.

117 Adeoque actus, per errorem gestus, erranti non debeat nocere, et delictum ex uoluntate et proposito sit iudicandum.

118 At uero prius ualet circa actum licitum, aut honestum, non illicitum, aut inhonestum, utpote cui error superueniens nullum parere potest patrocinium.

119 Ipsa enim inuasio, aut occisio, legibus aduersatur, et propositum in genere laedendi actum reddit illicitum.

120 Posterius autem excusationem praebet inuadenti, ratione poenae, non uero interuertit ius inuasi, respectu defensionis.

121 Quae quidem defensio si aliter, quam aggressoris morte, fieri nequeat, haec iniusta censeretur non debet.

122 Nisi potior habenda sit conditio inuadentis, quam inuasi, aut maior in hoc necessitas ad subeundam, quam inferendam mortem.

123 (β) Quod adeo stricte secundum omnes circumstantias haud examinetur.

124 Ratio nimirum habetur iusti doloris, quem temperare difficillimum est, l. 38. §. 8. ff. ad l. iul. de adulter.

125 Vnde et inconsultus dolor appellatur ab Imperatore l. 4. C. eod.

126 Ideo scilicet, quod, quamuis ex iusta dolendi causa oriatur, rectae tamen Rationis moderamen in tanta, quae interuenit, animi perturbatione non consulat.

127 Quo facile fieri potest, ut defensor iustae mali repulsionis terminos, nec sciens, nec uolens, excedat.

128 Proinde metus, quo hominem, in uitae periculo constitutum, angi, credendum est, ignorantiam in se habere dicitur, l. 14. §. 3. ff. quod met. caus.

129 (γ) Quod membri etiam seruandi causa adhiberi possit.

130 Cum

130 Cum enim incertus sit inuasionis ac laesionis exitus, singulae etiam corporis partes defendi debent.

131 Et quamuis, membro aliquo laeso, aut abscisso, non statim amittatur uita, totumue corpus pereat.

132 Membrorum tamen integritas tanto magis est curanda, quanto minus uel unius iactura reparari potest.

133 Saltem sufficit, quod aduersario, uim inferenti, uim opponere naturalis praecipiat ratio.

134 Adeoque inutilis mereque speculatiua eorum est Philosophia, qui, an vitae periculum subsit, nec ne, considerare hic iubent.

135 Quis enim tam diuina foret sagacitate, ne dicam Stoica constantia, ut discernere hoc ualeret, aut ante perspicere?

136 V. *Limitatur* autem defensio (1) ratione certarum personarum, aduersus quas defensio cruenta minus licita uidetur.

137 Sunt tales praecipue imperantes, quos et sanctos, et saluos manere, reipublicae interest.

138 Neque enim, iniusta perpetrando, ciuemque innocentem laedendo, maiestatem, diuinitus concessam, amittunt.

139 Quae maiestas uti summa est et inuiolabilis, sic nullam quoque uiolentiam a subditis perferre posse iudicanda est.

140 Praesertim cum ciuitas longe grauius accipiat damnum ex morte principis, quam ex occisione ciuis.

141 Quod bene perpendisse uidetur Comes Taurellus, quem Alexandro Farnesio, Parmensis Principis filio, noctu secum pugnantem, et ad facem praetereuntis agnito, abiectis armis, pepercisse, scribit Famianus Strada.

142 Itaque suo unius bono et Regis sacro sancti uitam, et multorum salutem, inde dependentem, praeferre, pietas iubet ac charitas.

143 Quanquam hoc nonnulli cum Becmanno obsequii et amoris exsuperantiam uocare malunt.

144 Alii uero, contrariam cum Vasquo sententiam amplexi, id legi naturali aduersum pronunciant.

145 Ideo scilicet, quod defensio sit Iuris Naturalis, quo omnes homines censentur aequales, quodque adeo nullam hic dignitatis, aut subiectionis, rationem habere iubeat.

146 Ma-

146 Maxime cum Princeps, in fontem aggrediendo, latronis personam induat, uimque iniustam faciendo, ui iusta repelli mereatur.

147 Quo etiam nomine ne Papa quidem, nedum Cardinalis, Abbas, Sacerdos, aut Religiosus, inuiolabilitatis priuilegio fruatur.

148 Quid? quod parentibus, moderatam castigationem in saeuitiam conuertentibus, liberi possint resistere, mortemque intentantibus uim mortiferam opponere.

149 Cum patria potestas in pietate, non atrocitate, consistat, et pater, paternam exuens humanitatem, latroni, quam patri, similior euadat. l. 8. ff. ad l. Pompei. de parricid.

150 Eoque ipso abiiciat personam, cui singularem pietatem, obedientiam ac reuerentiam liberi debeant, l. 2. ff. de Let. l. 1. 3. et l. 5. C. de patr. potest.

151 At enim uero, quam speciosa haec omnia uideantur, nos tamen à Grotii aliorumque, melius sentientium, partibus abducere non ualent.

152 Dispar omnino est habenda Principis et subditi conditio, anteferenda salus publica priuatae, aequitas à rigore iuris discernenda, nec confundendum I. N. hypotheticum cum absoluto.

153 (2) Ratione bonorum, quae tanti non sunt habenda, ut propter ea hominem occidere liceat.

154 Equidem pecunia et bona (locutione Ebraea) alter hominis sanguis et ipsa hominis uita uocantur, gloss. in l. 14. C. de aduocat. diuersi iudicior. et l. 7. C. de oper. libert.

155 Quinimo pecuniae appellatione omnia contineri, dicit Imperator in l. penult. §. 1. in fin. C. de constitut. pecun.

156 Quia scilicet opibus, uel nummis, honor, uita, status, dignitas et familia conseruari, omniaque parari possunt.

157 Vnde pecunia etiam rerum gerendarum neruus, futurae necessitatis fideiussor, eminens rerum cunctarum pretium, ac communis ueluti mensura uocari solet.

158 Verum hinc minime sequitur, bona debere aequi parari uitae, eandemque bonorum esse defensionem, ac uitae.

159 Etenim nulla est proportio inter res et hominem eiusque uitam l. 2. ff. de stat. hom. et l. 44. pr. ff. de Aedil. edict.

160 Po-

160 Potius uita humana omnibus praestat rebus, omnemque aestimationem excedit L. 21. fin. C. de S. S. Eccles.

161 Neque adeo raptor bonorum interfici potest, nisi, uiolentis instructus armis, mortem simul intentare deprehendatur.

162 Quare considerandum omnino est, an simplex sit bonorum aggressio, an mixta, seu cum discrimine uitae coniuncta.

163 Non ob nudam rerum defensionem, ut Doctores quidam uolunt, fur diuinus est occidendus, sed ob uitae periculum, si telo se defendat, ut dicitur L. 4. ff. ad L. Aquil.

164 Et talis quidem est causa, cur furem nocturnum occidere, etiam expressis Ebraeorum, Romanorum aliorumque populorum institutis, liceat.

165 Cum enim nocturno tempore discerni nequeat, an furandi, an occidendi causa, uenerit, animus occidendi contra ipsum praesumitur, siue telo se defendat, siue non.

166 Proinde furem nocturnum, si ei occisor sine periculo suo parcere non potuit, impune occidi, pronunciat Vlpianus l. 9. ff. ad L. Corn. de sicar.

167 Quamquam Iuris Civilis Doctores hic requirere soleant, ut talis occisio fiat, tum propter defensionem sui, tum in persona incognita, quam capere non licuit, tum aliquo cum clamore.

168 (3) Ratione famae, aut existimationis, cuius defensio cum alterius caede fieri nequit.

169 Quamuis enim honor, seu fama, uitae aequiparetur, eiusque amissio oculorum amissione grauior habeatur L. 9. ff. de manum. uindict. l. 7. §. 1. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. et l. 8. C. de Decurion.

170 Adeoque crudelis, aut iniurius in semet ipsum censeatur ille, qui, conscientiae confidens, famam negligat c. non sunt audiendi u. qu. 3. et c. nolo 12. qu. 1.

171 Haec tamen comparatio non propria est, sed impropria, uel intensiua, cum diuersa subsit ratio, l. 38. §. 9. ff. ad L. Iul. de adulter.

172 Itaque tanti non est fama, ut humanae etiam uitae iactura, omnium grauissima redimi mereatur.

173 Est quippe bonum extremum, quod aliis mediis conseruari, et, ubi detrimenti quicquam accepit, reparari potest.

174 Vt taceam, honori damnum, stricte et proprie acceptum, uerbis contumeliosis non magis inferri posse, quam eidem laudibus alienis incrementi quicquam accedit.

175 Quamobrem frustra sunt, qui, defendendi honoris causa, hominem occidere, etiam in foro conscientiae, licitum pronunciant, cum Antonio Diana aliisque scholiasticis; quos adducit Rachelius in exam. probabil. Iesuit.

176 Et impium perinde, ac stolidum est, asserere, tam ignominiosam esse alapam, ut, siue impacta sit, siue impingenda, non, nisi sanguine, uindictari debeat.

177 Hocque nomine merito a saniore Iuris prudentia damnatur uulgaris Germanorum sententia: Vfeine Maulschelle gehöret ein Dolch.

178. Quanquam laxiorem in statu naturali, quam ciuili, defensionem honoris esse, non negemus.

179 Nec iniquum putamus, hic passiter iustum attendere dolorem, et humanae quicquam infirmitati concedere.

180 Hinc etiam est, quod adulteri, uel adulterae, caedes ueniam, Gentium moribus introductam, saltem in foro externo, inueniat.

181 (4) Ratione pudicitiae, cui seruandae, uel tuendae, hominem immolare, nefas pariter est.

182 Fatemur quidem, uirginitatem ac pudicitiam maximum esse bonum, sexusque foeminei ornamentum, cuius iactura plurimum mali post se trahat.

183 Eaque de causa grauem omnino culpam admittunt, qui stupro uiolento pudicae corpus foeminae polluere audent.

184 Et castae uirginis cingulum soluere tam inhonestum habetur, quam epistolae uinculum laxare, cum uirgo aequae, atque epistola Comico dicatur signata, h. e. clausae et custoditae uirginitatis.

185 At dignitas pudicitiae et aestimatio tanta neutiquam est, ut inuasoris morte defendi debeat.

186 Si enim nullius existimationis causa hominem occidere fas est, quo iure pro tali honoris specie, qualis est pudicitia, caedes liceret?

187 An ulla est comparatio inter iacturam pudicitiae, in nuda alienae

enae commixtionis negatione positae, et iacturam uitae, omnium bonorum occasionem complexae?

188 Nonne interna animi castitas externum corporis uitium superare potest, aut, uiolato corpore, mens manere illaesa?

189 Vtrum, quaeſo, grauius est, uim, corpori illatam, reluctantē animo, pati, an hominem, illicito amore peccantem, occidere?

190 Certe, rem acuratius examinans, uix ullam inueniet causam, cur foemina uiolatorem potius occidere debeat, quam uiolentiam sustinere.

191 Quod uero obiicitur, irreparabile inde et corpori, et famae, et fortunae, damnum inferri, id caedis humanae grauitatem minime attingit.

192 Praesertim si talismodi damnum non uulgi opinione, sed rei ueritate metiamur.

193 Neque iis plane assentiri possumus, qui, animum uoluptate, compressionem naturaliter comitante, in consentiendi peccandi-que periculum adduci posse, disputant.

194 Praeterquam enim, quod ab impio uoluptatis sensu piis suspiriis sibi temperare non impossibile sit, naturalem hanc facultatis sentientis, siue titillationem, siue consensionem, in casu hoc uiolento neque ab ipso Deo attendi, constat ex Deut. XXII. 23.

195 Quod quidem nemo inficiari potest, nisi, et martyres olim uirgines, a carnifice stupratas, scelerata euasisse scorta, asserere ausit.

196 Ciuiles denique leges, quae uulgo hic afferri solent, non omni stupratoris occisioni patrocinantur, sed externam duntaxat poenam, hoc nomine meritam, mitigant.

197 Adeoque magis de uenia caedis, ex iusto dolore factae, quam de licentia faciendae intelligi debent.

198 Tales sunt e. g. l. I. §. 4. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. 8. §. 7. ff. quod met. caus. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. conf. Kornmann. de uirgin. stat. ac iur.

199 Ex dictis etiam colligi potest, quid de iis iudicandum sit foeminis, quae sibi ipsis potius uiolentiam inferre mortem statuunt, quam alienam subire uiolentiam.

200 Scilicet detestandum autochiriae crimen incurrunt, dum-

que corpus immaculatum seruare student, animum turpiter foedant.

201 VL. *Obiectiones*, quae contra defensionem cruentam, cum inuasoris caede coniunctam, afferri solent, potissimum sunt sequentes:

202 (1) Quod genus humanum parem faciat iacturam, siue aggressor pereat, siue defensor.

203 Reponi autem hic potest, quo nexu inde sequatur, ut defensori potius, quam aggressori sit pereundum?

204 Annon melior est causa inuasi, quam inuadentis, et, nisi grauissimae obstant causae, maior necessitas propriam seruandi salutem, quam alienam?

205 (2) Quod uiolenta sui defensio socialitatis studio repugnet.

206 At respondemus, ordinatum sui amorem socialitari esse anreferendum, et, imminente periculo, suum potius, quam aliorum, caput seruandum.

207 Maxime cum ipse aggressor socialitatem prior abrumpat, et sua se malitia in malum coniciat.

208 (3) Quod maiorem in societate tumultum aggressoris, quam defensoris, caedes excitet.

209 Verum, praeterquam quod incertum hoc sit ualdeque dubium, defensionis iustitiae nihil detrahit.

210 Potius omnino manet ius innocenti, quam delinquentis, et huic, non illi, imputandum est, quicquid turbulenti accidere possit.

211 (4) Quod conatus occidendi ipsa occasione puniri haud debeat.

212 At facili hic suppetit responsio, cum nulla, nec poena, nec uindicta, hic obtineat, sed necessaria sui defensio.

213 Adeoque a malis poenulis ad mala bellica non ualet argumentatio, siquidem illa in punientis sunt potestate, haec autem temeraria aggressoris uoluntate accersantur.

214 (5) Quod inter perniciem temporalem inuasi et aeternam inuasoris nulla sit proportio.

215 Ecquis uero spondere potest, et inuasorem, si ei parcat, aeternae potiturum esse salutis, et inuasum, si frustra se occidi patiatur, alterius uitae felicitatem consecuturum.

216 An

216 Annon potius dicendum est, utriusque, defensoris et aggressoris, salutem hoc casu dubiam admodum fore, atque incertam?

217 Huius quidem, quoniam indulta ad resipiscendum mora abuti, eamque continuandae potius augendaeque malitiae, quam poenitentiae agenda, impendere possit.

218 Illius autem, si forte mediis ad salutem necessariis non sit instructus, aut, debitam sui defensionem negligendo, gratia Dei excidat.

219 (6) Quod Scriptura Sacra a malo rependendo abstinere, mortemque pro altero oppetere iubeat.

220 Enim uero eorum, quae adduci hic solent, locorum ineptam prorsus interpretationem (*ψευδὴς ἐρμηνεία*) fieri, dicendum est.

221 Quippe, ad uitam extendi nequit, quod Seruator de iniuria patienter ferenda docet Matth. V. 39.

222 Nec, nisi obtinendae salutis aeternae causa, uitam pro fratribus ponere iubemur i. loh. III. 16.

223 Nec audiendus est Müllerus, praestantissimus caeteroquin Theologus, qui unicuique inuaso, dummodo in statu gratiae se constitutum esse sentiat, mortis perpeffionem potius, quam aggressoris, aeternam damnationem subiri, occisionem suadere conatur.

224 Quanquam disquisitio talis ideo superuacanea uideatur, quod uix quisquam, imminente uitae discrimine, stupefactus, uel suam, uel inuasoris, conditionem perpendere ualeat.

225 Ac proinde ad pias potius meditationes, quam consilia practica referri potest, quicquid peculiari de hoc argumento commentatione tradit Roetenbeccius.

226 Vt taceam, quam parum Ratio sibi relicta, qualem Iuris Naturalis disciplina admittit, de salute aeterna eamque obtinendi mediis assequi ualeat.

227 VII. *Controversiae*, hic attingendae, sunt: (1) An defensio praeepta, an tantum licita, censerī debeat?

228 Quandoquidem Lex Naturae uitam omni studio seruare, mortemque et directe, et indirecte, uitare iubet, defensio etiam, ut uitae custodiendae medium, nobis praeepta uidetur, secus, atque alii cum Zieglero statuunt.

229 (2) An paritas armorum ad iustam defensionem pertineat?

230 Vt defensionis iustitia sine potissimum, causa, et modo meti-
tienda est, sic arma etiam ex laedendi aptitudine magis, quam ex
materiae, aut formae, similitudine, aestimari oportet.

231 (3) An defensio etiam latronibus, bannitis, desertoribus,
transfugis, aliisque huius generis hominibus competat?

232 Cum homines tales iustam incurrant offensionem, iniusta ha-
beri debet eorum defensio, quamvis naturali vitae amori, cunctis
animantibus communi, aliquid indulgendum uideatur.

233 (4) An mediatorem, iustae defensionis obfistentem, occidere
liceat?

234 Nos, caute hic procedendum esse, putamus, ut talis occisio
non, nisi facta prius dehortatione, et extremo urgente periculo,
fiat, ob bonam, quae praesumitur, intentionem.

235 (5) An puerpera foetus occisione vitae periculum auertere
possit?

236 Sic quidem multi Pontificiorum, cum Magistris quibusdam
Ebraeis facientes, statuunt, rectius autem incertum hoc impium
que vitae conseruandae medium a uiris cordatioribus damnatur.

237 (6) An iustae defensionis probatio defensori incumbat?

238 Ita, non aliter, iudicandum est, quoniam caedes ad facta pro-
hibita pertinet, adeoque contra occisorem tamdiu ualet praesum-
tio, donec per testes, iuramentum, aut alia subsidia iniustam pro-
bet aggressionem iustamque defensionem.

239 VIII. *Scriptorum*, huc spectantium, alii generatim de defensi-
one tractarunt, ut (1) Struuius (2) Müllerus (3) Ledererus (4) Dürri-
us (5) Obrechtus (6) Matthiae (7) Eichelius (8) Ayerus (9) Schroe-
terus (10) Labio (11) Grossenius (12) Volschovius (13) Stuckius (14)
Caesar (15) Pfeifferus (16) Krembergius (17) Rebhunsius etc.

240 Alii speciatim de tutela aduersus Principem, parentem, aut
stupratorem egerunt, uti (1) Olearius (2) Falcknerus (3) Wunder-
lich.

241 IX. *Axiomata*, sunt: (1) Est sane naturalis hic ferarum perin-
de, atque hominum, instinctus, ut omnem semper uim, quacunque
ope possint, a corpore, a capite, a uita sua propulsent.

242 (2) Est

242 (2) Est Naturae lex illa, quae in omnibus ualet, ut, uelint uiuere, idque ipsum est, quapropter eos, qui uitam manifeste nos uolunt spoliare, hostes censeamus, ut scribit Iosephus.

243 (3) Quapropter sui defensio unicuique, nisi grauissimae obstitent causae, conuenire censenda est.

244 (4) Dummodo ea, quae proposuimus, requisita adsint, et iusta praecipue causa defensori faueat.

245 (5) Neque enim ad alterum ui subigendum incertus cuiuspiam metus sufficere debet.

246 (6) Aduersus hunc quippe a diuina providentia et cautione innoxia, non uiolenta occupatione, praesidium est petendum.

247 (7) Nec temerario statim ausu uis laedenti est opponenda, aut leuis quaeque iniuria humano sanguine uindicanda.

248 (8) Honor est opinio de praestantia alterius et excellentia, in uirtute potissimum animique bonitate posita.

249 (9) Tantum igitur abest, ut iniuriae patiens honorem perdat, utpotius eum augeat maxime, et conseruet.

250 (10) Non exigua enim uirtus est, in perferendo malo, aequum seruare animum, et cedendo potius, quam resistendo, uincere.

251 (11) Quare summi etiam principes gloriosum duxerunt, dissimulare iniurias, cum animaduerti deberent, eisdemque remittere, ubi uindicari possent.

SECTIO III.

DE

I. N. HABITO RESPECTU IUXTA NOS.

Iuxta nos sunt alii homines, considerati in statu naturali, partim absoluto, partim hypothetico.

MEMBRUM I.

DE

I. N. CIRCA HOMINES, IN STATU NATURALI ABSOLUTO CONSIDERATOS.

I. Praerequisitum. II. Officium negatiuum. III. Officium positium. IV. Fundamentum bonum officiorum. V. Opposita eorum. VI. Scriptores. VII. Axiomata.

1. Prae-

I.

Praequiritur hic cognitio status, cum huius diuersitas diuersa etiam circa homines officia inducat.

2 Sumitur autem uox status in duplici potissimum sensu, physico, seu naturali, et Ethico, seu morali.

3 In sensu naturali, denotat modum essendi, seu dispositionem, uel habitum alicuius rei naturalem ac specialem, respectu operationum mere naturalium, e. g. status sanitatis, cui opponitur status morbi, tanquam praeternaturalis.

4 In sensu morali significat conditionem hominis, ratione morum, seu actionum, ad leges relatarum, considerati, quatenus nimirum certas actiones ad certam normam, seu legem conformare debet.

5 Differentia igitur utriusque status in hoc consistit, quod ibi qualitates mere naturales, notentur, hic uero actiones morales, ex certo legis praescripto instituendae.

6 Conuenientia uero eo nititur, quod uterque sit ueluti, eris quoddam suppositiuum, seu spatium, in quo homines stare, seu existere, ita, uel aliter se habere, certoque modo, ex praescripto legis, operari, uel agere debent.

7 Acceptio moralis huius est loci, sicque definiri potest status in genere per certam conditionem, seu uitae rationem, in qua homines constituti certas actiones ex certo praescripto obeunt, et certa simul ac peculiaria fere iura percipiunt.

8 Communissima status diuisio, eaque nobis etiam hic placita, est in statum naturalem et civilem, quem alii legalem dicunt, facta a potiori, posituius nimirum legibus, denominatione.

9 Status naturalis est conditio hominum, extra Rempublicam consideratorum, quatenus scilicet nulli imperio civili sunt subiecti, sed sola lege naturali obstricti.

10 Status civilis est conditio hominum, intra Rempublicam spectatorum, prout nimirum certae ciuitatis membra existunt, hocque nomine certis etiam institutis ac legibus in Ciuitate receptis tenentur.

u Prior hodie summorum tantum est Imperantium ac liberarum gen.

gentium, habito ad se inuicem respectu, consideratarum, posterior hominum caeterorum omnium, sub imperio ciuili coniunctorum.

12 Tales igitur homines in naturali quidem statu ordinarie et uniuersaliter non existunt, in eo tamen per fictionem quandam, aut abstractionem, concipi possunt ac debent.

13 Ideo scilicet, ut et officiorum, ab hominibus praestandorum, diuersitas, et ciuitatum, inter homines introductarum, origo distincte explicari possit.

14 Status naturalis uariae extant subdiuisiones, quarum praecipuas habet Pufendorfius.

15 Nos, missis illis, quarum exiguus admodum usus in disciplina nostra uidetur, eam tantummodo notabimus, qua dicitur esse uel absolutus, uel hypotheticus.

16 Absolutus est, quo homo absolute, secundum humanam, eamque omnibus communem, naturam et essentiam spectatur.

17 Hypotheticus est, quo homo conditionate, respectu certae conditionis, aut relationis accedentis, seu instituti, aut facti, extra Rempublicam locum habentis, consideratur.

18 In illo praestari debent actiones communes, aut generales, absoluta quadam necessitate, pro communi obligatione, solius humanitatis nomine requisitae.

19 In hoc obeundae sunt actiones peculiare, aut speciales, respectu quadam necessitate, pro peculiari obligatione, certae nimirum conditionis, conuentionis, aut relationis, causa, ex eadem Dei uoluntate debitae.

20 Quae posteriores quidem actiones quales sint, quoque modo praestari debeant, Membro sequenti docebimus, priores uero duobus potissimum officiis, altero negatiuo, altero positiuo, hic exponemus.

21 II. *Officium negatiuum* in omissione laesionis consistit, adeoque iuris naturalis praeceptum de nemine laedendo complectitur.

22 Est autem laesio, aliis maleficium dicta, actus, quo alteri quicquam aufertur, quod quocunque legitimo titulo ipsius est, siue per naturam, siue per institutum.

23 Obiectum igitur laesionis sunt omnia, quae homini obtingere possunt, bona, tum animi, tum corporis, tum fortunae.

24 Et quidem, (1) ratione animi, alterum quis laedere potest (a) peruersa dogmata, siue ore, siue scripto, suggerendo.

25 His enim animus a uero et recto, quo imbui ac perfici debebat, ad falsum ac prauum abducitur, noxiisque adeo erroribus ac uitiiis corrumpitur.

26 Vnde, quo maiora simul in societatem humanam damna inde redundant, eo grauior etiam talis laesio censi debet.

27 Hocque nomine prauos doctores ac scriptores etiam post mortem grauius peccare, ex Schelguigio supra notauimus.

28 (3) Peccandi occasionem tum directe, tum indirecte, aperiendo.

29 Directe scilicet, quando quis alterum, uel, pacta mercede, ad facinus aliquod conducit, uel ad praua sodalitia, puta scortorum, lusorum, uel bibonum, abripit.

30 Indirecte autem, quando quis alienis ab officio suo actionibus moribusque improbis malum exemplum sistit.

31 Quae quidem offensio sigillatim scandalum uocari solet, translata hac Graecae originis uoce a naturalibus ac corporalibus ad moralia ac spiritualia, cum proprie obstaculum, seu lapsus occasionem (*преступление*) denotet.

32 Quo sensu etiam describi solet per dictum, uel factum, minus rectum, aliis occasionem ruinae praebens.

33 Plenius dicitur repraesentatio operis mali, quo alter uel ad malum excitari, aut in eo confirmari, uel circa bonum impediri potest.

34 Scriptura sacra hoc uocat peccatum inducere super alios, facere, ut quis impingat, e. s.

35 Discrimen eius a peccato in hoc consistit, quod peccatum peccantem solum, scandalum uero proximum simul attingat.

36 Quapropter solitario etiam peccato grauius censi solet, cum non unum, sed duos, uel plures, malo implicet.

37 Hocque nomine animae dicitur occisio, perditio fratris etc.

38 Datur autem tam omittendo bonum, quod fieri debebat, quam admittendo malum, quod fieri non debebat.

39 Nec ipsum modo peccatum, re uera tale, sed malae etiam actionis species peccandi occasio fieri potest.

40 Quare

40 Quare hanc etiam prouida cura euitari, et actioem talem omitteri potius, quam scandalum dari, oportet.

41 Scandalis enim ac periculis, quantum fieri potest, uia est praeccludenda. Clem. abusioibus 2. in pr. de poenit. et remiss.

42 Et, euitandi mali exempli causa, multa, quae alias licita haberi possint, illicita fieri, Dd. passim disputant.

43 Id quod ii potissimum animaduertere debent, qui, eminentiore constituti loco, summisue praepositi muneribus, plurimorum oculis conspiciuntur.

44 Tales quippe, tum bonis, tum malis, moribus ansam praebere possunt, prout uel bonam, uel malam, uiuendi rationem tenent.

45 Quae tamen omnia de scandalo dato sunt intelligenda, non de accepto.

46 Nimirum duplex est scandalum, datum, seu actiuum, et acceptum, seu passiuum.

47 Illud, ut supra diximus, est dictum, uel factum externum, ita comparatum, ut alteri occasionem peccandi dare, hocque nomine omitti possit.

48 Hoc uero est dictum et factum omnino honestum, quod quidem ab altero in scandalum arripitur, ideo tamen, salua conscientia, omitti haud debet.

49 Differunt igitur potissimum ratione obiecti et principii, quod prius circa rem, non absolute necessariam, ex agentis culpa proueniat, posterius autem circa rem necessariam solius accipientis culpa nascatur.

50 Scandalum acceptum diuersi pariter est generis, aliud improborum, quod a mera malitia dependet, aliud infirmorum, quod ab incertitudine, fluctuatione, aut debilitate animi proficiscitur.

51 Prius scandalum dicitur esse simplex, posterius autem mixtum, siue ab utroque, dato et accepto, aliquid habens, quoniam et facientis, et accipientis, culpam quandam complectitur.

52 Facientis quidem, quatenus hic circa rem indifferentem non satis prudenter, aut charitati conuenienter, agit, accipientis uero, prout hic plus doctrinae ac roboris habere poterat ac debebat.

53 Ideo pia omnino circumspeditione opus est, ne, dum, firmis instructi praesidiis, pro libertate concessa, agimus, infirmiori poenam offendiculum.

54 At malorum nequitiae hominum id minime est dandum, ut honesti quicquam omittatur, ne peccandi occasionem inde arripiant.

55 Nam propter scandalum euitandum ueritas non est omittenda, nec debet illud impedire bonum faciendum, c. 3. extr. de R. l. et c. nisi 10. qu. 3.

56 (2) Ratione corporis, (a) uerbera, uulnera, stigmata, aut caedem infligendo.

57 His enim grauis omnino laesio fieri potest, quae iure naturae tanto detestabilior iudicari debet, quanto immerentior est ille, qui eam patitur.

58 Praesertim cum caesio, uulneratio accompunctio non dolorem modo corporisque deformitatem afferat, sed ingenui etiam hominis famam uolet atque inquinet.

59 Sigillatim cicatricibus aliquem deformare, aut faciem figura notare, turpissimum censi debet.

60 Quapropter nec dominis in seruos tale quid apud Romanos licebat l. 17. C. de poen.

61 Quippe ad coelestis imaginem pulchritudinis homo proxime accedit, hocque nomine dignissima omnino creatura aestimatur, gl. in l. 44. ff. de Aedil. edict.

62 Ac proinde occisio hominis delictum omnium grauissimum atrocissimumque merito pronunciatur.

63 Accipimus autem homicidium in sensu proprio et famoso, quo illegitimam et uoluntariam caedem designat.

64 Nam, pro circumstantiarum uarietate, uarium etiam dari homicidium, recte Doctores observant.

65 Scilicet, ratione subiecti ac finis, uel legitimum est, uel illegitimum, ratione formae, uel uoluntarium, uel inuoluntarium, ratione effectus, uel attentatum, uel consummatum.

66 Legitimum est, quod uel persona publica, seu Magistratus, loco poenae, ex officio, tuendae securitatis publicae causa, mandat,

dat, uel persona priuata in extrema necessitate, ad propullandam
nim iniustam seruandamque uitam, facere cogitur.

67 Quod quidem homicidium aliis necessarium, aut defensivo-
nale, dicitur, melius tamen occisio hominis, quam homicidium,
uocari potest.

68 Illegitimum, adeoque in proprio acceptum sensu, homici-
dium est, quod contra praescriptum legis fit.

69 Voluntarium, seu deliberatum, quod malo proposito, seu do-
lo, committitur, unde et dolosum uulgo dicitur.

70 Hoc quatuor potissimum modis fieri, ait Guilielmus Groti-
us, (1) manifeste, (2) occulte, uel ex insidiis, (3) proditione, (4) per
assassinium.

71 Inuoluntarium, seu casuale, dicitur, quod citra animum occi-
dendi committitur.

72 Ita scilicet, ut uel citra culpam forte fortuna, uel per aliquam
culpam quis occidatur.

73 Prius dicitur homicidium mere casuale, seu simplex, posteri-
us culposum.

74 Attentatum, seu quasi homicidium, est, quod, morte naturali
non subsecuta, effectum destituitur.

75 Quod tamen, ubi conatus in actum externum influxerit, seu
prope ab inferenda caede abfuerit, humana etiam poena dignum
iudicari debet.

76 Siquidem in delictis animus et uoluntas spectatur, non exi-
tus, et hominum actus non euentu, sed consilio, sunt metiendi. l. 14.
ff. ad l. Corn. de sicar. l. 2. §. 3. ff. de minor. et l. 79. ff. de R. I.

77 Consummatum, seu uerum homicidium consistit in tali uio-
lencia, homini facta, unde mors, seu animae et corporis dissolutio,
euenit.

78 Et haec demum corporis humani est laesio, quam grauissi-
mam omnium merito diximus.

79 Adeoque seuera etiam poena, siue immediate, siue mediate, siue
directe, siue indirecte, committatur, ubi uis gentium, nullo respectu
personae habito, uindicari, rerum criminalium scriptores tradunt.

80 Idque iuri naturali conuenienter, utpote quod tam iniustam

creaturae praestantissimae destructionem, iuris diuini usurpationem, humanaeque societatis perturbationem impune fieri, non permittit.

81 Quippe interest Reipublicae, ne delicta maneant impunita, utque malis hominibus provincia quaeuis careat, l. 18. §. 1. ff. de iudic. et l. 13. ff. de offic. praesid.

82 (3) Virginitatem, aut pudicitiam, uiolando.

83 In hac enim praestantissimum corporis bonum sexusque muliebris ornamentum consistere, supra docuimus.

84 Proinde naturali etiam iure eiusdem laesio prohibita conferi debet.

85 Quo quidem nomine omnis generis stupra et aduheria uiolenta ueniunt.

86 Quanta uero eorum sit atrocitas, uel seuera indicat poena, legibus in eadem statuta, ultimum scilicet supplicium, l. 1. §. 2. ff. de extraord. crimin. et artic. 119. ordin. crimin. Carol.

87 Sigillatim hic notari debet uiolenta illa foeminae abductio, fatiandae libidinis ergo facta, quae raptus uocari solet.

88 Haec enim tanto sceleratior indicari debet, quanto maiorem et malitiam, et iniuriam, complectitur.

89 Quapropter, grauis etiam animaduersio in raptores passim occurrit, uti l. unic. C. de raptu uirgin. Nou. 143. et 150. c. raptores 36. qu. 2.

90 (3) Ratione fortunae, (a) existimationem, seu famam, offendendo, uel lacerando.

91 Dicitur haec laesio κατ' ἐξοχήν, uel speciali nomine iniuria, pro actu contumelioso accepta.

92 Et quidem pro tali, qui factis perinde, atque uerbis, uel scriptis, uel ore prolatis, fit, indeque realis, literalis et uerbalis iniuria dici solet.

93 Iniuria uerbalis, ex Scholasticorum quidem doctorum sententia, quinque complectitur species, contumeliam, detractionem, suffurum, irrisionem, et maledictionem.

94 Contumelia dicitur, quando contra alterius honorem maligno animo aliquid profertur.

95 De-

95 Detractio, quando probrosum quod apiam alicui obicitur, e.g. quod aeris alieni nomine carcere fuerit inclusus.

96 Sufurrus, quando sermones iniqui, ad dissoluendam potissimum amicitiam, insinuantur.

97 Irrisio, quando uerbis pungentibus, aut facetiis asperioribus, pudor alicui suffunditur.

98 Maledictio, quando quis alteri immerenti malum imprecatur.

99 Sed multa hic moneri possent, maxime circa contumeli-
am, detractionem et maledictionem.

100 Quod scilicet duae priores a se inuicem uix discrepent, po-
sterior autem non tamæ modo, sed animæ etiam ac corporis, ma-
lum, idque fortassis praecipue, comprehendat.

101 Cum uero eiusmodi subtilitatibus immorari, ac ueluti in
Scholasticorum dumetis, aut salebris, haerere sit operam et tempus
perdere, easdem recensuisse nobis sufficiat.

102 Dicamus igitur, iniuriae uerbales nomine id omne tenere,
quod uerbis, in alterius contemptum, aut ignominiam, ore improbo
utcumque prolatis, constat.

103 Pertinent huc omnia conuitia, nomina et cognomina iniu-
riosa, opprobria, ludibria et cauilla.

104 E.g. quando quis alterum appellat sycphantam, nebulo-
nem, spurium, excoiatorem, carnificem, lictorem, cornutum, ru-
dem diabolum, asinum cum puncto etc.

105 Inprimis ignominiosa habetur uox Hunsfuit, h. e. Hunnus
fuit, occasione turbarum et deuastationum, ab Hunnis olim facta-
rum, introducta.

106 Dum scilicet extorres ciues ac miseri coloni, a quopiam
quaesiti, unde tanta clades, quisue eius sit autor, responderunt:
Hunnus fuit.

107 Vnde contracta per syncopen dictio, Hunsfuit, (non Hunds-
fuit) eandem postea sortem habuit, ac plures aliae, quae ordine al-
phabetico exhibentur in Museo Goetziano.

108 Iniuriosum pariter nomen est delatoris, qui, rancoris, aut
uindictae cupiditate, non honestatis studio, aut Reipublicae amo-
re, motus, aliquid denunciat.

109 Ta-

109 Talem enim ad genus hominum, publico exitio repertum, refert Tacitus, et regionis daemone[m] appellat Synesius, quin execrabilem nunciatorem uocant Imperatores l. 4. C. de delator.

110 Denique offensionem quoque afferunt ioci mordaces, siue uoluptatis explendae, siue ingenii ostentandi causa, prolari.

111 Tales, quemadmodum seruandae amicitiae maxime obstant, ita plurimum mali saepissime attrahunt, ut ideo non felices iniuriarum, sed infelicissimae, uocari mereantur.

112 Iniuria literalis dicitur, quae scripto, contumeliosi, uel ignominiosi quicquam complexo, infertur.

113 Praecipuae eius species sunt scomma satyricum et libellus famosus.

114 Scomma satyricum est scriptum, quo non uitia generalia, sed specialia certorum hominum, male et inique perstringuntur.

115 Adeoque animi potius implendi, quam proximi corrigendi causa, tale quid scribi creditur.

116 Libellus famosus, uulgo Pasquillum dictus, est scriptum, quo graue aliquod et famosum crimen, ut adulterium, furtum, latrocinium, uel scortum, dolo malo alteri obicitur.

117 Et quidem uel oratione soluta, uel tabella metrica, uel cantilena composita, uel tabula picta, uel alia ratione.

118 Vtrumque scripturae genus sui autores grauissimi peccati reos reddit, hocque nomine seueris etiam poenis damnatur l. unic. de famos. libell. et l. 5. §. 9. ff. de iniur. et famos. libell. c. si qui 5. qu. 1.

119 Realis iniuria uariis factis, in alterius contumeliam cedentibus, uel famam saltem ex opinione laedentibus, committi potest.

120 E. g. si quis sponsae, ablata corona, uittam (Haube) aut sertum ioculari (Vexir Kranz) imponit, uel sponso, aut marito erectis digitis, cornua format.

121 Item, si quis nouis nuptis sparsione dissectorum culmorum frugum (Heckerling streuen) aut iniusta interpellatione (Einspruch) iniuriam facit, de qua peculiaris prostat commentatio.

122 Pariter si quis uirgini, uel mulieri, aut uiduae osculum dat, utpote quod amplexus uenereos antecedere, eosdemque ueluti sollicitare creditur.

123 Et quis omnes iniuriarum species recensere potest, quae partim feriis, partim iocosis, factis fieri solent?

124 Tantummodo eam adhuc attingere liceat, qua homo liber et ingenuus, parentibus, aut patriae, ereptus, seruituti, aut indignae conditioni, addicitur.

125 Qualis ereptio uiolenta plagium dici consuevit, et in historia sacra Iosepho contigit, in ciuili autem Ernesto et Alberto, Saxoniae Ducibus.

126 De raptu priori legi potest Heideggerus, posteriorem uero eruditis dissertationibus descripserunt Rechenbergius, Pippingius et Kunizius.

127 (3) Opes, seu bona, auferendo, uel quocunque modo periendo, aut corrumpendo.

128 Vocari solet haec laesio peculiari nomine damnum, prout nimirum in sensu stricto, uel speciali, accipitur.

129 In sensu enim generali sumtum, quamcunque laesionem denotat, seu talem actum, quo alteri aliquid iniuste demitur.

130 Quippe a demendo suam trahit originem, hocque nomine Grotio dicitur demtio, seu τὸ ἐλαττον, cum quis minus suo habet.

131 Alias describitur per carentiam boni alicuius, ob alterius factum, iure destitutum, siue per ablationem, aut corruptionem, rei, perfecto iure ad nos pertinentis.

132 Ad facultates, seu opes, translatum, definiri potest per actum, quo circa hominis bona, tum mobilia, tum immobilia, uel ratione substantiae, uel ratione usus, aut fructus, aliquid quocunque modo committitur, uel omittitur, quod iure committi, uel omitti, non debebat.

133 Apparet hinc, pro uaria bonorum consideratione, uarioque laedendi modo, uarium etiam esse damnum.

134 Scilicet ratione obiecti, existit uel circa rem, uel circa fructus, eosque uel extantes, uel futuros.

135 Ratione causae, datur uel ab hominibus, uel ab animantibus brutis.

136 Ratione effectus, et quidem a parte laesi, uel positium est, uel priuatum, a parte laedentis, uel lucratium, uel minus tale.

R r

137 Ra-

137 Ratione adiuncti, fit accedente, uel dolo, uel culpa, uel casu.

138 Damnum circa rem ipsam fieri dicitur, quando substantia alicuius rei destruitur, corrumpitur, diminuitur, aut quocunque modo secus, ac decebat, habetur.

139 Et tale quidem damnum tanto iniustius cenferi debet, quanto grauior et rei ipsius, et commodi, inde percipiendi, iactura uidetur.

140 Damnum circa fructus datur, quando uel existentes eripiuntur, intercipiuntur, aut quacunque ratione perduntur, uel exituri impediuntur.

141 Damnum ab hominibus, iisque liberis, datur uel mediate, uel immediate, tum solitarie, tum coniunctim.

142 Prout nimirum laedens, uel ipse, uel per alium, uel solus, uel cum pluribus sociatus, nocet.

143 Damnum uero, a seruis illatum, Ictis peculiari uoce dicitur noxa, uel noxia, unde locutiones, noxae accipere, uel dedere.

144 Damnum, ab animantibus brutis factum, singulari pariter nomine, ex legibus XII. Tabularum desumpto, pauperies appellatur.

145 Damnum positium oritur ex rei, actu iam possessae, ablatione, uel corruptione, priuatum uero ex boni, certe sperandi, interceptione, uel retentione.

146 Pertinet huc axioma: Lucrum, uel commodum cessans est damnum emergens.

147 Damnum lucratiuum est, unde laedens, uel nocens, emolumentum quicquam capit, siue, ut Icti loquuntur, locupletior fit.

148 Indicat hoc regula: Nemo cum alterius damno debet fieri locupletior.

149 Damnum, si dolus interuenit, iniuria, seu maleficium (*αδίκημα*) si culpa, erratum (*αμαρτημα*) si casus, infortunium (*ατυχημα*) dici consuevit.

150 Est autem dolus qualiscunque machinatio, ad decipiendum fallendumque alterum malitiose et iniuste adhibita.

151 Hoc sensu uocatur dolus malus, siue calliditas, solertia, circumuentio, fallacia, fraus, et callidum consilium, uel dolus, sine adiectione.

152 Sic

152 Sic dolo agere est fraudulenter et malitiose agere, alterius deceptionem intendere.

153 Malus itaque dolus dicitur, h. e. legi aduersus, ad differentiam doli boni, quo, permittente lege, aliquid, siue uerbis, siue factis, simulatur, boni cuiusquam obtinendi, uel mali auertendi, causa.

154 Eiusmodi dolus subest stratagematibus, ad fallendum hostem, bellumque eo citius conficiendum, usitatis.

155 Eodem censu ueniunt omnes simulationes oeconomicae ac politicae, ex necessitate, aut officii ratione, ad bonum finem adhibitae.

156 Culpa est intermissio curae, uel operae, ex ignorantia, imperitia, segnitie, aut imprudentia, proueniens.

157 Cuiacio est negligentia hominis, qua, quod fieri non debebat, fit, uel, quod fieri debebat, non fit.

158 Qua de causa etiam desidia, negligentia, et segnitia (παρρησία) Ictis passim dicitur.

159 Hocque nomine strictim definitur per omissionem negligentiae, quae adhiberi debebat, aut poterat.

160 Cum autem tres fere sint gradus diligentiae, infimus, medius, et summus, triplex etiam datur culpa, lata, leuis, et leuissima.

161 Scilicet omissio diligentiae communis efficit culpam latam, omissio diligentiae accuratae culpam leuem, omissio diligentiae accuratissimae culpam leuissimam.

162 Est itaque culpa lata tam supina et crassa oscitantia atque negligentia, qua quis facit, aut omittit, quod communiter homines in ea parte non facerent, aut omitterent.

163 Quapropter et latissima uocatur, nec non magna et dissoluta negligentia, dolo proxima, prope et proxime ad dolum accedens, item dolus praesumptus.

164 Et dolum repraesentare, in doli nomen cadere, et doli nomine uenire dicitur l. 1. §. 2. ff. si is, qui testam. lib. 1. l. 5. ff. de O. et A. l. 226. ff. de V. S. et l. 32. ff. deposit.

165 Quod tamen in contractibus circa res pecuniarias, ubi malum subest propositum, non uero in criminibus, iisdemque grauioribus, cum poena malis est imponenda, procedere, uulgo docent.

166 Culpa levis est oppositum diligentis custodiae, adeoque talem complectitur imprudentiam, seu negligentiam, qua quis facit, aut omittit, quod diligens paterfamilias in ea re non faceret, aut omitteret.

167 Talis plerumque intelligitur, quoties vox culpa sola, sine adiectione, reperitur, nisi natura rei, uel alia lex, repugnet.

168 Culpa leuissima consistit in negligentia, seu incuria, qua quis facit, aut omittit, quod diligentissimus et curiosissimus quisque non faceret, aut omitteret.

169 Refertur itaque ad exactissimam rei alicuius faciendae, aut custodiendae, diligentiam, quae in certis tantum negotiis adhibetur.

170 Nimirum negotia, in quibus triplex ista culpa praestari debet, his tribus uulgo regulis definiunt :

171 (α) Quodcunque negotium in solius dantis emolumentum cedit, in illo accipiens latam duntaxat culpam praestare debet, h. e. de omissione diligentiae communis respondere, e. g. in deposito.

172 Causa est, quia nemo cum impendio suo alterius commodum iuuare cogitur, adeoque sibi quisque damnum imputare debet, quod, negligentiozem eligens custodem, accipit.

173 (β) Quodcunque negotium utriusque, et accipientis, et dantis, gratia initur, in eo levis praestanda est culpa, h. e. accurata utrinque diligentia probanda, e. g. in emtione, locatione, pignore, societate.

174 Causa est, quoniam mutua utilitas mutuam quoque postulat diligentiam, eamque talem, qualem homines prudentiores, aut attentiores, adhibere solent.

175 (γ) Quodcunque negotium ad solius accipientis commoda pertinet, in illo accipiens leuissimam praestat culpam, h. e. ad accuratissimam obstringitur diligentiam, e. g. in commodato.

176 Causa est, quod aequitati conuenit, eum, qui aliquid in commodum, aut bonum, suum accepit, quam diligentissime cauere, ne alter pro beneficio damnum reportet.

177 Sed regularum istarum exiguus admodum usus in materia damni esse uidetur.

178 Summatim quippe dici potest, quod quamuis culpam, dummodo

modo vere sit admissa, damni restitutio sequi debeat, nisi laesus in eam quodammodo consenserit.

179 Consensum uero colligi oportet ex natura et circumstantiis negotii, puta personis, materia et forma.

180 Casus fortuitus est inopinatus rei euentus, qui nulla humana cura, seu prouidentia, caueri, aut auerti, potuit.

181 Quae quidem acceptio ab illa differt, qua casus pro facti specie sumitur, quam alii hypothesin uocant, aut thema, uel articulum.

182 Dicitur alias uis diuina, uis, cui resisti non potest, uis maior, aduersus quam caueri non potuit, fatum, damnum fatale, fortuna etc.

183 Exempla sunt incendium, ruina, naufragium, latronum hostiumque incurfus, aquarum magnitudo, terrae motus, impetus praedonum, mors, aut fuga seruorum etc.

184 Distinguitur uulgo in casum solitum, qui crebrius contingit, et insolitum, qui raro, uel rarissime euenit.

185 Differunt dolus, culpa et casus sequenti potissimum ratione:

186 (1) Ratione principii, cum dolus ex malitia, uel prauitate, culpa ex imprudentia, uel imperitia, casus ex accidenti proueniat.

187 (2) Ratione formae, cum dolus consistat in uoluntate nocendi directa, culpa in indirecta, casus in neutra.

188 (3) Ratione effectus, cum dolus semper ad poenam et restitutionem imputetur, culpa non semper, casus nunquam, nisi ex consensu.

189 Damnum, quod quis, bona alterius auferendo, dolo malo et lucri faciendi causa dat, peculiari nomine, dicitur furtum.

190 Quod ideo describi solet per fraudulentam rei alienae contrectationem, inuito domino, lucri causa, factam.

191 Icti, pro uariis circumstantiis, in uaria id genera partiuntur.

192 Scilicet ratione furis, prout in facto deprehenditur, uel non deprehenditur, dicitur manifestum, uel non manifestum, prout familiaris est, uel peregrinus, domesticum, uel non domesticum, et prout directe, uel indirecte rem auferit, principale, uel minus principale.

193 Ratione temporis, quo furtum committitur, aliud est nocturnum, aliud diurnum.

194. Ra-

- 194 Ratione quantitatis, uel magnum existit, uel paruum.
- 195 Ratione qualitatis, est primum, uel iteratum, simplex, uel periculosum, cuius uariae dantur species.
- 196 Furto admodum affinis est detentio rei alienae inuentae, nulla facta significatione, ut supra docuimus.
- 197 An plagium literarium furti crimine notari possit, eruditi disceptant, et nominatim Iac. Thomasius, Schwarzius, Auercrombius, Almenlovenius, Crenius, et Laubius.
- 198 Hoc certum est, et grauissimum, et ignominiosissimum delictum haberi furtum, quocunque demum modo committatur.
- 199 Quare, ut Draconis olim lege, ita Caroli, Imperatoris, constitutione, nostrisque adhuc moribus, capitali supplicio damnatur.
- 200 Quanquam, quae decerni plerumque solet, suspendii poena ab aliis probetur, ab aliis improbetur.
- 201 Ex iis, quae dicta sunt, uaria laesionis genera constare possunt.
- 202 Nunc, quibus modis iniuria, uel damnum, reparari, quodque alter alteri iniuste detraxit, restitui debeat, considerandum est.
- 203 Namque reparatio tam necessaria est, ut, nisi ea interueniat, nec Numen placari, nec homines in gratiam et concordiam reduci possint.
- 204 Quo sensu accipiendum est, quod uulgo dicunt, peccatum non remitti, nisi restituatur ablatum l. 4. de R. I. in sext. conf. Placette de restitut.
- 205 Et quotusquisque a proterua alterius laesione abstineret, si laesionis et iniquitatis praemium retinere liceret?
- 206 An securitas, pax, aut amicitia ulla locum habere potest, ubi alter de continuanda iniuria, alter de uindicanda semper cogitat?
- 107 Propterea et laedens, et laesus, operam dare debet, ut, sublata iniuria, animi reconcilientur.
- 208 Laedens quidem, poenitentiam declarando, ueniam petendo, et reparationem offerendo.
- 209 Laesus, iniuriam condonando, restitutionem accipiendo et uindictam abiiciendo.
- 210 Ita uero facienda est restitutio, prout tum laedentium, tum laesionis, ratio postulauerit.

211 Scilicet, si unus iniuriam fecit, aut damnum dedit, solus etiam ad reparationem est obstrictus.

212 Sin plures operam contulerunt, adeoque eiusdem criminis rei, seu correi debendi, ut uulgo uocantur, impari tamen gradu, existunt, uidendum, quis causa principalis, et quis minus principalis haberi debeat.

213 Aliquando enim causae morali, h. e. ei, qui iussit, uel coëgit, primario, causae physicae, seu ei, qui imperata perfecit, secundo factum assignatur.

214 Aliquando inuerso proceditur ordine, prout circumstantiarum diuersitas, maxime personarum conditio, tulerit.

215 Qui proprio motu citra necessitatem facinus est aggressus, culpae praecipuae reus censi debet.

216 Contra, in damni restituendi partem is uocari nequit, qui laetando quidem, laudando, excusando, uel optando maleficium, peccato se obstringit, re tamen uera, nec operae quicquam contulit, nec commodum participauit.

217 Distingunt quippe hic doctores inter actum uoluntum et uoluntarium, specialiter dictum.

218 Illum, dicunt, se habere ad uolentem per modum obiecti, hunc uero per modum effectus.

219 Hoc est, illum esse actum, quem quidem aliquis, qui impedire non potest, nec debet, uult, sua tamen uoluntate non efficit, hunc uero actum, quem quis uoluntate sua, ueluti principio suo, producit.

220 Quod si plures, ut causae sociae, ac pares, ad factum noxium concurrerint, dispiciendum est, an actus sit diuiduus, an indiuiduus.

221 In diuiduo, qualis e. g. est uulneratio, tantum quisque praestat, quantum perfecit.

222 In indiuiduo, e. g. incendio, singuli ad restituendum solidum sunt obstricti.

223 Nec utroque casu refert, an socii culpae ad patrandum facinus conspirauerint, nec ne.

224 Facta tamen ab uno reparatione, caeteri liberantur, cum rei aestimatio, semel obtenta, iterum ac saepius peti nequeat.

225 Bo-

225 Bona enim fides non patitur, ut idem bis exigatur, inquit Caius in l. 57. ff. de R. I. quam erudita dissertatione exposuit Olearius.

226 Hoc uero aliter se habet in poena, quae non singulos tantum socios, siue pari, siue impari gradu iniuriam fecerint, sed meros etiam laudatores, uel assentatores, manet.

227 Differunt itaque poena et restitutio in eo, quod illa respiciat formam actus uitioli, h. e. prauitatem, seu uiolationem legis, haec effectum, h. e. damnum.

228 Quo quidem respectu poena ad satisfactionem magistratus (uulgo interesse publicum) restitutio ad satisfactionem ciuis (uulgo interesse priuatum) pertinere non inepte iudicatur.

229 Cum igitur sola damni reparatione nec crimen aboleri, nec offensio publica obliterari, nec malitia hominum coerceri, ciuiumque reliquorum emendatio obtineri possit, poena opus est.

230 Quae propterea singulis, quotquot malefaciendo in legem deliquerunt, infligenda est, etiam si unus damnum in solidum restituerit.

231 Caeterum, refarciri debet damnum, siue a nobis ipsis, siue a seruis, siue ab animalibus nostris fuerit datum.

232 Equidem ipse seruus (quem hominem nostrum ~~It~~ Cri uocant) ad reparandum damnum, citra culpam domini a se datum, lege naturali obstrictus est.

233 Hocque nomine, si sui esset iuris, a laeso persecutionem, captionem ac detentionem, nemine obstante, pati deberet.

234 Si uero non habet, unde satis dare possit, sed omnia domino acquirit, a domino etiam, aut damnum refarciri, aut seruum, ut opera id penset, dedi, aequum est.

235 Dominia enim in alterius detrimentum constitui, aut, laesioni, impune faciendae, praetendi nequeunt.

236 Siquidem alteri per alterum iniqua conditio non debet inferri l. 74. ff. de R. I.

237 Tantum abest, ut suam quis fortem cum alterius damno meliorem facere, aut cum alterius detrimento locupletior fieri debeat, l. 206. ff. de R. I.

238 Aequum potius est, ut commodum a seruo accipiens, incom-

commodum etiam sentiat l. i. §. final. ff. de aqu. plu. arcend.

239 Quod si igitur dominus nec reparationem praestare, nec seruum dedere uelit, inique agere, idemque laeso aduersus se ius concedere censendus est, quod contra seruum competit.

240 Taceo, quantum communis interfit securitatis, ne cuiquam alterum laedendi licentia detur.

241 Damnum ab animalibus datum ita pariter reparandum est, ut dominus uel aestimationem praestet, uel animal dedat.

242 Quod quidem de eo casu est accipiendum, quo bestiae citra culpam laesi, aut tertii cuiuspiam, nocuerint, siue pauperiem fecerint.

243 Nam si laesus, uel tertius aliquis, damno occasionem dedit, suam quisque culpam ferat, necesse est.

244 Nec iure naturali discrimen hic obtinet inter bestias mansuetas et feras, dummodo et haec in certo existant dominio, h. e. uel agris filuiisque certi territorii annumerentur, uel custodia, puta uiuario, aut feretrina, includantur.

245 Hinc enim elapsae, ubi damnum innocenti dederint, uel dominus reparationem praestare, aut ferae capturam permittere, uel custos culpam sustinere debet.

246 Quanquam Principes multi, nimio uenandi studio incensi, nec damna eiusmodi, subditis illata, curant, nec feram aliquam, in maxima etiam abundantia, capere, aut occidere, permittunt.

247 Ex eo autem, quod, ratione damni, ab animantibus dati, aequum est, sequi uidetur, infantes etiam, furiosos, aut mente captos, satisfactionem debere.

248 Quamuis enim plenum Rationis usum non habeant, adeoque doli incapaces existant, naturali tamen aequitati congruit, ut ab illis aequae reparatio exigatur, atque a brutis, omni prorsus Ratione destitutis.

249 Caeterum, modus quaecunque sigillatim laesionem resarciendi, pro triplici, circa quod fieri potest, obiecto, admodum est diuersus.

250 Nimirum, ratione animi, ubi scandalum fuerit datum, id tolli oportet, siue falsa dogmata damnando, siue improbos liberos re-

uocando, siue peccata admissa confitendo, de iisque dolendo.

251 Ratione corporis, uulnerationis, uel caedis, aestimatio est praestanda, hactenus, ut, et dolorum perpassio, et plagae sanatio, et, lucri omissio, debeat pensari.

252 Ratione fortunae, honor, iniuria detractus, reddi, res ablata restitui, et corrupta refarciri, uel utroque casu pretium pendi, aut, quantum interest, praestari debet, et sic porro.

253 De damno, ratione fructuum percipiendorum dato, tenendum est, hoc ita aestimandum esse, prout laesus a perceptionis spe longius, uel propius, abfuerit.

254 Reparando autem damno pecunia maxime inferuit, tanquam remedium generale, omnium rerum pretia exaequans.

255 Denique, facta iniuriae abolitione, damniue reparatione, opera est danda, ut animorum etiam conciliatio mutuaeque beneuolentia redeat.

256 Non enim mali omissio iungendae seruandaeque hominum societatis sufficit, sed mutuo insuper iuuandi studio opus est.

257 III. *Officium* igitur *positiuum*, quod naturali pariter lege hic requiritur, mutuam utilitatis praestationem, seu humanitatem, officiositatem, beneficentiam et inferuendi promittitudinem comprehendit.

258 Debet nimirum homo homini prodesse, et alter alterius necessitates leuare, commoda augere, ac damna et pericula auertere.

259 Adeoque pertinent huc omnes illi actus, quibus hominum coniunctio, conuersatio ac naturalis communitas firmari, uitaeque commoditas, iucunditas, tranquillitas et securitas obtineri potest.

260 Considerari autem possunt eiusmodi actus (1) Ratione fundamenti, prout uel iure perfecto, uel iure imperfecto nituntur.

261 Ius perfectum, seu expletorium, dicitur, quo, uigore legis, uel pacti, aliquis ab altero iuste quid exigere, et eundem, si, quod exigitur, denegat, ad praestationem adigere potest.

262 Per certa nimirum remedia coactiua, qualia in statu naturali sunt bella, in ciuili actiones, in foro intentatae.

263 Ius imperfectum dicitur, quo quidem, humanitatis, uel charitatis, nomine, ab altero aliquid requiri, non autem coactione obtineri potest.

264 Du-

264 Duplicem itaque facultatem complectitur ius perfectum, unam, qua quid iuste ab aliquo postulare, alteram, qua postulatum, si recusetur, ui habere licet.

265 Contra, ius imperfectum altera facultate destituitur, cogendi nimirum, seu dictis supra remediis ad consequendum debitum utendi.

266 Hinc etiam patet, quid sit obligatio perfecta, quid imperfecta, moralis nimirum aliquid praestandi necessitas, uel iure perfecto, uel iure imperfecto subnixa.

267 Praestations, ex iure perfecto debitae, uulgo dicuntur esse iustitiae, ex imperfecto autem, charitatis.

268 Accepit nimirum hisce nominibus in sensu stricto, prout iustitia intelligitur externa, particularis et expletrix, ex peculiari lege, uel pactione, proueniens, cui charitas uideatur contradistincta.

269 Sin uero uox iustitiae, latius sumta, internam, uniuersalem et attributricem iustitiam designet, charitati, eadem latitudine acceptae, respondere dicitur.

270 Quod quidem ita exponit Kulpisius, ut, debitum iustitiae et charitatis non absolute ac formaliter, sed ratione obiecti et effectus, seu personae et rei, sibi inuicem opposui, dicat.

271 Nimirum persona quidem, inquit, ad utrumque debitum aequali obligatione tenetur, cuius ualiditas in se semper constat, siue ab attributrice, siue ab expletrice iustitia oriatur.

272 At intuitu effectus, est differentia, cum illa (iustitia attributrix) ius alteri non tribuat rem exigendi; haec (expletrix) tribuat, ita, ut ex norma charitatis aliquis obligetur quidem, sed non fiat debitor, stricte loquendo.

273 Verum, etiamsi haec Kulpisii expositio non prorsus sit reicienda, merito tamen distinctionem inter legem charitatis et legem iustitiae, tanquam commune doctorum moralium *κερησφύριστον*, excludit Zieglerus.

274 Quippe iustitia, qualis lege naturali continetur, a charitate tam parum differt, ut, qui hanc offenderit, illam quoque offendisse dicendus sit.

275 Nam utraque iisdem Iuris naturalis, ut sanctissimi et communissimi, praeceptis nititur.

Ss 2

276 Et,

276 Et, quamvis denegatio eorum, quae citra pactum, solo humanitatis, uel officiositatis, nomine, deberi dicuntur, neque coactionem, neque poenam, neque, ubi damnum inde euenerit, reparationem inter homines pariat, in legis tamen naturalis uiolationem utique tendit.

277 Quae uiolatio quin et iram summi legislatoris, et poenam, aliquando, nisi expiatio interuenerit, certe secururam, transgressori attrahat, nullum est dubium.

278 Sufficit itaque, obligationes omnes, ex naturali etiam iure descendentes, formaliter, absolute, in se, et ratione hominum esse perfectas, licet materialiter, respectiue, et ratione executionis humanae eo destituantur effectu, quem conuentiones, aut leges positivae producant.

279 Quo etiam sensu intelligenda est distinctio inter ius perfectum et imperfectum, habito nimirum respectu obiecti, non subiecti, effectus, non causae, materiae, non formae.

280 Proinde, qui pauperi stipem, peregrino hospitium, exuli receptionem denegat, aequè in ius naturae peccare censendus est, quam qui rem uenditam tradere recusat.

281 (2) Ratione modi, prout, uel indefinite, seu indeterminate et indirecte, uel definite, seu determinate et directe perficiuntur.

282 Indefinite quidem, animum et corpus ad aliorum commodam praeparando, artes utiles inueniendo, inuentas augendo, et laudabiles aliorum conatus prouehendo.

283 Definite autem, ignorantes docendo, errantes in uiam reuocando, peccantes corripiendo, monendo, aegrotos curando, pauperes iuuando, aliisque, qui infra exponentur, modis.

284 (3) Ratione adiuncti, prout uel aliqua cum impensa, aut opera, coniuncti sunt, uel minus.

285 Posterioris generis actus dicuntur officia innoxiae utilitatis, quae scilicet accipienti profunt, danti, uel praestanti, non nocent.

286 Talia sunt uiam monstrare, consilium suggerere, commendationem exhibere, pro altero intercedere, salutem impertiri, honorifice compellare, officia offerre.

287 Quo

287 Quo etiam pertinent concessio transitus, transportatio mercium, admissio nauium alienarum in littore, uel portu, communicatio commerciorum, receptio exulum, e. f.

288 Peccant itaque Iudaei, qui nec uiam quidem, nisi eadem colentibus sacra, monstrant.

289 Hinc etiam apparet, quid iudicandum sit de iure naufragorum bona inter regalia referendi, et fisco Principis applicandi, quod uulgo dicitur ius Varchi, das Grund-Ruhr- oder Strand-Recht.

290 Scilicet iniquum prorsus et detestandum est, hocque nomine merito damnatur constitutionibus Imperatorum, Ferdinandi II. et Caroli V.

291 Prioris generis actus uocantur beneficia, quae quidem ab officiis differunt, non ratione utilitatis, in accipientem redundantis, sed ratione difficultatis, praestationem comitantis.

292 Adeoque eximium quid continere debent, habito respectu dantis, non accipientis, cum huic innoxia saepe officia eandem afferre possint utilitatem, ac beneficia.

293 Horum numero illa sigillatim ueniunt, quorum collatio cum aliqua temporis, aeris, aut lucri nostri, detractio est coniuncta.

294 Talia sunt informatio, gratis facta, stipendiorum constitutio, elemosynarum erogatio, spicilegii permissio, personarum miserabilium sustentatio etc.

295 (4) Ratione obiecti, cum in toto, tum in partibus considerati, seu, ut uulgo dicitur, totalis et partialis.

296 Obiectum totale est homo, siue peregrinus sit, siue indigena, siue hospes, siue ciuis, siue amicus, siue inimicus.

297 His quippe omnibus, et officia, et beneficia praestare lex naturae praecipit.

298 Quanquam enim sublimior illa beneficentia, quae erga inimicos exercetur, Christianae potissimum religionis propria sit.

299 Naturali tamen Rationi eam non prorsus esse aduersam, ipsi etiam Ethnici exemplis testimoniisque comprobarunt, uti Seneca, Antoninus, et alii.

300 Obiectum partiale est, tum anima, tum corpus, tum fortuna.

301 Circa animum quidem alteri prodesse possumus, erroribus,

aut praeiudiciis, eum liberando, salutaribus praeceptis ac doctrinis imbuendo, a prauo ad rectum abducendo, bonis exemplis ad uirtutem incitando.

302 Circa corpus uero officia praestare possumus, alimenta ac uitae subsidia praebendo, sanandis morbis, aut seruandae ualeitudini remedia applicando, paupertatem, aut egestatem eleemosynis subleuando, etc.

303 Circa fortunam inferuendi studium probare possumus, famam alterius tuendo, uirtutes et merita praedicando, operas et labores prouehendo, commercia, uel negotia, iuuando, opes et bona amplificando.

304 (5) Ratione requisiti, partim respectu dantis, partim respectu accipientis.

305 Dans quidem in praestandis officiis, aut beneficiis, rationem habere debet et personae, cui quid praestat, et rei, quam praestat, et modi, quo praestat, et finis, cur praestat.

306 Dari nimirum oportet homini digno et uero, tantum, quantum conditio permittit, animo et fronte hilari, non ostentationis, aut gloriae captandae, sed honestatis, aut beneficentiae exercendae causa.

307 Debitus etiam ordo est obseruandus, et, prout unus alteri uel necessitudinis, uel religionis, uel alio nomine praeferritur, ita amor et fauor dispensandus, ut erudite expoluit Dn. Buddeus.

308 Accipientis uero est gratam declarare mentem, et, quoties occasio sese obtulerit, mutua exhibere officia.

309 Hoc enim necessarium omnino est, tum propter dantem, tum propter accipientem.

310 Ne scilicet ille, indigno se benefecisse uidens, a benefaciendo deterreatur, hic uero, pro improbo habitus, beneficiis in posterum expectandis priuetur.

311 Actio quidem ingrati non datur, nisi grauior accesserit iniuria, aliaeque singulares interpenerint circumstantiae, quibus ingratitudo simplex, seu uulgaris, euadat atrox et eminens.

312 Eoque sensu intelligenda sunt, quae peculiari de hoc argumento dissertatione statuit Boeclerus.

313 Alias,

313 Alias, si gratus ab altero animus uisset extorquendus, nec uirtuti, sponte exercendae, daretur locus, nec conciliandae hominum amicitiae ac fiduciae suppeteret occasio.

314 Taceo, quod omnis actio efficax obligatione perfecta et plena fundari debeat, qualis autem non est in eo, qui beneficiis ab aliquo est affectus.

315 Ac proinde donatio remuneratoria iure ciuili non ea dicitur, quae nomine beneficii generalis fit, sed ea, quae propter praestationem, iure perfecto exigendam, debebatur.

316 IV. *Fundamentum bonorum officiorum* est ipsa hominis natura, eaque respectu humanae potissimum aequalitatis considerata.

317 Nititur autem aequalitas (1) Similitudine essentiae.

318 Sunt nimirum omnes aequae homines, eandem animam, Ratione praeditam, idemque corpus, affabre formatum et instructum, habentes.

319 Eadem omnibus et existendi, et nascendi, et uiuendi, et moriendi, fors obtingit.

320 Mentis imperfectioni, corporis infirmitati, rerumque humanarum uicissitudini omnes sunt obnoxii.

321 Nec contingens cuiusquam praestantia, siue corporis, siue animae, siue fortunae, puta in formositate, robore, aptitudine, doctrina, nobilitate, potentia, honoribus, aut diuitiis consistens, istam humanitatis aequalitatem, communem ac perpetuam, tollit.

322 Siquidem ea, quae ad essentiam humanam non pertinent, nec omnibus sunt communia, sed aliquibus, iisdemque paucioribus ut plurimum, propria, cum communitate essentiae omnino consistunt.

323 Sicut enim essentiae rerum sunt aeternae, ita status humanitatis est immutabilis, hactenus, ut nullam a statu adueniente mutationem patiatur.

324 Cumque substantia non recipiat magis et minus, non potest quisquam esse magis, uel minus, homo, quam alter.

325 (2) Societate uitae.

326 Quemadmodum eandem omnes participant essentiam, ac, ueluti fratres, naturali quadam cognatione coniunguntur, ita unam omnes societatem constituunt.

327 Est

327 Est haec uniuersi generis humani communitas, ac gentium omnium, remotissimis etiam locis a se disiunctarum, consortio.

328 Tam longe lateque patet haec societas, quam habitatus cultusque ab hominibus terrarum orbis.

329 Hanc Creator Opt. Max. eo intendit, quod unum hominum, naturaliter similitum, genus esse uoluit, cum contra innumeris plaeque diuersis generibus animantia bruta a se inuicem differant.

330 Eum in finem et mentem, optimis facultatibus praeditam, et corpus, aptissimis partibus instructum, homini concessit, ac naturalem quandam societatis appetitionem indidit.

331 (3) Communione legis.

332 Omnes in uniuersum homines lege naturali tenentur, tanquam communissima pariter, ac generalissima.

333 Cum enim omnes et singuli summo uniuersitatis Rectori, Deo, sint subiecti, communi etiam obligatione ad capeffendam ipsius legem sunt constricti.

334 Huius quidem obligationis sensus in mente et animo tam alte est impressus, ut propriam cuiusque conscientiam nunquam non afficere possit.

335 Ex tali igitur hominum aequalitate colligere licet, aequales etiam omnes esse aestimandos in percipiendis, quae homines, quatales, respiciunt, iuribus.

336 Est enim firma argumentatio, eos, qui aequalis sunt naturae et conditionis, unius societatis membra, uni, eidemque summo, imperio subiecti, una, eaque communissima, lege obstricti, aequales omnino esse aestimandos.

337 Fluit hinc Regula princeps, quemque alteri id facere debere, quod sibi ab altero fieri uelit, et contra.

338 Quam quidem tanti fecit Imperator, Aurelius, ut symboli loco eandem his uerbis usurpauerit: Quod tibi, idem alteri.

339 Iure autem ciuili ita effertur: Quod quis in alterum iuris stauerit, eodem et ipse utatur, rubr. tit. 2. ff. lib. 2.

340 Et quod quisque ab aliis exigit, in se ipso praestare debet, l. 9. §. 3. ff. de admin. et peric. tut.

341 Vnde porro sequitur, ita cuilibet uiuendum agendumque esse cum

cum aliis, etiam inferioribus, quemadmodum secum, si ipse inferior fuerit, alios uiuere et agere, uellet.

342 Quod maxima cum laude Imperatorem, Traianum, obseruasse, praedicat Plinius.

343 Item, neminem sibi ius debere arrogare in rem, vel personam, in quam iuris nihil habeat.

344 Hoc enim cum aequalitate et aequali omnes tractandi ratione manifeste pugnaret.

345 Quibus regulis si proposita a nobis officia examinantur, horum praestandorum necessitas facile patebit.

346 Scilicet cum laesio quaecunque in iuris alieni inuasionem et uiolationem consistat, ecquis non uidet, eam cum aequalitate pugnare, hacque de causa omnino esse omittendam.

347 Quid enim aliud is agit, qui alterum quocunque modo laedit, quam ut alteri id faciat, quod sibi fieri non uelit, eoque ipso alterum, ut inaequalem, seque inferiorem, tractet.

348 Quippe ius sibi arrogat, ubi ius non habet, personam, ad tale quid patiendum non obstrictam, ut obstrictam, aestimat, rem alienam, ut propriam, adhibet.

349 Quae quidem omnia cum ipsi rerum naturae aduersentur, ac manifestam prae se ferant contradictionem, naturali etiam iuri repugnare censenda sunt.

350 Contra, mutuum inseruiendi studium hominum naturae et aequalitati maxime conuenit, eaque de causa rite exerceri debet.

351 Sic enim comparata est hominum conditio, ut quisque alterius ope indigeat, nec citra hanc uitae necessitatem leuare, eiusue commoditatem, aut iucunditatem, obtinere possit.

352 Quare humanae felicitatis interest, mutuo inter se consortio homines iungi, et alterum ab altero ad officiositatem ac beneficentiam mutuis studiis officiisque incitari.

353 Firmiter statuendum est, homines hominum causa esse generatos, ut sibi inuicem, aliis alii, prodesse possint.

354 Cognationem quandam natura inter nos constituit, adeoque beneficio hominem affici, hominis interest l. 3. ff. de l. et l. 1. 7. in fin. ff. de seru. export.

355 V. *Contraria* horum officiorum uel generalia sunt, uel specialia.

356 Generalia sunt omnes illi actus, quibus uel iniuria alteri, aut noxa directe, sive indirecte, mediate, s. immediate infertur, uel utilitas alterius impeditur, aequalitas tollitur, ac societas rumpitur.

357 Specialia autem sunt: (1) Perfidia, qua homo, fidem, cui alter rerum suarum rationes superstruxit, temere uiolans, malo ac detrimento causam praebet.

358 (2) Inertia, qua homo, bonarum artium rudis, otiosam transigit uitam, nec commodi quicquam, nec decoris, in hominum societatem conferens.

359 (3) Auaritia, qua homo, fluxis tantum opibus inhians, ad proprium lucrum et commodum omnia refert, posthabita aliis inseruiendi cura.

360 (4) Superbia, qua homo, stolidus caput opinione, caeteris se praestare, credit, ideoque plus sibi, quam aliis, tribuit, et quidem uel sine, uel cum contemptu grauiore.

361 (5) Immisericordia, qua homo nullo alienae miseriae sensu afficitur, nec egenis subuenire studet, sed contra, detestanda saepe *ἐπιχαιρεκαλία*, ex alterius malo uoluptatem capit.

362 (6) Indulgentia, qua homo, iniquus *προσωπολήπτης*, in dicendo iure, uel distribuendo honore, non causam, aut merita, sed personam, aut munera, attendens, uni prae altero faret.

363 (7) Saeuitia, qua homo in seruos, aut subditos, tam duram tamque acerbam adhibet seueritatem, ut eos non aeque homines, seu sibi naturaliter minus aequales, putare uideatur.

364 VI. *Scriptores* qui speciatim de uno alteroue argumento, hic proposito, egerunt, potissimum sunt sequentes:

365 De Iniuriis scripserunt (1) Fasellus (2) Schmuckius (3) a Sode.

366 De Officiis humanitatis et charitatis egerunt (1) Fritschius (2) Hopferus (3) Petr. Müllerus.

367 De Hospitalitate legi merentur (1) Schilterus (2) Fritschius (3) Engelbrechtus.

368 De Aequalitate naturali commentationem ediderunt (1) Wendelerus (2) Kranewitterus (3) Olearius.

369 VII. *Axiomata* sunt: (1) Postulat omnino societatis humanae ratio, ut homo homini non obesse, sed prodesse nitatur. 370 (2)

370 (2) Neque innoxia tantum utilitatis officia, sed beneficia etiam, cum impendio coniuncta, praestare debet, qui hominum animos sibi conciliare cupit.

371 (3) Non exiguum sane momentum ad uitam bene agendam affert amicitia, cuius appetitio per naturam quoque homini est insita.

372 (4) Quare exercenda est humanitas, capienda inseruiendi occasio, excitanda identidem beneuolentia.

373 (5) Equidem prudentiae regulis in dando opus est, ac circumstantiarum ratione metienda liberalitas.

374 (6) Attamen non mores hominum, sed sortem commiserari decet, et humanitatem potius, quam hominem attendere.

375 (7) Ideoque satius est, decem indignis dare, quam uni digno denegare.

376 (8) Caeterum caueat homo, socialitatis perinde, ac prudentiae studiosus, ne, communis oblitus aequalitatis, in superbiam, uel arrogantiam, delabatur.

377 (9) Hac enim nihil in omni uita et stolidius, et nocentius, existere potest.

378 (10) Eaque de causa superbi similes esse dicuntur lapidibus asperis et angulatis, ad aedificia, belle exstruenda, minime aptis.

379 (11) Quemadmodum homines iracundi et rixosi cum dumis et carduis comparantur, quibus, quicumque eos attigerit, pungitur.

380 (12) Itaque suam quidem prae aliis eminentiam agnoscere, suamque dignationem tueri, generosi est hominis.

381 (13) At honestam una humilitatem prae se ferre, nec humani quicquam a se alienum putare, probi simul et prudentis est.

382 (14) Nec facile quis tumido sese efferet animo, si, quid fuerit, quid sit, et quid futurus sit, recte perpendit.

383 (15) Fuit nimirum, ut homo omnis, sperma foetidum, est uas stercoreum, erit esca uermium.

MEMBRVM II.

DE

I. N. CIRCA HOMINES, IN STATV NATVRALI HYPOTHETICO CONSIDERATOS.

STatus naturalis hypotheticus subnuitur uel certis institutis, uel peculiari relatione. T t 2 ARTI-

ARTICVLVS I.

DE

I. N. RATIONE CERTORVM INSTITVTORVM.

Tria potissimum instituta hic occurrunt: (1) Sermo
(2) Pactum (3) Dominium.

INSPECTIO I.

DE

I. N. CIRCA SERMONEM.

I. *Definitio.* II. *Vsus.* III. *Vinculum accessorium.* IV. *Controuersiae.*
V. *Scriptores.* VI. *Axiomata.* I I.

Definitio sermonis, uulgo recepta, est, qua dicitur complexus uocum articulatarum, ex hominum instituto certi quid significantium, ad declaranda animi sensa, diuinis humanisque legibus conuenienter.

2 Dicitur complexus uocum articulatarum, h. e. literis et syllabis plane et distincte ordinarum, adeoque exprimendis rebus et actionibus aptarum.

3 Differt itaque talismodi uox a uoce, late ac generaliter accepta, qua iucundum ac molestum quid significatur.

4 Haec enim animantibus brutis etiam conuenit, quamquam non omnibus, cum e. g. pisces, insecta, uoce careant, ac strepitum duntaxat, aut sonum, edant.

5 Distat nimirum sonus a uoce, ut latius ac generalius, siquidem inanimatis perinde, atque animatis rebus tribuitur.

6 Nam et uentorum murmura, et aquarum susurros, et instrumentorum Musicorum conceptus, et metallorum percussiones sonare ac resonare dicimus.

7 Quod hyaena, bestia rapax et astuta, sermonem hominum et intelligat, et imitetur, fabulam merito dixeris, cum Busbequio.

8 Causam uero sonorum aëris elisionem uulgo dicunt, quam tamen admittere noluit Bac. de Verulam.

9 Sunt itaque uoces articulatae aptissimum certissimumque instrumentum, conceptus nostros cum aliis communicandi.

10 Nec

10 Nec dubium est, quin aliis signis omnibus praestent, quibus in cognitionem alicuius rei peruenire datur, siue naturalia sint, siue uoluntaria.

11 Dicuntur autem signa naturalia, seu necessaria, quae naturali sua cum rebus connexionem citra hominis factum certi quid indicant.

12 E. g. aurora solem orientem, fumus ignem, rubor pudorem, pallor metum, uel morbum, aut amorem, designat.

13 Huc etiam pertinent signa physiognomica, de quibus in Ethica diximus.

14 Voluntaria autem signa, seu arbitraria, sunt certae res, actiones aut motiones in significandi usum, humano consilio, aut instituto, assumtae.

15 Inter res tales habentur campanae, horologia, ignes nocturni, hermae, seu statuae Mercuriales, manus protensae, cruces erectae, hederæ suspensae, tabulae, aut tesserae, affixae, etc.

16 Hoc etiam censu ueniunt sagum et toga, belli pacisue signa apud Romanos, calculi albi et nigri, in iudiciis adhibiti, unde etiam ostracismus.

17 Sic dextra, omnium fere populorum suffragio, et sanctissimum fidei pignus habetur, et auctoritatis dignitatisque symbolum, ut erudita dissertatione exposuit illustris Wilduogelius.

18 Actionibus et gestibus annumerantur, de uia decedere, loco assurgere, caput nudare, genua flectere, manus osculari, ut honoris signa.

19 Contra, adunco naso suspendere, nasum crispare, aut rhinocerotis nasum habere, sicum monstrare, tergum obuerrere, contumeliae, uel irae, sunt indicia, uid. Grotius ac Pufendorfius.

20 Dantur praeterea alii modi, quibus suam sibi inuicem mentem homines aperire solent.

21 Tales sunt diuersae oculorum, manuum ac pedum flexiones, de quibus legi prae aliis possunt Mollerus et Schambergerus.

22 Nec pecularia desunt signa, quibus monachi certorum ordinum pro locutione utuntur, teste Edmundo Martené.

23 Enimvero qualescunque uel toni, uel gestus, excogitari possint, exprimendis tamen animi conceptibus non aequè inferuiunt, ac uoces articulatae.

24 Dependent autem uoces articulatae, prout certi quid designant, ab hominum instituto.

25 Tali nimirum, quod simplici consensu, nudaque receptione innititur, non conuentione quadam, aut mutua, eaque perfecta, obligatione.

26 Etenim nec uniuersalis, nec particularis, conuentio hic locum habere potest.

27 Non uniuersalis, quia non datur lingua uniuersalis, neque res omnes simul eodemque tempore extiterunt, ut nomina sua ab uniuersali hominum consensione accipere potuerint.

28 Non particularis, cum uoces earumque significationes successive sint introductae, et quidem, poscente necessitate, ex rerum mutationibus orta, citra antegressam de consensu unanimi deliberationem, communi ac diuturno usu.

29 Taceo, quod, posita tali conuentione, nulla lingua mutari inuentisque identidem uocibus augeri possit, citra nouum gentis, pristino idiomate utentis, suffragium.

30 Secus tamen plerosque inter populos fieri, experientia docet, saltem linguae Gallicae exemplum demonstrat.

31 Dum uero sermonem humanum dicimus institutum, probe distinguendum est inter facultatem loquendi, seu loquelam, et inter linguam, seu locutionem.

32 Illa enim naturae beneficio obtingit, haec autem ab instituto hominum pendet.

33 Quomodo autem tot tamque diuersae, quae inter homines nunc existunt, linguae sint introductae, hic disquirere non uacat.

34 Teneamus modo, quouis sermone ita declarandam esse mentem nostram, prout, diuinae humanaeque leges requirunt, aut permittunt.

35 Scilicet, ut homines rectum bonumque in actionibus cunctis, tum erga Deum, tum erga se inuicem, resque caeteras, sequi debent.

36 Ita nec sermone aliter est utendum, atque officiorum, hoc nomine praestandorum, ratio patitur.

37 Nam perinde in legem delinquis, siue uerbis, siue factis, Dei honorem laedas, hominumue societatem turbes, aut salutem peruertas.

38 Est

38 Est igitur sermo instrumentum, ad certos debitosque usus adhibendum, ad res nimirum et actiones ita significandas, prout, habito ad Deum pariter, atque homines, respectu, conuenit.

39 Etenim omnis loquela loquendive ratio ad Numinis gloriam hominumque salutem referri debet.

40 Hunc in finem lingua homini est data, tanquam interpres animi, ad amplificandum Creatoris honorem procurandamque hominum utilitatem adhibenda.

41 Ex tali fine aestimanda est natura sermonis, ita, ut, quicumque sermo cum honore Dei hominumque bono non conuenerit, is legi naturali contrarius sit censendus.

42 Il. *Usum* igitur sermonis ita rebus est accommodandus, ut et Deo placere, et hominibus prodesse, possit.

43 Adeoque attendi hic debent generalia Iuris naturalis praecepta de Deo colendo, se ipso conseruando, nemine laedendo, ac suo cuique tribuendo etc.

44 Nimirum latissime patet sermonis usus, et circa omnia pro-pemodum officia sese exerit.

45 Cum autem ratio sermonis, ad cultum Dei nostrique conseruationem dirigendi, ex iis, quae supra diximus, constare possit, hic tantum, quomodo iustitiae naturali erga alios homines conuenire debeat, exponemus.

46 Primum, idemque generale, praeceptum est, sermone ad mutuum hominum utilitatem, non laesionem, ad benefaciendum, malum auertendum, fidemq; seruandam, non secus, esse utendum.

47 Hoc enim naturae sermonis congruit, utpote quem societatis humanae, adeoque conseruationis, instrumentum existere, docuimus.

48 Speciales, quae inde nascuntur, regulæ partim idiomatis usum, partim negotiorum indolem respiciunt, suntque fere sequentes:

49 (1) Quoties ex obligatione perfecta, uel imperfecta, loquendum est, iis utere signis, quae ad exprimenda animi sensa in lingua, qua loqueris, sunt recepta.

50 Illusio enim foret, non locutio, si locuturus uocabula, aut nullum, aut ignotum alteri, sensum habentia, proferret.

51 Vul-

51 Vulgares quippe uoces ac locutiones non a proprio cuiusque arbitrio, sed ab usu communi dependent.

52 Vnde humani dicuntur esse instituti, a certa nimirum gente in certa, eademque usitata ac communi, lingua introductae.

53 Itaque non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent, l. 7. §. 2. ff. de suppell. legat.

54 (2) Quoties signa, ad loquendum recepta, ex officio sunt adhibenda, sic eadem adhibe, ut mentem tuam alteri, prout decet, significare possint.

55 Irritus enim foret sermo, usitatis quidem receptisque uerbis constans, cum animi tamen sensibus non conueniens.

56 Id quippe in uita humana quisque communiter uoluisset, quod uerba eius prae se ferunt.

57 Nec, qui ad loquendum obstrictus est, aliud animo sentire debet, aliud sermone proferre.

58 Humanae enim societatis natura non patitur, ut actibus animi, sufficienter indicatis, nulla insit efficacia.

59 Proinde, quod sufficienter indicatum est, pro uero habetur, l. 7. §. 2. ff. de suppell. leg.

60 (3) Quoties sermone plano et aperto bonum, quem intendis, finem, obtinere nequis, simulatum et fictum admisce.

61 Cum enim utilitatis, non noxae, instrumentum sit sermo, talis etiam est adhibendus, qualem negotii ratio postulat.

62 Equidem, si homo in naturali integritate perstitisset, uix alius sermo locum fuisset habiturus, quam qui perfectum oris et cordis consensum complectitur.

63 Nam, ubi omnia sunt bona, congrua et perfecta, ibi perpetua etiam signorum cum rebus signatis, seu uerborum et conceptuum harmonia existit.

64 Adeoque sermo non ad premendum ac dissimulandum, sed ad promendum et explicandum animum adhibetur.

65 Verum, in tanta, quae homines iam inuasit, corruptione et imperfectione, sermo perinde, atque alia instituta, ita rebus est accommodandus, ut salutaris evadat, non noxius.

66 Ideo probe hic secerni debet status naturalis, seu integritatis et per-

perfectionis primae a statu legali, ut uulgo dicitur, seu corruptionis et imperfectionis adscitae.

67 Hinc enim plurimae, eaeque uexatissimae, quae questiones, saluo nostro Iuris Naturalis principio, decidi possunt.

68 Diximus quippe, naturam rerum non absolute esse considerandam, sed habito ad hominem respectu, h. e. prout uel boni quicquam, uel mali, eidem afferunt.

69 Quae boni maliue ratio pro humano utique statu, qualis hic, uel ibi, nunc existit, aestimanda est.

70 Quemadmodum igitur Medicus uini usum hominis sanandi conditione metitur, et, prout haec postulauerit, illud modo purum, modo mixtum, aut temperatum, praecipit.

71 Ita moralis etiam doctrina sermonem non aliter adhibere iubet, quam rerum humanarum indoles nunc patitur.

72 Proinde, ubi simplex et sincera locutio minus congrua uidetur, composita, ficta, simulata et falsa uti conuenit.

73 Non enim omnes simulationes, dissimulationes et fictiones lege naturali damnatae, aut illicitae, censeri debent.

74 Sed eae demum, quae uel Numinis honorem laedunt, uel hominibus iniuriam et damnum afferunt, uel cordis uanitatem produnt.

75 Quare Danhauerus, Rudrauffius, Spenglerus alique non inepte distinguunt inter simulationem uitiosam et non uitiosam.

76 Vitiosa, seu iniuriosa, est, quae laesionem, siue directam, siue indirectam, complectitur, hocque nomine omnino est prohibita.

77 Non uitiosa autem est, quam rei alicuius, utiliter ac salutariter expediendae, necessitas ac ratio postulat, quaeque adeo cum honestate, aut officii ratione, utique consistere potest.

78 Subdiuiditur haec in rectoriam, correctoriam, exploratoriam et stratagematicam.

79 Rectoria est, qua Rectores ciuitatum, propter suam perinde, ac rei publicae salutem, quaedam simulare ac dissimulare coguntur.

80 Nam eos, quibus commissa est Respublica, ut ad effectum consiliorum suorum veniant, oportere, ut multa simulent cum dolore, sapientissimus monet Cicero.

V u

Trahit

81 Trahit hinc originem uulgare illud axioma, et Imperatoris, Friderici, symbolum : Qui nescit simulare, nescit imperare.

82 Quare simulatio ac dissimulatio Politicae etiam Prudentiae nomine insignitur, de qua legi meretur commentatio Alberti.

83 Correctoria est, qua medii, ad finem aliquem necessarii, ratio ita temperatur, ut aliud quid agenti, uel acturo, insinuetur, ac reuera agitur, uel agendum est.

84 Talis simulatio est, cum Medicus, aegrotum sanaturus, aliud pharmacum praebet, ac, se praebere, dicit, aut curationem aliter facit, ac, se facere, assëuerat.

85 Item, cum melancholicum, periculosa imaginatione laborantem, ingenioso commento sanitati restituit.

86 In quo quidem casu Grotius ex praesumpta uoluntate rationem ducit, adeoque uolenti nullam fieri iniuriam, existimat.

87 Porro, cum, exemplo Nathanis, fictae decissionis causae, sententia, de uero facto pronuncianda, elicitur.

88 Similiter, si imperator, uel praefectus belli, militibus, metu percussis, aut pugnare recusantibus, narratione ficta animum addit.

89 Pertinet huc mythica docendi ratio, qua fabulis, apologis et narrationibus fictis morum praecepta traduntur, ut in Ethica docuimus.

90 Exploratoria, seu tentatoria, quae alias maioris desiderii excitatoria dicitur, est, quae inuestigandae ueritatis, uel certae rei experiendae, causa, adhibetur.

91 Talem faciebat Salomo, cum, ex duabus foeminis, de partu uiuo litigantibus, ueram cogniturus matrem, scindendi infantis uoluntatem simulabat. 1 Reg. III. 25.

92 Pariter, Tiberius Claudius, Caesar, foeminam, filium suum abnegantem, ad ueritatis confessionem compulit, indicto ipsi per simulationem matrimonio iuuenis, teste Suetonio.

93 Sic Constantinus, Imperator, exploraturus, quinam e domesticis ueram religionem amplecterentur, gentilissimi professionem simulauit, uti memorat Eusebius.

94 Stratagematica est, quae in bello exercetur aduersus hostes, quibus nec laedendo, nec simulando, fit iniuria, quamdiu et iusta bel-

bellandi causa subest, et naturae gentiumque leges observantur.

95 Si enim legitimum geritur bellum, nihil interest iustitiae, an aperta pugnetur ui, an ex insidiis.

96 Et tantum abest, ut belli duces, stratagemata adhibendo, probrosi quid committant, ut potius, cum, humano parcentes sanguini, fraude, non clade, bellum componunt, laudem mereantur.

97 Talis igitur dolus tanto minus improbari potest, quanto pluribus, et sacris, et profanis, exemplis a scriptoribus passim confirmatur, ut infra dicemus in Iure Gentium.

98 Patet hinc, magnum utique discrimen esse inter dictum falsum, seu falsiloquium, et mendacium.

99 Illud enim consistit in occultatione ueri, propter bonum finem, citra alterius cuiuspiam laesionem, seu iniuriam, lege prohibitam, facta.

100 Hoc uero complectitur sermonem, dolose, et contra animi sententiam, aduersus et erga eum, de quo et cui uerum dici debebat, prolatum.

101 Formam igitur mendacii constituit dolus, legi, siue diuinae, siue humanae, aduersus.

102 Qualis subesse censendus est, quoties quis alteri, contra obligationem perfectam, uel imperfectam, aliud quid significat, ac sentit.

103 Neque adeo hic damni solum ratio est habenda, quod falsitate afferri possit.

104 Sed legibus potissimum res aestimari debet, prout nimirum illae falsum, quod profertur, uel permittunt, uel damnant.

105 Si permittunt, non mendacium, sed falsum duntaxat dictum, seu falsiloquium, haberi debet.

106 Sin damnant, mendacium, in proprio et stricto sensu acceptum, censi oportet.

107 Proinde, uulgaris illa mendacii diuisio in officiosum, iocosum et perniciosum tam inepta uidetur, quam si quis stuprum, uel adulterium, aliud honestum, et aliud inhonestum, dicere uelit.

108 Quippe posterior tantum species mendacii nomine notari debet, duae autem priores ad falsiloquium sunt referendae.

109 Neque exigua etiam distinctio est inter mentiri et mendacium dicere.

110 Illud quippe complectitur mendacium formale, hoc materiale.

111 Prius cum malo proposito, seu dolo, est coniunctum, et ueracitati, seu ueritati Ethicae, aduersum, posterius ab imprudentia, uel ignorantia, proficiscitur, et Logicae tantum ueritati repugnat.

112 Scilicet non uniys generis est ueritas, sed alia Metaphysica, alia Logica, alia Ethica.

113 Metaphysica, seu transcendentalis, dicitur conformitas rei cum essentia, quam res habere debet.

114 Logica, seu rationalis, consistit in conuenientia mentis cum re extra mentem, h. e. conceptuum cum rebus, seu praedicati cum subiecto.

115 Ethica, seu moralis, est congruentia uerborum aliorumue signorum cum animi nostri sensis, alteri significandis.

116 Illa alio nomine dici solet ueritas in essendo, ista ueritas in cognoscendo, haec ueritas in dicendo.

117 Hinc triplex etiam oritur uerum, unum in essendo, seu ens uerum, alterum in cognoscendo, seu conceptus uerus, tertium in dicendo, seu locutio uera.

118 Veritas Metaphysica omnibus in uniuersum rebus, actu positio existentibus, tam creaturis, quam Creatori, conuenit.

119 Logica autem ueritas et Ethica non ita, cum et utraque in creaturis abesse, et una sine altera adesse possit.

120 Hinc dici consuevit, saepe aliquem habere ueritatem Ethicam, qui non habeat Logicam, et uice uersa.

121 Quo quidem axiomate discrimen istud, quod inter mentiri et mendacium dicere statuimus, liquido declarari potest.

122 (4) Quoties sermo contra officii rationem uel loquenti, uel alii cuiquam nocere potest, tacendum potius est, quam loquendum.

123 Sermonis enim finis est, non temere quiduis apud quemuis effutire, sed mentis declaratione honestum ac bonum procurare.

124 Ideo Deus non intelligendi tantum iudicandique facultatem homini dedit, sed linguam quoque labiis dentibusque circumscripsit, ne praeceptis in loquacitatem ruat.

125 Idem.

125 Idem, cum duas quidem aures, sed unam homini linguam concessit, docere uoluit, duplo plus audiendum esse, quam loquendum.

126 Patet hinc, quam necessarium sit silentium circa arcana, fidei alicuius commissa, de quo erudita prostat commentatio Hanschii.

127 Scilicet, cum horum reuelatio maximam saepe noxam post se trahat, dataeque fidei repugnet, ecquis silentii necessitatem non agnosceret?

128 Recta igitur hic tenenda est ratio garrulam coërcendi linguam, digitoque compescendi labella.

129 Obseruandum sedulo est silentii symbolum, in antiquis amicorum conuentibus adhibitum: Sub rosa.

130 Idem quippe hoc praecipit, atque illud Lacedaemoniorum, ex Lycurgi instituto ad fores silere iubentium, *ταύτην ἐν ἑξέχεται.*

131 Id, quod nostrates uulgari hoc monito efferre solent: Tibi soli, uel, tibi haec dicta sunt.

132 Quae quidem taciturnitas iis maxime conuenit, qui publica obeunt munera, et arcana Principum consilia participant.

133 Hi certe perpendere debent, cum res graues sustinere non possent, cui tacere graue sit.

134 Quare consiliarii et intimiores Magnatum Ministri a Iustiano dicuntur silentiarii in C. h. t.

135 Et consiliorum renunciatores uiuos exuri, et furca suspendi, iubent leges ciuiles l. 38. ff. de poen.

136 Pertinet etiam huc confessionis, ut dicitur, sigillum, quo Ecclesiae Ministri ad silentium obstringi dicuntur.

137 Quod tamen non sine discrimine rerum, a confitentibus prolatarum, accipiendum est, uti dissertationibus, hoc super argumento conscriptis, inter alios docuerunt Beyerus et Tilehus.

138 Nimirum, non unius generis sunt arcana, adeoque nec omnia promiscue celanda.

139 Quare, si amicus amico res iniustas, publicum praecipue damnum allaturas, e. g. consilium de prodenda perdendaue Republica, aut interficiendo Principe, aperiret, et dissuadentem sequi recusaret, iniustum perinde, ac nocens, silentium putari debet.

140 Quod tristissimo suo exemplo comprobavit Franciscus Augustus Thuanus, ob celatam amici, Henrici Deffiati, coniurationem, capitis supplicium passus, arguto epigrammate notatum, et ab Harsdoerffero descriptum.

141 Quippe non tanti haberi debet amicitia, ut eo nomine in Rempublicam peccare liceat, utpote cuius saluti cuiuscunque privati salus longe est postponenda.

142 Cum igitur silentium saepe cum peccato et damno coniunctum esse possit, noua, quam subiungimus, regula hinc oritur.

143 (5) Quoties tacendo grauis committitur culpa, libere et ita loquendum est, prout obligatio conscientiae ac circumstantiarum ratio postulat.

144 Sermo enim, ut semel iterumque monuimus, est instrumentum, non frustra, sed ad certos debitosque fines, hominibus datum.

145 Hos negligere, nec sermonem adhibere, ubi, et quando, adhiberi debet, est Dei uoluntatem, seu legem Naturae spernere.

146 Nam aequè peccari potest omittendo, quod agendum erat, atque agendo, quod omitti debebat.

147 Et generatim quidem unusquisque aliorum, obseruatis modestiae ac prudentiae regulis, ob male dicta, uel facta, reprehendere potest.

148 Postulat enim hoc tum gloria Dei, ubique et omnibus modis tuenda, tum hominis, sibi suisque peccato nocentis, necessitas, tum aliorum, scandalum inde capientium, salus.

149 Speciatim uero a damno silentii peccato sibi cauere debent illi, quibus aliorum hominum, siue regendorum, siue formandorum erudiendorumque, cura est commissa.

150 Tales sunt ciuitatum Rectores ac Magistratus, Ecclesiae Scholaeque Doctores, Ephori, Parentes, Patresque familiae.

151 Hi omnes sermone, prudenter recteque adhibito, id curare debent, quod officii ratio bonumque publicum deposcit.

152 Neque tamen directa semper, seuera seriaque loquela est utendum, sed indirecta quandoque, suavis et iocosa adhiberi potest, ex ea, quae sequitur, regula.

153 (6) Quoties ioco, aut sermone faceto, boni quicquam procurari potest,

ri potest, usus eiusdem lege naturali non illicitus cenferi debet.

154 Cum enim omnis locutio ad bonum aliquem finem sit referenda, finis autem det modum ac mensuram mediis, ita etiam locutionem componere fas est, prout finis obtinendi ratio tulerit.

155 Talis autem finis non modo honestum aliquod bonum esse potest, sed utile etiam et iucundum, innoxia scilicet delectatio, in animi remissionem tendens.

156 Hominem quippe continuis laboribus frangi, eamque ob causam alterna indigere requie, supra docuimus.

157 Nimirum et recte negotia curare (ὁρθῶς ἀγορᾶν) et bene otium agere (καλῶς χολεῖν) sapientem decet.

158 Quemadmodum igitur somno et quiete utimur, ubi grauioribus et seuerioribus rebus satisfecerimus.

159 Ita ludus etiam et iocus adhiberi potest, si, capta inde recreatione, ad officiū labores alacrior redit animus.

160 Oportet autem iocos esse ingenuos, blandos et libero proboque homine dignos, non illiberales, acerbos, mordaces, aut scurriles, seu obscenos ac foetidos.

161 Est enim iocus actus urbanitatis, quo ingeniosa et iucunda mentis declaratione mutuam sibi recreationem afferunt amice et familiariter uiuentes.

162 Ethici autem recte distinguunt inter urbanitatem (εὐτραπέλειαν) et scurrilitatem (βωμολοχίαν) seu ioculandi et gesticulandi studium.

163 Hunc in finem circumstantiarum habenda est ratio, puta, rei, personae, loci, temporis ac modi.

164 Rei, ne iocus fiat circa rem magnam, sacram, aut non, nisi serio agendam, e. g. circa mortem moriendae rationem.

165 Personae, ne in Principem, magistratum, parentem, praecceptorem, sacerdotem, egenum, aegrotum, exulem, aut quamcunque personam miserabilem, iocus spargatur.

166 Loci, ne loco indebito, e. g. in aede sacra, aut iudicio publico, petulanter ludatur.

167 Temporis, ne, e. g. tempore luctus fiat ioculatio, cum tempore dolendi intempestiua sit recordatio iocorum, asserente Macrobio.

168 Modi

168 Modi, ne nimius sit iocus, affectatus, ineptus, solícite quæsitus.

169 Quæ quidem omnia probe observaturo inter alios commendari possunt Hoppius, Wabstius et praxeos iocandi auctor.

170 (7) Quoties sermone blando, grato et officioso aliorum animos delinire, capere, tibi que conciliare potes, talem adhibere ne graueris.

171 Cum enim honestum placendi inferuendi que studium ad socialitatem hominum que coniunctionem maximum afferat momentum, ad istud rite declarandum sermone utique opus est.

172 Hunc quippe societatis humanæ esse instrumentum, adeoque talem etiam in finem utendum, aliquoties diximus.

173 Vocant hoc uirtutis officium Ethici comitatem, qua nimirum amanter et officiose animum alteri declaramus, et studia nostra offerimus.

174 Pertinent itaque huc omnia dicta, quibus, seruata honestatis et utilitatis ratione, aliis in congressu placere, nosque acceptos reddere possumus.

175 Quæ quidem uulgari, eo que barbaro, nomine dicuntur complimenta, omnis generis titulos, caeremonias, insinuationes, uota et promissiones complexa, de quibus legi possunt Verulamius, Boeclerus et Weisius.

176 III. *Vinculum accessorium* sermonis est iuramentum, quod alio nomine iusiurandum, uel sacramentum, uocari solet.

177 Est autem nihil aliud, quam prouocatio uindictæ diuinæ, sub conditione mendacii, aut perfidiæ, iustam ob causam legitime facta.

178 Plenius definiri potest per affirmationem religiosam, qua homo, in assertionis, uel promissionis, confirmationem, ad Deum, ut testem ac uindicem certissimum, modo debito ac recepto, prouocat, eiusque poenam, si uerum reticeat, aut fidem fallat, in se deposcit.

179 Dicitur affirmatio religiosa ob Numinis sanctissimi inuocationem, summa animi religione faciendam.

180 Forma igitur iurisiurandi, eaque essentialis, consistit in prouocatione ad Deum, tanquam testem ac uindicem præsentissimum, scientissimum, potentissimum iustissimum que. 181 Ac-

181 Accidental^{is} autem forma complectitur tum certas formulas, tum certas solemnitates, e. g. erectionem digitorum, uel applicationem eorum ad pectus sinistrum, accensionem candelarum, etc.

182 Olim iuraturus ad aram accedebat, eamque tangens, sacramentum praeſtabat.

183 Qualia quidem ſymbola, ſeu ſigna, ipſi iuramento, ratione obligationis, nihil addunt, ad incutiendum tamen iuranti metum utique faciunt, ut bene monet Teſmarus.

184 Quo maiorem igitur attentionem excitare poſſunt, eo maiorem quoque commendationem merentur.

185 Nam plerique mortalium ita ſunt affecti, ut religioſiſſimos etiam actus ex ritibus, aut caeremoniis, aeſtiment.

186 Finem dicimus eſſe confirmationem aſſertionis, uel promiſſionis.

187 Vt ſcilicet, ratione prioris, obtineatur ueritas, ſeu ueracitas, ſue mentis et orationis conformitas, ratione poſterioris, fides, ſeu dictorum conuentorumque conſtantia.

188 Effectus itaque iuramenti, reſpectu perſonae iurantis, eſt praefumtio certitudinis ac ſinceritatis.

189 Cum enim nemo tam improbus ſuaeque ſalutis negligens putetur, ut ſeueram Dei uindictam prouocare auderet, ab omni etiam dolo abſtinere creditur.

190 Quodſi tamen periurii quis fuerit conuictus, tanto ſeueriorem merito poenam perſoluit, quanto grauior Numinis, temere laeſſiti, offeſſio cenſeri debet.

191 Vt enim omni tempore ab omnibus fere populis maxima iuramento uis fuit tributa, in feriendis praefertim foederibus.

192 Ita grauiſſimam quoque poenam periuros apud Deum perinde, atque homines, mereri, ſanior quiſque ac probior iudicauit, ut infra docebimus.

193 Ratione rei iuratae, ſacramentum efficit, ut ea, modo ſub iurantis poteſtatem cadat, maiorem accipiat uim.

194 Hoc nimirum ſenſu, ut arctiore obligatione ei, cui praeftanda eſt, debeatur.

195 Quae quidem obligatio non noua eſt ratione ſubſtantiae, ſed ratione gradus.

X x

196 Ipſa

196 Ipsa quippe obligatio non a iuramento est, sed a lege, quae fidem, semel recte datam, seruare iubet.

197 Accedente tamen iuramento non parum augetur, quoniam hoc, tanquam affirmatio religiosa, arctius conscientiam obstringit, quam assertio simplex.

198 Talem uero rem intelligimus, quae humani sit arbitrii, seu naturaliter ac moraliter possibilis.

199 Quicquid enim uel humanas excedit vires, uel bonis moribus, lege diuina humanaue praeceptis, aduersatur, id omnem omnino obligationem respuere censendum est.

200 Scilicet iuramentum non mutat naturam actus, cui accedit, sed eam sequitur.

201 Hinc etiam prouocatorius dicitur actus, non obligatorius.

202 Ad quodcunque igitur quis sine iuramento obligari nequit, ad illud nec iuramento adstringi potest.

203 Nam ob quod factum promissor Dei gratiam esset amissurus, ad illud faciendum, sub amissione gratiae diuinae, alteri securitatem praestare nequit, ut recte monet Feldenus.

204 Et impium absurdumque foret a Deo postulare, ut iurantem punire uelit, si ea non faciat, quae leges facere uetant.

205 E. g. si quis iuret, se cum inimico, uel eo, quo cum lis ipsi sit, nunquam in gratiam rediturum, c. qui sacramento 22. qu. 4.

206 Vel, si quis iuramento firmet, se matri, uxori, aut liberis, nulla exhibiturum alimenta, c. inter caetera, ibid.

207 Aut, si quis, ad dicendum testimonium in iudicio producentus, iuret, ueritatem se reuelare nolle, c. intimauit 18. X. de testib. et c. ult. X. de testib. cogend.

208 Cum uero iuramentum non debeat fieri uinculum iniquitatis, aut iuris diuini impedimentum, nec seruari illud debet, ubi de rei illicitae praestatione agitur.

209 Nouerat hoc Nicomachus, exoletus quidam, qui iuratum Dymno fidem de celanda in Alexandrum coniuratione praestare nolebat, teste Curtio.

210 Nempe iuramentum, ab amico ante communicationem arcani exactum, tanti haberi non debet, ut silentio rei iniustae ac perniciosae post communicationem praetendi possit.

211 Quemadmodum nec iuratum ualet promissum, si is, cui hoc factum est, pro licito, quod petiturum eum fore, promissor credebatur, illicitum petit, exemplo filiae Herodiadis Matth. XIV. 8.

212 Tale iuramentum potius inuoluntarium, uel saltem inconsideratum, iudicari debet, quam ualidum et obligatorium.

213 Et similis quidem generis iuramenta in sacris pariter, atque profanis, literis plurima occurrunt.

214 De quibus recte statuitur, quod turpius sit ea seruare, quam uiolare.

215 Requiritur itaque circa iuramentum, ratione materiae, seu obiecti, res, cuius praestatio, uel actio, lege permittente, fieri potest.

216 Contra, quicquid lege est prohibitum, a iurata perinde, atque non iurata, obligatione exemptum censi debet.

217 Nec refert, utrum diuina, an humana, lege actus, iuramento confirmandus, prohibeatur.

218 Nisi forte lex humana in adiuncti euentum iuramenti prohibitionem suspendat, eoque ipso actum ualere sinat.

219 Quam quidem limitationem Ius Canonicum sequitur, pro eo, quo iuramenta tueri solet, fauore.

220 Hoc quippe omne iuramentum, quod sine dispendio salutis seruari potest, seruare iubet, c. cum contingat. 28. X. de iureiur. et c. licet mulieres 2. eod. in sext.

221 Qua de causa etiam actus, alioquin et naturali, et ciuili, iure inuálidos, e. g. contractus minorum, iuramento conualescere sinit.

222 Vnde iuramentum ex minorenni maiorem facere, omnemque defectum supplere dicitur, gl. in l. i. et auth. sacramenta puberum C. si aduers. uendit.

223 Ratione subiecti, seu iurantis, requiritur, ut hic serio, pio ac deliberato proposito iuret.

224 Serium uolumus animum, seu intentionem iurandi, et iuramento certam ualidamque obligationem confirmandi.

225 Qua intentione cum illi careant, qui iuramentum, aliis id praelegendo, uel explicando, tantum enunciant, nec iurare serio censendi sunt.

226 Pietas autem et reuerentia hic requiritur, quia summum, idemque sanctissimum iustissimumque, Numen est in uocandum.

227 Cuius maiestas cum omnibus actionibus religiose sit ueneranda, ipsius etiam metus inter iurandum animo obuersari debet.

228 Quapropter ipsum quoque iusiurandum uocatur religio l. 4. §. 1. ff. de in lit. iurand. l. 11. C. de reb. cred. et l. fin. C. de fidei comm.

229 Imo sacramentum, et sacramenti religio l. 1. C. de iureiur. et l. 3. C. si min. se mai. dix.

230 Adeoque non ludibrio appositum censeretur, seu otiosum et superuacuum.

231 Vt enim nullus actus, ita multo minus tam sanctus, elusorius fieri debet l. 12. ff. de reb. dub. l. 3. ff. de testam. milit. et l. 22. ff. de usu et habit.

232 Deliberatum denique oportet esse propositum, h. e. certum, accurata cognitione, pleno consensu liberaque uoluntate subnixum.

233 Obstat igitur hic ignoratio rei iurandae, adeo quidem, ut is, qui ignoret, iurare non uideatur.

234 Ignorans quippe nihil agere, nec consentire censetur, l. 19. ff. de inoffic. test. et l. 23. ff. de acquir. hered.

235 Aduersatur iuramento dolus, utpote qui iustam rei cognitionem, adeoque et liberum consensum impedire iudicandus est.

236 Ius iurandum itaque, dolo elicited, perinde, atque pactum, a decepto initum, ui obligandi destituitur.

237 Idem iudicari debet de iuramentis, ex errore profectis, modo error sit efficax et inuincibilis, adeoque inuoluntarius.

238 Omnis enim iurans hac nititur conditione, si ita se res habeat, prout eam se habere, putet.

239 Re igitur aliter, ac repraesentata est, se habente, iurans nihil egisse creditur, nec iuratum omittendo peccati fit reus.

240 Quanquam, pro circumstantiarum ratione, iuramenta talia seruare quodammodo praestet, quam uiolare, exemplo Iosuae, Gibeonitis promissum, dolo elicited, seruantis, Ios. IX. 21.

241 Maxima uero obligationis, iuramento confirmatae, obstacula sunt uis ac metus.

242 Cum enim coactus, et metu percussus, uoluntate libera agere nequeat, nec actio, sic extorta, ualere potest.

243 Adeoque nec iuramentum, ita comparatum, obligationem per se

se producit, sed diuinam prouocat poenam, si promittens obligationem uiolat.

244 Quae autem obligatio cum nulla sit, iuramentum quoque nullam habere efficaciam, censi potest.

245 Praesertim cum multum interfit, ne improbi sceleratique homines habeant, quo nequitiae suae fructum obtinere possint.

246 Quippe ex malitia sua nemo commodum reportare debet, aut patrociniū nancisci, l. 38. ff. de R. V. l. 12. §. 1. ff. de furt. et c. ex literis 2. X. de dol. et contumac.

247 Quae quidem omnia si stricte accipiantur, naturali etiam iure ita sunt iudicanda.

248 Veruntamen, ut iusiurandum, etiam a decepto, uel coacto, nonnunquam seruetur, religio suadet.

249 Modo res iurata sine Numinis diuini contemtu, ac Reipublicae aliorumque damno grāuiore praestari possit.

250 H. e. dum tale sit promissum, quod etiam iniuratus, mali maioris effugiendi causa, salua conscientia, perficere possit.

251 Omnium instar exemplorum est iuramentum, latroni, aut aggressori, datum de redimenda certo pretio uita, aut re, uitae aequiparabili.

252 Tali promisso standum utique esse, nos, optimos quosque Doctores, ipsumue Grotium, secuti, statuimus.

253 Si enim omne iusiurandum seruari oportet, quod sine peccato seruari potest, ecquis non uidet, et illud, quo praedoni lytrum est promissum, seruari debere?

254 Quippe tantum abest, ut necessitati parere, et numerata pecunia capitis periculum euadere, legi naturali absolute repugnet, ut potius, si caetera sint paria, eidem maxime conueniat.

255 Cum enim haec uitam omni studio seruare, omnibusque fortunis anteferre iubeat, quidni pecunia eam redimere permetteret?

256 Idque eo praecipue casu, quo lytrum iureiurando fuit promissum, et solutio citra iniuriam, aut sine peccato, fieri potest.

257 Obiici quidem solet, latronem iniuste et impie agere, dum ui, legi naturali prorsus aduersa, in fontem aggrediatur, eumque iureiurando ad promissionem adigat.

258 Hocque adeo iuramentum, ui tali iniusta extortum, non ualere, nisi uinculum debeat esse iniquitatis, aut humanae instrumentum malitiae.

259 Sed respondemus, impium praedonis factum non impedire, quo minus promissum, Deo teste, factum, a iurato sit praestandum.

260 Inuasor quidem peccat, alteri uim iniustam afferendo, non autem inuasus, fidem, iureiurando datam, exequendo.

261 Dat pecuniam uitae redimendae et religionis seruandae causa, ut scilicet, malum leuius tolerando, grauiora effugiat, uitae nimirum iacturam nominisque diuini laesionem.

262 Praesertim cum metuendum sit, ne praedo, pacto pretio frustratus, uitam non amplius condonando, grauem sumat uindictam.

263 Neque hic etiam obstat, quod promissor metu coactus iuret, liberamque adeo uoluntatem habere non uideatur.

264 Nam coacta uoluntas etiam est uoluntas, et talis actio, ut mixta, ad uoluntariam, magis, quam inuoluntariam, accedit, ut in Ethica docuimus.

265 Ex duobus quippe malis minus eligere, deliberatus propriusque uoluntatis actus censeretur.

266 Non sine iudicio fit sacramentum, ui metuque extortum, cum pecuniae dispendium periurio esse praefendum, et argenti auriue iacturam facere, quam Numinis reuerentiam exuere, satis iudicetur.

267 Statuat ergo iuratus, non soli praedoni fidem se dedisse, sed Deo etiam sancta se religione obstrinxisse.

268 Caueat, ne, talem rumpendo fidem, et Dei, temere prouocati, iram excitet, et graue conscientiae uulnus infligat.

269 Neque enim ea morari quisquam debet, quae summus aliqui Philosophus et Orator, Cicero, in contrariam attulit partem.

270 Scilicet, praedonem esse communem omnium hostem, adeoque nec fidem cum eo intercedere, nec iusiurandum commune.

271 Nam perperam haec dici, clare demonstrant eius commentatores, Rachelius, Vffelmannus, Hildebrandus aliique plures.

272 Quorum argumenta, si cum nostris coniungantur, facilem quoque responsionem ad ea, quae illustri Pufendorfius contra talis efficaciam iuramenti urget, suppeditabunt.

273 Sic

273 Sic igitur statuimus, iuratum praedoni lytrum utique soluendum esse, ne hostem fallens ostendat, hominem ab se metui, Deum contemni.

274 Aliter uero iudicandum est de silentio, quod inuasus, metu coactus, latroni, aut piratae, iurauit.

275 Cum enim hoc charitati in alios homines, ac sigillatim pietati in patriam, aut Rempublicam, repugnet, non aequè seruari debet.

276 Interest quippe communis securitatis, latronem, generis humani pestem, ad magistratum deferri, quo alii, uel illo capto et sublato, tuti maneant, uel saltem a periculo sibi cauere possint.

277 Tale igitur silentium, in se illicitum, ac lege naturali damnatum, iuramento licitum fieri nequit.

278 Ratione formae, requiritur, ut iuramentum uerbis, clare et distincte conceptis, ex mente deferentis, ad iurantis quidem religionem accommodetur, non tamen, nisi inuocatione Numinis, quod saltem tale creditur, fiat.

279 Scilicet, cum iurans ad testem et uindicem certum prouocare debeat, nullum hic locum habere potest res, opinione diuinitatis destituta.

280 Quamuis enim in rem talem uindicta, seu poena, deposci possit, non tamen proprium hinc iuramentum existit, sed asseueratio tantum.

281 Quo quidem sensu iurasse uulgo censentur ueteres per salutem, aut uitam, Principis, quemadmodum Iudaei per animam Regis.

282 Quanquam melior nobis uideatur eorum interpretatio, qui, tali nominatione certitudinem tantum ac ueritatem respici, dicunt.

283 Vt nimirum iurans indicet, tam certe tamque uere hoc, uel illud, se asserere, quam certe haec, uel illa, res existat, aut sibi sit chara.

284 Haec quippe intentio et consuetudini gentium, et naturae rerum, optime conuenire uidetur.

285 Cum enim tales saepissime res nominari soleant, quae diris deuoueri non possunt, uana perinde, atque iniusta, forent iuramenta, si eo, quo uulgo creditur, sensu fieret nominatio.

286 E. g. iuratur per caput Principis, per salutem coniugum, liberorum, aut patronorum, per templum, per altare, e. l.

287 Ec-

287 *Ecquis autem ius habet, aliorum salutem sine ipsorum consensu Deo obligandi, huius uindictam in innocentes deposcendi, aut rem alienam oppignorandi?*

288 *Anne credendum est, Numen iustissimum, in personas, aut res tales, prouocatam exercendo poenam, iniquissimis hominum fraudulentorum postulationibus statim esse responsurum?*

289 *Quapropter ea potius tenenda est acceptio, qua rei assertae ueritatem rei nominatae certitudine confirmari, diximus.*

290 *Quae quidem acceptio ad cuiuscunque generis formulas, rite explicandas, aptari potest.*

291 *E. g. quando Iosephus iurauit per uitam Pharaonis I. Gen. XLII. 15. Dauides per animam Ionathanis I. Sam. XX. 3. Elisa per animam Eliae II. Reg. II. 4.*

292 *Consuetudo autem per caput, salutem, aut genium Principis iurandia ueneratione eius est profecta.*

293 *Cum enim et sancta haberetur Principis maiestas, et chara omnibus incolumitas, iis etiam nihil pretiosius in confirmanda asseueratione adhiberi posse, creditum est.*

294 *Vnde et factum, ut, siquidem iuramentum tale sanctissimum debebat censer, periurium per nomen Principis crimini maiestatis sit equiparatum l. 2. C. de reb. cred. et l. 2. C. ad l. Iul. Maiest.*

295 *Et Claudius iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius, instituit, quam per Augustum, teste Suetonio.*

296 *Scythas etiam, maxime iurare uolentes, per Regium iurasse solium, et, si quis eo modo peierauerit, capitale id pronuntiasse, tradit Herodotus.*

297 *Qualia tamen iuramenta non olim tantum a Tiberio, sed postea etiam a Carolo M. seuerio mandato fuerunt prohibita.*

298 *Idque non sine causa, cum magnam utique superstitionem in rudes hominum animos induxerint.*

299 *Hinc quippe eueniebat, ut citius per omnes Deos, quam per unum Caesaris genium, peieraretur, et tutius haberetur, per Iouis, quam Regis, genium peierare.*

300 *Eaque de causa recte faciunt Christiani, quod, ueterum secuti exempla, a talibus asseuerandi formulis abstineant, iudicante ita nobiscum in peculiari dissertatione Rösfero.*

301 *Tan-*

301 Tantum abest, ut, indigna quadam morologia, per anserem, canem, platanum, capparim, barbam, aliasq; res nauci iurare liceat.

302 Quod uero sacramentum ad iurantis religionem accomodandum esse, diximus, id quidem de falsa etiam Religione intelligi potest.

303 Ita nimirum, ut iuranti permittatur iurare per Deum, quem uerum esse Deum, falsa sibi opinione persuasit.

304 Cum enim Religio sit actus intellectus, humanam respuens coactionem, adeoque talis necessario existat, qualem propria quisque conscientia eandem sibi formauit, ea utique standum est.

305 Praesertim, cum a iurante nihil exigatur, nisi fides, quam ubi ex peruerso animi sensu, eo, quo ducitur, errore, firmauerit, sibi imputare debet.

306 Iuramentum est negotiorum, in uita ciuili expediendorum, aptum quoddam instrumentum.

307 Quod, dummodo rite adhibeatur, non ueritate, aut falsitate, approbatione, aut reprobatione Religionis, sed iurantis conscientia, niti debet.

308 Quare non minus quis obstringitur iuramento, per falsos deos facto, quam si, uero inuocato Numine, fidem dederit.

309 Et iureiurando, quod propria superstitione iuratum sit, standum esse, Diuus Pius rescriptit l. 5. §. 1. ff. de iureiur.

310 Cum enim Deum, per quem iurat, in conscientia sua, etiam si erronea, pro uero agnoscat et colat, ex ista etiam conscientia iureiurando obligatur.

311 Eiusmodi quippe iuramentum uim suam non ex se habet, sed ex iurantis animo, eiusue persuasione ac fide.

312 Saltem sufficit, iuratum sub quocunque conceptu speciali, etiam si falso, generalem ueri Numinis notionem mente animoque conceptam habuisse.

313 Neque adeo dubium est, quin periurii poenam mereatur, qui falsos etiam Deos peierasse ausit.

314 Etiam, qui super lapidem falsum iurat, periurus est, inquit Gratianus in c. ecce dico 22. qu. 5.

315 Non lapis quidem, aut lignum idoli, iurantem audit, Deus tamen fallentem punit.

Y y

316 Nam

316 Nam tanquam Deo iurauit, et sua ipsum opinio poena obstrinxit, cum, quantum in se fuit, peierando Numinis reuerentiam exuerit.

317 Scilicet, ut in Regem iniuriosus est, qui, Regem percutere uolens, alium, quem Regem putabat, ex errore percutit.

318 Sic Deum laedit, qui quaecunque, quod creditur, Numen peierando contemnit, ut erudite hoc exposuit Schwertnerus.

319 Quod si igitur Christianus Ethnico, seu infideli, e. g. Turco, iuramentum, salua conscientia, deferre potest, multo magis Iudaeo per talem, qualem credit, Deum iurare, permittendum est.

320 De cuius quidem iuramenti fide et moralitate exquisitam pariter commentationem scripsit Mollerus.

321 Quocunque autem modo, et a quocunque, iuramentum fiat, ex mente deferentis fieri debet.

322 Cum enim huius potissimum gratia praestetur, in eam quoque sententiam est accipiendum, quam hic ipse prae se tulit, uerbisque, clare et distincte conceptis, expresse.

323 Postulat hoc natura et finis iuramenti, utpote quod ueritatis ac fidei, qualem deferens exigit, confirmandae causa adhibetur.

324 Et omnis sane ratio signis interuenientibus alteri sese obstringendi tolleretur, si iurans, diuersam ab eius, cui iurat, mente sententiam fouendo, actus, ab se praestiti, effectum impedire posset.

325 Imo iuramentum foret non-iuramentum, si tali semper exceptione elidi posset, lingua iuraui, mentem iniuram gero.

326 Facebant igitur hinc tres istae Scholasticorum intentiones separatae, iurandi, promittendi, et obligandi.

327 Facebant omnes aequiuocationes, restrictiones ac retentiones, seu reservationes mentales, et tacitae interpretationes, inter Priscillianistas olim, nunc inter Iesuitas et Rabulas receptae.

328 Improbae scilicet illae technae, seu fraudes, ab Angelo de Clauasio primum, ut ferunt, excogitatae, siue ab infernali potius Daemone, fallaciarum architecto, introductae.

329 His quippe quilibet sermo in eum detorqueri solet sensum, quem loquens ad eludendam alterius sententiam aptum iudicat.

330 Adeo quidem, ut, quicquid quis affirmauerit, id ipsum negare, et, quod negauerit, idem simul affirmare possit.

331 E.

331 E. g. quando Iesuita, quaesitus, an pecuniam habeat, aut rem aliquam sciat, respondet, se non habere, scilicet, ut roganti det, et se nescire, nimirum, ut quaerenti dicat.

332 Vel, quando quis, ex loco, peste infecto, ueniens, se inde haud uenire, iurando affirmet, ita scilicet, ut ipse peste sit infectus.

333 Quid uero aliud hoc est, quam mentiendi fallendique artem improba licentia exercere, et omnem fidei, iustitiae, pietatisque uim elidere?

334 Perspexerunt hoc praestantissimi illi uiri, qui perniciosum hoc dogma, a Sanchezio, aliisque fraudum patronis, tantopere commendatum, prorsus damnarunt.

335 Quales sunt Casaubonus, Montaltius, Rachelius, Iarrichius, Franksius, Müllerus, et pseudonymus tubae magnae autor.

336 Proinde adeo non audiendi sunt eiusmodi cauillatores ofuciarumque artifices, ut potius grauem mereantur censuram.

337 Indigni sane Principis clementia fuerunt Mediolanenses, qui Friederico, Imperatori, se iurasse quidem, sed iuramenti obseruationem non promississe, obiecerunt.

338 Periurus utique fuit Comes de Fuentes, quod iuramento quidem sese obstrinxerat, se nec peditem, nec equitem, contra Gallos pugnaturum, ad Regiam tamen Rupem praelio, sella gestatoria uectatus, interfuit.

339 Impia, non Regia, actio cenferi debet, qua Carolus VIII. Galliarum Rex, iuratum Florentinis de reddenda Pisarum urbe fidem eo elusit, quod Pisanis iureiurando contrarium prius esset promissum.

340 Nullus itaque in iuramento cauillationibus est locus, nullus aequiuocationibus tacitisue explicationibus.

341 Quaecunque arte uerborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit, c. quaecunque art 22. qu. 5.

342 Patet hinc, talem ex mente deferentis faciendam esse iuramenti interpretationem, qualem negotii natura et indoles postulat.

343 Scilicet, modo extensiuu locum habet, modo restrictiuu,

prout uel ratio et sententia iuramenti latior est uerbis, uel uerba latius patent, quam sensus et ratio.

344 Prior in iis potissimum casibus obtinet, ubi commodum eius, cui iuratum est, uertitur.

345 Quo pertinent exempla, paulo ante allata, de fide a Mediolanensibus et Comite de Fuentes.

346 Posterior admittenda est, quando iuramentum, ab odio, praecipitantia, aut seruire, profectum, in malum alterius tendit.

347 Tale erat iuramentum Israëlitarum, quia, nulli Beniamitarum suas se filias in matrimonium duros, iurauerant, Iudic. XXI.

348 Et recte etiam Guilielmus III. M. B. Rex iuramentum, de extirpandis haereticis praestitum, stricta hac interpretatione temperabat, quod persecutionis necessitas ipsi non sit imposita.

349 Caeterum, an stricta iuramentorum interpretatio secundum conscientiam teneram sit periurium, erudita commentatione disquisiuit Speiserus.

350 Diximus autem, iuramentum uerbis, clare et perspicue conceptis, constare debere.

351 Ideo nempe, ut cauillandi, uel ultra receptum loquendi modum iuramenti significationem extendendi, occasio praeripiatur.

352 Adeoque et facilius fieri possit iuramenti interpretatio, et certius eiusdem obtineri finis.

353 Qui finis cum duplex sit, ueritas et fides, duplex etiam hinc datur iusiurandum, assertorium et promissorium.

354 Assertorium est, quo facti nondum liquidi ueritas adstruitur, promissorium uero, quo pactum, uel promissum, confirmatur.

355 Quamquam alii hanc diuisionem etiam a diuersitate obiecti ducant, quod scilicet uel praeteritum aliquid est, seu factum, uel futurum, seu faciendum.

356 Vtrumque autem iuramentum uarias sub se complectitur species, a uario in negotiis ciuilibus usu prouenientes.

357 Ad promissorium pertinent homagium, uasallagium, iuramentum fidelitatis, renunciatorium, cautio iuratoria, etc.

358 Quorum censu etiam uenit iuramentum Academicum, de cuius usu et abusu multa disputari solent, ut infra dicemus.

359 Asser-

359 Assertorium uel super alieno negotio praestatur, uti iuramentum testium, uel super proprio, et quidem uel deferente iudice, ut purgatorium, et suppletorium, uel deferente parte, quod iudiciale in specie dicitur.

360 Addunt alii iuramentum mixtum, quod et promissionem, et assertionem, contineat.

361 Caeterum, ratione causae et formae, iuramentum aliud est publicum, aliud priuatum, quoddam interpretatiuum, quoddam formale, idemque uel uerale, uel corporale.

362 De quibus aliisue iuramenti speciebus iuris ciuilibus Doctores ex instituto agere solent.

363 Cognata iuramenti sunt adiuratio et asseueratio, iuramento aequipollens.

364 Adiuratio est obsecratio religiosa, qua quis alterum, interposito nomine ac mandato Dei, ad certam praestationem adigit.

365 Idque duplici praecipue modo, uel imperando ac iubendo, uel precando et adhortando, prout adiurans uel superior fuerit, uel inferior, aut aequalis.

366 Differt autem adiuratio a iuramento potissimum ratione effectus, cum tantam ad obligandum uim non habeat, quanta inest iuramento.

367 In eum quippe finem adhiberi solet, ut uel maior adiuranti auctoritas concilietur, uel maior in adiurato excitetur metus.

368 Neque tamen temere tali utendum est adiuratione, ne uel Numinis reuerentia laedatur, uel adiurati conscientia perturbetur.

369 Asseueratio, seu promissio, uice iuramenti facta, est, qua quis, datam a se fidem tam sancte se seruaturum, pollicetur, quam si iureiurando eam confirmasset.

370 Qualis quidem affirmatio iniurata eandem obligandi uim habet, ac iurata.

371 Attamen uiolatio eius perinde, ac periurium, in foro humano puniri nequit.

372 Quanquam promissor, talem frangendo fidem, tantum suae detrahit famae, quantum periurus, peierando.

373 Praesertim, si promissio a persona honoratiore, uel illustriore,

sub uerbis honoris (bey Fürstlicher, Gräfflicher, Adelicher Treu und Ehre) fuerit facta.

374 Similem quippe loquendi formulam iuramento esse aequiparandam, erudite demonstrarunt Zollius et Müllerus.

375 Et uerba Caesareae Maiestatis pro iuramento esse habenda, Archiepiscopus quidam Colonienſis aſſeruit, teſte Cranzio.

376 Contraria iuramento ſunt periurium et remiſſio.

377 Periurium eſt delictum, quo quis ſciens uolensque uel uerum pro falſo, aut falſum pro uero, iurato aſſeruat, uel fidem, iureiurando confirmatam, fallit.

378 Quam horrendum, quamque monſtroſum ſit peccatum hoc, inde patet, quod et temerariam ſanctiſſimi Numinis prouocationem, adeoque ſummae Maiestatis læſionem, et dolofam hominis deceptionem complectatur.

379 Quo quidem nomine grauiſſimis merito poenis, cum diuinis, tum humanis, ſubiectum cenſeri debet.

380 Praeſertim, cum in omnium feratur iniuriam, quod in religionem diuinam committitur l. 4. §. 1. C. de haeret. et Manich.

381 Et interſit Reipublicae, ne mali impunitate exempli periuriis aperiat uia, c. 3. X. de cohab. Cleric. et l. 1. C. de indict. uiduit. toll.

382 Contemptam iuriſiurandi religionem ſatis Deum ultorem habere, ait Imperator, Alexander, l. 2. C. de reb. cred. et iurei.

383 Et iuramenti abuſum aequae, ac blaſphemiam, aliaque delicta, Dei iram prouocare, et famem, terrae motus, peſtilentiam, plurimaque huius generis mala, poſt ſe trahere, ſcribit Juſtinianus in Nou. 77. c. 1. §. 1.

384 Quam grauem Deo immortalī, periuria et cruenta parricidia uindicanti, poenam dederit Ptolomaeus, Ceraunus, a Gallis regno ſpoliatus, ferroque interfectus, memorat Juſtinus.

385 Et triſtiſſimum periurii, etiam poſt mortem puniti, exemplum habet Vffelmanus.

386 Nec legibus humanis inultum ullibi manſit periurium.

387 Equidem ciuili Romanorum iure dignitatem amittit periurus, et infamia notatur, l. 17. C. de dignit. et l. 41. C. de tranſact.

388 Imo, ut, ſuſtibus caſtigatus, dimittatur, et ita ei ſuperinducatur,

dicatur, temere ne iurato (προπρωτῶς μὴ ὀμνῶν) ex Imperatoris praescripto, iubet Vlpianus l. 13. §. ult. ff. de iureiur.

389 De quibus, aliisque, poenarum generibus, praeter Schneidewinum, Carpzouium, similesque Doctores, legi in primis merentur Beckius et Gerhardt.

390 Remissio est obligationis iuratae relaxatio, uel ab eo, in cuius fauorem, obsequium, aut emolumentum fuit iuratum, uel a superiore, iustam ob causam, facta.

391 Vtriusque generis remissio, modo circumstantiarum, hic considerandarum, ratio ferat, naturali utique lege licita censi debet.

392 Ab eo quidem, cuius praecipue causa alter iuramentum praestitit, id, quod iureiurando debetur, remitti posse, tanto minus est dubium, quanto certius constat, cuilibet integrum esse, de iure suo cedere, et debitum alteri condonare.

393 Superior autem, uti actionibus, suae potestati subiectis, uim obligandi modo praestare, modo adimere potest, ita iusiurandum quoque, uelut accedens iis uinculum, laxandi potestatem habet.

394 Cum enim imperantis sit, ciuium suorum actiones rite legibusque conuenienter dirigere, pacta etiam, eaque iurata, suo metiri debet iure.

395 Ita nimirum, ut ea, prout uel probanda, uel improbanda, fuerint uisa, etiam rata habere possit, uel rescindere.

396 Adeoque et iuratae priuatorum conventiones, circa res indifferentes, h. e. lege diuina nec praecipuas absolute, nec prohibitas, factae, eatenus ualent, quoad superiorum iuri non derogant.

397 Hoc quippe ius exceptum semper censi debet, ideoque approbatio superioris, tanquam conditio tacita, supponi.

398 Non secus, ac uota consensu superiorum, e. g. parentum, mariti, aut patris familias, niti oportet, nisi irrita esse debeant.

399 Quoties itaque actus, iuramento firmatus, a Principis potestate dependet, iuramentum perinde, atque ipse actus, a Principe, si iusta suppetat causa, effectu priuari potest.

400 Idque duplici, ut Grotius loquitur, respectu, tum eius, qui iurat, tum illius, cui iuratur.

401 Priori quidem respectu, uel antecedenter, si iuramentum prius,

prius, quam praestetur, iuraturum interdicatur, uel consequenter, si, postquam praestitum, obligatio remittatur, aut iuramentum, ob defectum facultatis, nullum declaretur.

402 Posteriori autem respectu, si, uetita rei iuratae acceptione, ius, ex iureiurando partum, tollatur.

403 Est autem superior, qui iustum in alios imperium tenet, seu iustas iubendi causas, et sufficientes cogendi uires habet, ut supra docuimus.

404 Talis cum Papa Romanus in toto Christianorum orbe neutiquam existat, frustra etiam quæuis relaxandi iuramenta potestatem sibi arrogat.

405 Quare absolutiones, temere ab eo factas, et iuramentorum sanctitati, et aliorum Principum auctoritati, repugnare, hocque nomine nullam prorsus efficaciam habere, recte statuunt Doctores.

406 Praelertim, cum talis potestas seculari potius iudici, quam ecclesiastico, conueniat, ut erudita hoc inter alia commentatione probauit Carpouius.

407 IV. *Controuersiae* illustriores, quae moueri hic solent, sunt:
(1) An uniuersalis existat lingua, aut unquam extiterit?

408 Talem, ante *γλωττοσύγχυσιν* Babyloniam, Ebraeam fuisse linguam, peculiari quidem exercitatione probare studuit Pfeifferus, alii uero Arabicam, ut Ebraea multo ditiorem, pro primæua agnoscunt.

409 (2) An reus ad dicendam in iudicio ueritatem, seu confitendum iudici delictum, sit obstrictus?

410 Cum iudex, suo, ut par est, officio fungens, ad cognoscendam ex reo ueritatem ius habeat, huius confessionem utique necessariam existimamus, eos nequicquam morati, qui inter damnum et reatum hic distinguunt, et istud, non hunc, confitendum esse, disputant.

411 (3) An iuramentum lege naturali sit praeceptum, an prohibitum, an licitum?

412 Equidem non prohibitum, neq; tamen absolute praeceptum, sed licitum iure naturae est iuramentum, potest tamen, pro necessitate, ex rerum circumstantiis proueniente, ad praecepta nonnunquam referri.

413 (4)

413. (4) An Atheo iuramentum deferri possit?

414 Si quis talis Atheismi, quo existentia Dei, aut prouidentia negatur, sit conuictus, iuramentum ab eo exigere stolidum omnino nos putamus, quascunque alii foueant opiniones, de quibus legi possunt Menckenius, Villenbergius, Halwachsius, alique.

415 (5) An in alterius animam quis iurare possit?

416 Mandatarium, speciali ad iurandum mandato instructum, circa tale, quod alius curare potest, negotium, e. g. pactum, hoc facere posse, plerique Doctores, non sine ratione, asserunt, dissentiente quamuis Stryckio.

417 (6) An omne iuramentum sit seruandum, quod, salua salute aeterna, seruari possit?

418 Sic quidem, in Cleri Romani fauorem, cum multis statuit Röslerus, genuinum uero huius brocardici sensum erudita commentatione exposuit Ludouici.

419 (7) An iuramentum de certa religione seruanda, salua conscientia, uiolari possit?

420 Si iuratus religionem, cui iuramento sese adstrinxit, talem esse, agnoscat, ut tranquillam in ea conscientiam spemque salutis habere non possit, puriorem utique et certiore amplecti licet, uid. hic Halwachsius, Riperus alique.

421 (8) An testamentum, iuramento firmatum, nouo aboleri possit?

422 Si testator clausulam iuratoriam bona adiecerit intentione, tabulae testamenti mutari non debent, sin. mala, e. g. ex odio et uindicta, mutari possunt, modo seria agatur poenitentia, et conscientia seruetur tranquilla.

423 (9) An Franciscus I. Galliarum Rex, contra datam a se fidem, in carcerem non redeundo, periurium commiserit?

424 Cum iurati conditiones pacti nec moraliter, nec naturaliter, impossibiles fuerint, uix excusari potest iuramenti uiolatio.

425 (10) An actus aliquis, contra iuramentum susceptus, et irritus simul, et illicitus esse possit?

426 Talis utique existit, quoties iuramento non sola fides, ratione certi actus, fuit obstricta, sed potestas etiam, seu facultas, actum istum perficiendi, plene abdicata.

427 V. *Scriptores* partim de sermone obseruandisque circa eum officiis generatim tractant, partim de iuramento speciatim.

428 Prioris generis sunt: (1) Vffelmannus (2) Röhrensee (3) Titi-
tius (4) VVernherus (5) Voglerus (6) Placette (7) Stahlius (8)
Praschius (9) Abichtius (10) Schüzius (11) Gerdesius (12) Morhofius
(13) Ludouici etc.

429 Posterioris uero: (1) Sanderfonius (2) Thummius (3) Strycki-
us (4) Mirus (5) Nicolai (6) Zentgraeuius (7) lägerus (8) Wernhe-
rus (9) Röhrensee (10) Moehringius, aliique, quorum nonnullos
allegat Kulpisius.

430 VI. *Axiomata* sunt: (1) Diuina certe praestantissimaque ha-
beri debet facultas illa loquendi, quam summus rerum archite-
ctus homini concessit.

431 (2) Hac enim Rationis dictata promere, mentem expli-
care, Creatoris laudem efferre, hominum studia nobis conciliare,
confortia iungere, uitaeque necessitates omnes parare possumus.

432 (3) Danda igitur sedulo est opera, ut ad debitos semper usus
adhibeatur oratio.

433 (4) Nihil temere loquendum est, sed omnia bene cogitanda.

434 (5) Nam hominis character est sermo, et lingua animi index.

435 (6) Vt in speculo facies, ita in sermone animus cognosci
potest.

436 (7) Praesertim cum lingua lubricum sit organum, incauto
nocens homini.

437 (8) Quare fatui cordis stultitiam lingua produnt, sapientes
iudicio uerba metiuntur.

438 (9) Areopagitarum lege sancitum erat, nihil dicere, nisi quod
ad rem pertineret.

439 (10) Optimum sane praeceptum, ac sedula obseruatione
tanto dignius, quanto utilius.

440 (11) Etenim tantum quis a turpitudine abest, quantum a
futilitate linguam cohibet.

441 (12) Non, nisi quae decent, audire cogitur, qui ea tantum,
quae decent, et ubi decent, loquitur.

442 (13) Imitandus proinde est Cato, qui nunquam uerbum ali-
quod emisisse dicitur, quod emissum doluisset.

443 (14)

443 (14) Maxime uero orationem commendat ueritas, dedecorat mendacium.

444 (15) Nam, ut illa mentis diuinae est perfectio, ita hoc infernalis genii est ludibrium.

445 (16) Artaxerxes, Persarum Rex, mendacis linguam triplici affigi clauo, imperauit.

446 (17) Seuera profecto poena, nec tamen iniusta.

447 (18) Nam repugnat mendacium naturae, laedit maiestatem Dei, tollit fiduciam, amorem et societatem inter homines.

448 (19) Immo summam affert perniciem, si temerario sit periurio.

449 (20) Cum enim sancta sit iurisiurandi religio, non, nisi exitiosa, esse potest eiusdem uiolatio.

450 (21) Impia proinde uox est, pueros talis, uiros iuramentis esse decipiendos.

451 (22) Optare potius debebamus, ut ubique et parcissimus, et cautissimus, esset iuramentorum usus.

452 (23) Hinc enim et certior inter homines fides, et maior oriatur felicitas.

453 (24) Ingrauescens quippe malitia, et enatus inde deceptionis metus, introducendis primum iuramentis occasionem dedit.

454 (25) Praesertim cum crebrae hominum lites, adhibito demum iuramento, finiri posse credantur.

455 (26) Nam maximum litium expediendarum remedium in usum uenit iurisiurandi religio, ait Gaius in l. i. ff. de iureiur.

INSPECTIO II.

DE

I. N. CIRCA PACTVM.

I. *Origo.* II. *Definitio.* III. *Causa efficiens.* IV. *Forma.* V. *Materia.* VI. *Effectus.* VII. *Diuisio.* VIII. *Firmamenta.* IX. *Modi soluendi.* X. *Axiomata.*

I I.

O *Origo* pactorum debetur necessitati rerum ad sustentationem commoditatemque uitae aptarum.

2 Cum enim harum copia ex iis, quae sola humanitate praestari solent, non suppetat, conuentione opus est, qua et indigentiam suam homines significare, et mutuam alii ab aliis opem impetrare possint.

ZZ 2

3 Scili-

3 Scilicet praecipit quidem Ius Naturae, ut homo homini non innoxiae tantum utilitatis officia, sed beneficia etiam ad coniunctionem perinde, ac uiuendi rationem, necessaria, exhibeat.

4 Verum, nec praestantur talia ab omnibus, nec sufficienti debitoque semper modo praestari possunt.

5 Nam multi, pro ea, qua laborant, malitia, uix singularibus suis amicis, nedum aliis, benefacere sustinent.

6 Aliqui, suis tantum commodis intenti, nec nosse aliorum necessitates curant, nec sua sponte easdem subleuare, nisi aequiualens quid (ισόπορον) accipiant.

7 Quidam adeo mediocri sunt fortuna, ut difficillime, uel plane non, iis careant rebus, quibus alii indigent.

8 Nonnulli tales existunt, quibus beneficia ab aliis accipere, hocque sese nomine obligare, nec honestas, nec dignitas, permittit.

9 Multarum praeterea rerum actionumque humanarum ratio ita est comparata, ut, nisi uicissim aliud quippiam praestetur, obtineri nequeant.

10 Quem quidem in finem pacto utique opus est, quo mutua declaretur uoluntas, et certa ineatur ratio.

11 Nec alia datur uia ruptam inter gentes societatem resarciendi, aut, confecto bello, reducendi pacem.

12 Quid? quod communio fere omnis singulorum pariter, atque uniuersorum, hominum pacto fundatur, firmatur, conseruatur.

13 Proinde generale est nomen pacti, latissime patens, usumque suum longissime diffundens.

14 Cuncta sub se foedera, conuentiones quaslibet omnisque generis, ut dicuntur, contractus complectitur.

15 II. *Definitur* uulgo pactum per duorum pluriumue in idem placitum de dando, uel faciendo, consensum.

16 Aliis dicitur duorum pluriumue consensus, obligationis uel constituendae, uel tollendae, causa, licite datus.

17 At nobis est actus humanus, quo duo, uel plures, ad paciscendum habiles, de re, aut actione, aliqua possibili, animo rite, declarato, ita consentiunt, ut eius praestandae, uel non praestandae, obligatione tamdiu teneri uelint, donec placitis ea modis soluantur.

18 Quae

18 Quae quidem definitio tam plena uidetur, ut, quicquid de pacto amplius nunc obseruandum fuerit, inde quodammodo fluat.

19 III. *Causa efficiens* pacti est homo, unde humanus dicitur actus, seu moralis, quem homo, ut creatura rationalis, certis legibus subiecta, perficere potest.

20 Adeoque pactum proprie homini cum homine intercedit, et inter homines obtinet, utpote qui hac demum uia ad praestandas res debitas adigi possunt.

21 Improperie autem et per analogiam inter Deum quoque et hominem pactum, seu foedus, iniri dicitur, de quo legi inprimis merentur Hochstetterus, Buddeus et laegerus.

22 Qua ratione cum daemone etiam pactio fieri possit, supra discussuimus.

23 Homines autem, rite pacturos, habiles esse oportet, seu idoneos, et paciscendi facultate instructos.

24 Quae quidem facultas ea omnia complectitur, quae ad praestandum legitime consensum requiri, mox dicemus.

25 Cum enim pactorum uis consensu nitatur, is demum pacisci potest, qui consentiendi facultate pollet, uel pollere censetur.

26 IV. *Forma* igitur pacti, seu ratio formalis, in mutuo, eodemque certo, serio ac libero, consensu est posita.

27 Consensus autem est unanimis de re, aut actione, aliqua praestanda, uel non praestanda, uoluntas.

28 Quae ubi debito sufficientique modo est declarata, pactum existit, seruandique id, quod pactum est, necessitas.

29 Hinc enim proximam obligationis causam esse ducendam, infra probabimus.

30 Vt autem iustus ad constituendum pactum consensus adhiberi possit, tria potissimum requiruntur.

31 (1) *Facultas naturalis*, quae in pleno Rationis usu consistit.

32 Ita ut paciscens negotium, de quo agitur, et intellectu plane cognoscere, et uoluntate libere eligere, uel respuere, possit.

33 Cum enim consensus sit actus uoluntatis, uoluntas autem intellectus sequatur iudicium, utraque omnino facultas hic concurrat, necesse est.

34 Non igitur uere consentire, nedum proprie pacisci possunt
(a) infantes, aut pueri, ut pote qui naturalem hanc facultatem non-
dum exerere possunt.

35 Minorum quippe consilium fragile est et infirmum, et mul-
tis captionibus obnoxium, l. i. ff. de minor.

36 Quo uero aetatis anno ad paciscendum idonei sint habendi,
naturali quidem Iure definiri nequit.

37 Si quidem alii celerius, alii tardius iudicii maturitatem asse-
quuntur.

38 Prout scilicet uel temperamenti, uel climatis, uel educationis
et institutionis ratio est comparata.

39 Hoc respectu pueri Normanni et Longobardi uocantur cal-
lidi in gl. ad l. 4. §. 2. ff. de usucap. Hispani autem uersuti in gl. ad
l. 6. C. de dol.

40 Eaque propter plenus Rationis usus non tam aetate, quam
actionibus quotidianis, aut communi cuiusque regionis indole, est
metiendus.

41 Attamen leges ciuiles, quo litis materiam subtrahant, idcirco
certum hic statuunt terminum, masculis decimoquarto, foeminis
autem duodecimo anno pubertatem adiudicantes.

42 Quem in finem imbecilliori quoque aetati non tutoribus tan-
tum, sed et curatoribus, uelut actionum, rite perficiendarum, re-
ctoribus, prospiciunt.

43 Salutari certe consilio, cum naturali Iuri sit conueniens, ut is,
qui perfectae aetatis non sit, alterius tutela regatur §. 6. l. de Attil.
tut. et pr. l. de curator.

44 Quare, ut tutorum auctoritas in impuberum negotiis, ita
curatorum consensus in pactionibus puberum, seu minorennium,
non iniuste requiritur.

45 Quamuis enim minores perinde, ac foeminae, si, quod agunt,
intelligant, tales inire possint conuentiones, quae Iure Naturali
consistant.

46 Atque adeo restitutione in integrum ad eas, ubi laesio quae-
piam fuerit facta, rescindendas non opus esse uideatur.

47 Tamen non ciuili modo, sed naturalis etiam ratio hanc Iuris
Ciuilis prouisionem utique suadet.

48 Ideo

48 Ideo scilicet, ne imperfectioris aetatis infirmitas, aut sexus imbecillioris fragilitas homines improbe callidos ad decipiendum alliciat.

49 Quod si enim adolescentum ac foeminarum facilitate impune abuti liceret, infinitis certe fraudibus ac noxis, quaeque inde nascerentur, querelis ac litibus aperiretur campus.

50 His vero omnem potius uiam occludi, et humanae refert societatis, et communis in republica quietis.

51 (β) Amentes, seu mente capti, aut de statu mentis deiecti.

52 Cum enim tales nullum negotium intelligant, nec consensum ad constituendum pactum sufficienter praebere possunt.

53 Ac proinde iis non minus, quam infantibus, curatores salutari legum consilio dari solent.

54 (γ) Furiosi, h. e. qui cum ferocia et horrenda actionum uehementia perturbationem Rationis, mentisue alienationem exerunt.

55 Hi quippe tantum abest, ut rei ullius cognitionem assequi, ullumque consensum praestare possint, ut contra omni et intelligentia, et uoluntate destituti, adeoque ignorantes et plane quiescentes censi debeant.

56 Quamdiu scilicet tantus dementiae excessus durat, nec furor certo interrumpitur tempore.

57 Nam, redeunte per interuallum Ratione, et negotium paciscendum cognosci, et consensu firmari potest.

58 Dilucidum uero interuallum requiritur, non furor latens, seu talis, quo furiosus in conspectu inumbratae quietis sit constitutus, ut loquitur Ictus in l. 18. §. 1. ff. de acquir. uel amitt. possess.

59 (δ) Dormientes, seu somno sopiti.

60 Cum enim inter dormiendum sensus omnis motusque langueat, adeoque Ratio suas operationes rite perficere non possit, nec intelligendi consentiendique facultatem, dormiens adhibere potest.

61 Quapropter et ridicule, et iniuste, fecit Caligula, quod in auctione publica Aponio Saturnino, uiro praetorio, inter subsellia auctionantium dormitanti, et crebro capitis motu nutanti, tredecim gladiatores sesterium nonagies adduci, iussit, teste Suetonio.

62 (ι) Ebrii

62 (1) Ebrii, seu potu immoderato capti, crapulae pleni, adeoque mentis potestate destituti.

63 Cum enim tales, quid agant, uel dicant, plane ignorent, nec apti ad paciscendum iudicari possunt.

64 Ideoque, quicquid ex tali ebrietate fuerit pactum, nullam obligandi uim habet, nisi, discussa crapula, a sciente ac uolente ratum habeatur.

65 (2) Facultas moralis, seu potestas, a legibus concessa.

66 Si nimirum persona aequae, ac res, ita se habet, ut, permittente lege, seu salua uoluntate superioris, ab illa circa hanc consensus aliquis dari possit.

67 In primis ergo requiritur liberum rerum et actionum arbitrium, utpote quo omnis in omni contractu consensus inniti debet.

68 Quare is consentire, aut pacisci, nequit, cui dominio, uel bonorum possessione, aut administratione, est interdictum.

69 Tales enim res non aliter sunt comparatae, quam res alienae, de quibus alter pro arbitrio suo disponere nequit, ut mox dicemus.

70 (3) Exercitium utriusque facultatis, tale nimirum, quo serio ac libere consensus declaretur, aut rite declaratus iudicetur.

71 Seria debet esse declaratio, ideoque iocus consensui aduersatur, quia iocans non obligandi, sed delectandi, animum habere creditur, modo negotii natura iocum admittat.

72 Liberum oportet esse consensum, siquidem nullus actus obligationem inducere potest, nisi a sciente ac uolente sit peractus.

73 Quare dolus, uis, metus et error, cum consensum quodammodo inuoluntarium reddant, etiam obligationem, inde profectam, impedire censentur, ut infra dicemus.

74 Vario autem modo consensus declarari potest, et quidem (a) ratione subiecti, uel immediate, uel mediate.

75 Immediate, quando ipsi paciscentes in idem placitum consentiunt, siue expresse, siue tacite, unde consensus dicitur expressus, uel tacitus.

76 Expressus est, qui per certa signa, uti uoces, literas, aut nutus, declaratur.

77 Tacitus est, qui ex silentio, cum certis circumstantiis considerato,

deraro, uel etiam ex certo facto, uel non facto, colligitur.

78 Pertinet huc nota in uulgus regula, qui tacet consentire uidetur, h. e. qui actum contradicendo impedire potest, et debet, nec tamen impedit, habetur pro consentiente.

79 Oritur hinc pactum tacitum, cuius exempla passim occurrunt, e. g. in l. 2. §. 1. ff. de pact. in l. 51. princ. ff. locat. in l. 12. ff. de spons. in l. 28. ff. de V. S. etc.

80 Ethuiusmodi pactum etiam principali saepissime adhaeret, quando nimirum ex ipsa rei natura prouenit, e. g. euictio rei uenditae, hypotheca tacita, etc.

81 Diuersus autem a tacito est consensus praesumptus, qui ex ipso negotio, in alterius, nec scientis tamen, nec mandantis, fauorem, uel commodum, luscepto, arguitur, seu infertur.

82 Vocatur alias fictus et interpretatiuus, quia fingitur a legibus, factum aliquod, pro necessitate, aut utilitate, ita interpretantibus, quasi alter, etiamsi rem nec sciuerit, nec scire potuerit, in illud confensisset.

83 Talis statuitur in administratione tutelae, negotiorum gestione, aliisque, ut iuris ciuilibus Doctoribus dicuntur, quasi contractibus, qui unius facto, et alterius praesumpto consensu nituntur.

84 Praeterquam uero, quod consensus praesumptus et tacitus, ut fictus et uerus, differant, sequenti insuper ratione a se inuicem distare dicuntur.

85 (1) Ratione subiecti, cum consensus tacitus tribuatur scienti, qui rem nouit, aut nosse potest, praesumptus autem ignoranti, qui, quid agatur, nec scit, nec scire potest.

86 (2) Ratione fundamenti, cum consensus tacitus nitatur facto aliquo antegresso, ex quo colligi potuit, praesumptus autem inferatur sine eiusmodi facto.

87 (3) Ratione effectus, cum consensus tacitus non deroget expresso, praesumptus autem contra expressum saepe obtineat.

88 Sed quicquid discriminis hic intercedere dicitur, id omne ciuili magis iure, quam naturali, niti uidetur.

89 Mediate consensus praebetur per alios, certos nimirum uoluntatis internuncios, quales sunt institutores, procuratores, mandatarii, aut commissarii.

A a a

90 Qui

90 Qui quidem omnes eum utique obligare censendi sunt, cuius nomine consensum praestant.

91 Requiritur tamen, ut bona agant fide, datoque mandato conuenienter, utpote quo agendi pangendique facultas est metienda.

92 (3) Ratione adiuncti, uel pure et absolute, seu sine conditione, uel conditionate et restrictiue, seu cum conditione.

93 Est autem conditio nihil aliud, quam adiectio certi actus, aut euentus, quo demum praestito, aut subsecuto, pactio, seu conuentio, debitum sortitur effectum.

94 At, non impossibilis hic intelligitur conditio, sed possibilis, siue potestatiua sit, siue fortuita, siue mixta, h. e. siue ab humano pendeat arbitrio, siue a casu, siue ab utroque simul.

95 Possibilis eiusmodi conditio eam utique uim habet, ut pactio, cui adiicitur, prius, quam illa existat, ualere non possit.

96 Modo ne conditio paciscentis arbitrio relinquatur, adeoque eam perpetuo eludendi occasio detur.

97 Nec alter in culpa esse debet, quo minus conditio impleri, et, quod praestandum est, praestari possit.

98 Quod si enim alter impletionem interuertit, conditio habetur pro impleta, arg. l. 31. ff. de condit. et demonstrat.

99 Contra, conditio impossibilis, siue naturaliter fuerit talis, siue moraliter, h. e. turpis, actum, cui adiicitur, omnino uitiat.

100 Quod quidem tam ciuili, quam naturali iure in pactis, seu contractibus, obtinet, non autem in ultimis uoluntatibus.

101 His quippe si conditio impossibilis fuerit adiecta, ea iure ciuili habetur pro non adiecta.

102 Ideo scilicet, quod testamenta a sola testatoris uoluntate pendeant, adeoque conditio absurda ab eo, cui iniuncta est, impediri non potuit.

103 Verum, in contractibus utriusque paciscentis uoluntas requiritur, eoque nomine sibi imputare debet, qui talem conditionem admisit.

104 Quod si igitur conditio naturaliter fuerit impossibilis, paciscentes non serio agere, sed iocari uoluisse censentur, quoniam ad ea, quae uires humanas superant, nemo, nisi insanus, serio sese obligare solet.

105 Sin

105 Sin moraliter talis fuerit, id, quod pactum est, adeo non ualidum censeridebet, ut et talem conditionem admittens in legem naturae grauitur peccet.

106 Quae enim honestati repugnant, aut legibus bonisque moribus aduersantur, ea nullo modo in pactum, seu conuentionem, cadere possunt.

107 V. *Materia* igitur pacti sunt res et naturaliter et moraliter possibiles, seu tales, quas homo, permittente lege, uiribus humanis praestare, et de quibus, pro eo, quod in illas habet, dominio, libere disponere potest.

108 His opponuntur res impossibiles, caeque pariter uel naturaliter, uel moraliter tales.

109 Res naturaliter impossibiles dicuntur, quae naturales hominum uires superant, adeoque nec pacto promitti possunt, cum impossibilium nulla sit obligatio.

110 Dispiciendum tamen hic est, utrum res tempore pacti fuerit impossibilis, an, interiecto post tempore, talis sit facta.

111 Priori enim casu si promittens hoc sciuerit, et nihilominus promissionem fecerit, damnum, inde ortum, alteri resarcire debet.

112 Sin neuter, uel uterque, uel solus creditor id nouerit, nulla obtinet obligatio.

113 Posteriori autem casu, si impossibilitas dolo, uel culpa, promittentis superuenerit, damni reparatio utique est praestanda.

114 Sin casu, obligatio quidem cessat, promittens autem id, quod forte datum est, uel praestitum, reddere, aut tantundem pro eo praestare debet, ne alter damni quicquam immerito patiatur.

115 Quod tamen de iis duntaxat negotiis est accipiendum, quibus nullum rei dominium ad alterum transfertur.

116 In iis autem, quibus de dominii translatione agitur, casum sustinet dominus, seu res perit suo domino, permanente nihilominus pacto.

117 Res moraliter impossibiles sunt res turpes, aut illicitae, quarum praestationem lex prohibet.

118 Ad tales igitur, ex regula saepius adducta, nulla datur obligatio, quoniam in res, a lege uetitas, nullum nobis ius competit, adeoque nullum in alterum transferri potest.

Aaa 2

119 Nul-

119 Nullum pactum inter eos uideri, uolumus, subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente., scribunt Imperatores, Theodosius et Valerius, l. 5. C. de LL.

120 Et rei turpis nullum esse mandatum, dicit Vlpianus in l. 6. §. 3. ff. mandat.

121 Neque etiam alteri stolide uolenti id faciendum est, quod honestas prohibet, quanquam alioqui nulla uolenti fit iniuria.

122 Hoc sensu nullam ueneni mali esse mentionem, dicit Gaius in l. 35 §. 2. ff. de contrah. emt.

123 Nec soluenda est merces, pro turpi facinore promissa, quamuis aliter statuat Grotius, quem peculiari etiam dissertatione defendit Bodinus.

124 Non enim salarium sceleri est dandum, nec continuandum solutione peccatum.

125 Id tamen, quod turpem ob causam fuerit datum, tanquam indebitum, repeti nequit, nisi a Magistratu, qui fisco id addicere uelit, arg. l. 9. ff. de iur. fisc. et l. 134. §. 1. ff. de R. I.

126 Quoties enim utriusque, et dantis et accipientis, turpitudine subest, toties melior est conditio possidentis.

127 Sibi enim imputare debet, qui rem illicitam pactus, pretii ultro dati iacturam facit, eoque ipso aliquam delicti poenam luit.

128 Sin autem solius accipientis turpitudine uertitur, conditio ob turpem causam iure ciuili licet l. 2. ff. de condict. ob turp. caus.

129 Hoc enim casu aliquid datur, ne delictum fiat, adeoque dans nulla tenetur culpa.

130 Rerum moraliter impossibilium numero haberi possunt res alienae, de quibus nulla pariter ualet conuentio.

131 Quod enim quis non habet, id alteri dare non potest, et frustra promittuntur, quae praestari non possunt, t. t. C. de reb. alien. non alienand.

132 De se quemque, non de alio, promittere oportet, cum nemo ex contractu alterius obligetur, l. 83. pr. ff. de V. O. et l. 3. C. ne ux. pro marit.

133 Id quidem quis promittere potest, se operam daturum, ut hoc, uel illud, ab altero impetrari possit.

134 At

134 At talis promissio non tam factum alienum, quam proprium, extremum scilicet conatum, continet, §. 3. l. de inut. stipul.

135 Quod si uero quis eum in casum aliquid polliceri uelit, quo alterius ius exspirauerit, ualet promissio, nisi singularis quaedam rei sanctitas, e. g. coniugii, uasallagii, pactioni obstat.

136 Aliena etiam res censi debet ea, quae ita iam alteri est promissa, ut ille quaesitum in eandem ius habeat.

137 Quod si igitur duobus quid fuerit promissum, priori est praestandum, etiamsi posterior id iam possideat.

138 Sed ius ciuile, litium anticipandarum causa, ordinat, ut, facta rei traditione, negotium posterius firmum maneat, ex priori autem actio ad id, quod interest, detur. l. 15. C. de R. V.

139 Quae tamen dispositio praxi hodierna ita corrigitur, ut ille, qui rem alteri iam promissam sciens accepit, eandem ei, cui prius promissa fuit, restituere cogatur.

140 Id quod naturali omnino aequitati conuenit, cum nemo alteri ius semel acquisitum debeat adimere, aut rem, ex pacto debitam, denegando, alterum frustrari.

141 Hoc enim si liceret, quis, quaeso, alterius fide niti, quis ullum a pactis effectum expectare possit?

142 VI. *Effectus* autem pacti est obligatio, seu necessitas moralis praestandi id, quod mutuo consensu fuit placitum.

143 Eam ob causam pacta ineuntur, ut, quod antea uel plane non, uel imperfecto tantum iure, praestandum erat, id necessario et iure perfecto, ex consensu mutuo, praestari debeat.

144 Neque enim propior est ratio eiusmodi obligationis, quam quia paciscentes ultro in id consenserunt, quod euitare, uel omittere penes eosdem erat.

145 Quicumque igitur sciens ac uolens in rem aliquam consensit, is certe non habet, de quo conqueri possit, sed rei praestandae necessitate tenetur.

146 Semel, ratione rei pactae, libertati suae renunciauit, et alteri in eam ius concessit, ui cuius res illa non tantum postulari, sed, adhibita etiam coactione, a denegante exigi potest.

147 Tale igitur ius uoluntario consensu datum, altero inuito, sibi

rursus vindicare, quodque semel alterius esse uoluit, suum reddere non potest.

148 Quod enim ab initio est uoluntatis, ex postfacto fit necessitatis, et quod semel placuit, in alterius praeiudicium mutari non debet, l. 17. §. 3. ff. commodat. et c. 33. X. de R. l. in 6.

149 Initio quidem libera unicuique est potestas habendi, uel non habendi contractus, sed obligationi semel constitutae, altero non consentiente, nemo renunciare potest l. 5. C. de obligat.

150 Alioqui nemo certam rerum suarum rationem inire posset, sed alter ex alterius actu irritum laederetur, damnumque sentiret.

151 Laederetur quippe, si, quod legitimo sibi pacto acquisiuit, et, tanquam suum, suis iam usibus destinauit, eo carere deberet.

152 Quinimo pacta forent non-pacta, si praestandi exigendique id, quod pactum est, necessitas illis non constaret.

153 Naturae enim pactorum repugnat, praestandum aliquod ultro in se recipere, id tamen praestare nolle.

154 Patet hinc, quam sanctum sit iuris naturalis praeceptum de seruanda fide, quae uoluntaria obligatione legitime est pacta.

155 Quare nihil tam congruum fidei humanae esse, quam ea, quae inter homines placuerunt, seruare, dicit Vlpianus in l. 1. ff. de pact.

156 Et fidem fallere graue esse, idem pronunciat in l. 1. ff. de pecun. constitut.

157 Scilicet, adeo fidei semel datae habenda est ratio, ut ne perduelles quidem, aut hostes, nedum haereticos, aut infideles, pactis decipere liceat, prout singulari hoc dissertatione comprobauit Leuschnerus.

158 Hi quippe omnes in iuris naturalis communionem hoc magis uenire debent, quod, inito cum iis pacto, societatis, per bellum dissolutae, status redeat, dissensus autem in religione generis humani communitate neminem excludat.

159 Cum atheis uero, qui neque legem naturae, neque legislatorem, Deum, admittunt, nulla sanciri possunt foedera, adeoque frustra de fide iis seruanda disceptatur.

160 Nec utilitatis tantum, aut necessitatis causa seruanda sunt pacta, sed ex se, et sua natura, ut erudite id demonstrarunt Proeleus, Schowartus aliique.

161 Offici-

161 Officiunt tamen obligationi, ex pacto alias prouenienti, (α) Vis, aut metus, iniustus scilicet ratione inferentis, et iustus ratione patientis, existens, uehementemque animi complectens terrorem.

162 Denotat quippe metus uel suspicionem probabilem, qua aliquis, ab altero se deceptum iri, opinatur, uel commotionem animi, ex mali grauioris repraesentatione, aut comminatione, ortam.

163 Illa non ipsum quidem pactum infirmat, attamen causam praebet, cur cautio possit exigi.

164 Nec refert, utrum suspicio talis ex improbitate alterius nota, aut ex mala intentione, circa ipsum, quod agitur, negotium perspecta, oriatur.

165 Haec pacto utique uim adimit, cum eiusmodi metus ab altero iniuste incutiat, adeoque nec legitimus iuris acquirendi modus esse possit.

166 Nihil enim consensui tam contrarium est, quam uis atque metus l. 166. ff. de V. S. t. t. ff. quod met. caus. conf. singulares de hoc argumento dissertationes Vogellii, Rhetii, Schroeteri, Gundlingii aliorumque.

167 Quod quidem accipiendum est de metu, ab ipso pacifcente alteri iniuste illato, adeoque cum tali coniuncto iniuria, quae nullum promissionem acceptandi ius tribuere potest.

168 Sin autem metus a tertio fuerit incussus, pactum quidem ualeat, sed incutiens damnum, si quod euenerit, resarcire debet.

169 Nec tamen ad rescindendum pactum satis est, si metus ab ipso pacifcente, contra ius et fas, fuerit incussus,

170 Requiritur praeterea praesentissimum perinde, ac grauissimum malum, quod alteri intentetur, e. g. priuatio uitae, sanitatis, honoris, aut fortunarum.

171 Vt enim talis hinc oriatur metus, qui in constantissimum etiam uirum cadat, eundemque ad ea, quae alias nunquam fuisset facturus, commoueat, humanae naturae fert ratio.

172 Quod si promissum, metu factum, nouo consensu, siue uerbis, siue factis, praestito, ratum fuerit habitum, omnino ualeat.

173 Diuersus igitur est talis metus ab illo, qui reuerentialis uulgo dicitur, a reuerentia scilicet, aut ueneratione, quae semper quidem metus

metus aliquid pudorisque admixtum habet, uolentia tamen caret.

174 Ac proinde actum non reddit inuoluntarium, aut irritum, quoniam is, qui ex reuerentiae metu consentit, officium suum uidetur sequi, suamque uoluntatem ei, quem reuereri debet, uti par est, submittere.

175 Quo igitur iure alteri metum inferre licet, eodem id etiam persequi, fas est, quod metus effecit, uid. hic dissertatio Willenbergii.

176 Neque etiam pactioni obest metus, ab hoste iniectus, utpote cui nullum uis iniustae uitium subest, cum quicquid iure belli, seruatis gentium institutis, fit, iuste fieri censeatur.

177 Quod nisi concederetur, fieret, ut pleraque belligerantium foedera ideo impugnarentur, quod metu hostili fuissent extorta.

178 Cum autem humani intersit generis, ut finis ac modus statuatur bellis, seruanda etiam sunt pacta, quae uictor inferiorem conditionibus non omnino aequis inire cogit.

179 Praesertim si iustum fuerit bellum, iustumque deliberandi tempus ante pacificationem concessum.

180 Quod autem quaelibet pacta, metu extorta, ita ualere, multi contendunt, ut promittens quidem eis obstringatur, is uero, qui metum intulerit non iustum, obligationem debeat remittere, uana est assertio, Iuris Romani subtilitatem redolens.

181 (3) Error, seu opinio ueritati contraria.

182 Quando nimirum paciscens, id neutiquam adesse, deprehendit, quod in paciscendo maxime spectabat, seu rem pactam aliam esse, cognoscit, atque eam, cum pacisceretur, et uolebat esse, et putabat.

183 Necessesse igitur est, ut qualitas illa, circa quam error contigit, per modum conditionis expressae sit adiecta, uel saltem, ut conditio tacita, ex natura negotii, more gentium, institutisue loci, ante intellecta.

184 Quae si ita se habeant, error pactum omnino infirmat, cum, deficiente conditione, deficiat etiam consensus, conditione subnixus.

185 Non enim consentire uidentur, qui errant, et nihil tam contrarium est consensui, quam error, l. 116. §. 2. ff. de R. I. et l. 15. ff. de Iurisdict.

186 Contra, si talis conditio haud subsit, et error in accidentalibus

bustantum uersetur, pactum iure naturali ratum omnino manet.

187 Erroris enim culpa ei non potest assignari, qui nullam errandi causam praebuit.

188 Sibimet ipsi potius imputare debet, qui, mente non satis declarata, uel ratione non bene subducta, inconsiderantiae dat poenam.

189 Proinde, qui, rem meliorem esse, putauit, quam eandem postea deprehendit, se ipsum decipere dicitur l. 1. §. 6. ff. quod falso tut.

190 Propositum enim in mente retentum nihil operatur, et iura uigilantibus, non dormientibus, aut negligentibus, subueniunt l. 7. C. de condict. ob caus. dat. et l. 24. ff. quae in fraud. cred. etc.

191 Et male ageretur inter homines, si rumpendis conuellendisque pactis quilibet error praetendi posset.

192 Nunquam enim defuturi essent, qui, rebus uoto imparibus, ad errorem recurrerent, causaeque inde peterent remedium.

193 Equidem diuerso pariter modo hic philosophantur leges citiles, actionibus, exceptionibus aliisque ambagibus indulgentes.

194 Sed naturali potissimum simplicitate aestimari potest, quicquid inuiti prorsus subtilitate de errore traditur.

195 (γ) Dolus, seu malitiosa calliditas, ad decipiendum alterum damnumque afficiendum adhibita, prout supra diximus.

196 Eiusmodi fraudulentia, si inter ipsos paciscentes intercesserit, pactum omnino uitiatur.

197 Qui enim dolo alterum circumuenit, iniuriam facit, unde nullum ius acquirere potest, cum malitia nemini debeat patrocinari, aut commodum afferre, l. 12. ff. de dol. l. 34. §. 1. ff. de R. l. et c. ex lit. 2. de dolo.

198 Nec refert, an dolus causam dederit pacto, an eidem superuenerit, utpote quae distinctio Romano duntaxat iure obtinet, ad contractus bonae fidei et stricti iuris discernendos.

199 Sin autem a tertio quodam dolus fuerit adhibitus, decipiens quidem ad damni reparationem est obstrictus, pactum uero uim suam retinet.

200 Nam dolus unius non debet nocere alteri, nec alieno, sed proprio quisque delicto obstringitur, l. 7. pr. ff. de dol. et l. 33. §. 1. C. de inoffic. testam.

201 VII. *Divisio* pacti, pro uaria materiae, formae et finis ratione, uaria admodum est.

202 Vulgo duo statuuntur genera, pactum, stricte sic dictum, et contractus.

203 Pactum dicitur generale esse nomen, talem denotans conventionem, quae circa res, etiam extra commercium positas, versetur, ceterum uero et nomine et causa destituatur.

204 Contractus autem uocatur nomen speciale, seu conuentio, res et actiones in commercium uenientes complectens, certumque nomen, uel causam habens.

205 Nomen intelligitur speciale ac discretium, nomini generis, seu aequiuoco et confuso, oppositum.

206 Causa uero dicitur uis interna alterum efficaciter obligandi, et efficacem in foro actionem producendi, seu uirtus ex se et sui natura obligationem ad agendum sufficientem pariendi.

207 Hac uirtute pacta quaedam, nuda alias dicta, omnino dicuntur carere, alia autem eandem extrinsecus, siue ab expressa et peculiari legis confirmatione, siue a contractu principali, cui in continenti fuerint adiecta, accipere, uti pacta legitima et adiecta.

208 Verum quicquid hic discriminis statuitur, id civili obtinet iure, non naturali, utpote quo pacta cum contractibus tanto magis conueniunt, quo antiquior, notior et usitatio uox pacti est nomine contractus.

209 Taceo, quod promiscue in multis negotiis adhibeantur uocabula pacti et contractus, e. g. in matrimonio, conuentione hereditaria, etc.

210 Eandem fere originem habent ceterae contractuum diuisiones in ueros et quasi-contractus, in nominatos et innominatos, in reales, consensuales, uerbales, et literales, in contractus bonae fidei, et stricti iuris.

211 Scilicet ex subtili Iuris Romani Philosophia sunt enatae, et in ipso hoc iure uix ullam praebent utilitatem, nedum in iure naturae, ut bene inter alios monuit Brenneisenius.

212 Quare, illis faceßere hinc iussis, eos tantum contractus paulisper considerabimus, qui cum iuris naturalis simplicitate magis conuenire uidentur.

213 Tales

213 Tales haberi debent contractus unilaterales (*μονοπλευροί*) et bilaterales (*διπλευροί*) uel, ut Grotius. eosdem uocat, benefici et permutatorii, seu onerosi.

214 Illi sunt, quibus unus tantum sese obstringit ad certum commodum, alteri gratis exhibendum.

215 His uterque paciscentium in aliquid mutuo praestandum consentit.

216 Ita scilicet, ut aequalitas quidem tum in contrahentium actibus, tum in re conuenta obseruetur, ad amussim tamen ea expendi haud debeat.

217 Quippe ad exactam omnia aequalitatem redigere uelle, humanarum indoles rerum uix patitur.

218 Dantur uariae pretii determinandi causae, latent rerum plurimarum qualitates, differunt hominum, opiniones et affectus, adeoque diuersa hinc existit aestimatio, praesertim extra ciuitatem.

219 Quare, sincere agendo, fraudemque et iniuriam euitando, sic quisque aequalitatis rationem habere debet, prout natura contractus, rerum conditio, aliaeque circumstantiae tulerint.

220 Hoc igitur contractus onerosi differunt a beneficiis, quod hi, siquidem ab uno tantum gratis quid praestetur, inaequalitatem omnino admittant, illi contra aequalitatem, quanta quidem possibilis fuerit, utique postulent.

221 Et tales demum contractus pacta in sensu proprio uocari merentur, cum illi, benefici, ad promissiones gratuitas, easdemque perfectas, sint referendi.

222 Perfectas dico promissiones, h. e. tales, quae et obligationem promissum praestandi, et ius illud postulandi exigendique complectantur.

223 Scilicet duplicis potissimum generis sunt promissiones, aliae imperfectae, aliae perfectae.

224 Illae naturali quidem ratione, ui honestatis, conscientiae, et iustitiae internae, promittentem obligant, alteri autem externum cogendi ius non concedunt.

225 Hae et praestandi necessitate promittentem constringunt, et ei, cui aliquid est promissum, ius acquisitum persequendi facultatem praebent.

Bbb 2

226 Ni-

226 Nimirum lex naturalis utique iubet fidem, semel datam, servare, h. e. dictis ac promissis stare, atque adeo nullius spem frustrari, aut expectationem.

227 At enimvero, cum multi ita promittant, ut ad praestandam promissionem vi, aut actione, compelli nolint, nec ius compellendi hinc dari, censendum est.

228 Eiusmodi promissiones a Grotio vocantur pollicitationes, quales magnatibus, uirisq; potentioribus admodum sunt familiares.

229 Quando scilicet suis se alterum officiis adiuturos esse, pollicentur, ad praestandum vero promissum adigi nolunt.

230 Ideo fortasse, ne molestia ab interpellantibus subinde afficiantur, siue potius, ut eo laudabilius sit uirtutis exercitium, quò liberiore praestetur animo.

231 Cum autem tales etiam promissiones ea, qua diximus, ratione in debitum cadant, uir bonus, praesertim in alto dignitatis gradu locatus, pauca debet polliceri, et multa praestare.

232 Secus ac Galliarum administer, Mazarinus, fecit, utpote qui, largus promissis, uel iis non stetit, uel, si ea impleverit, fastidio et mora diu libratum beneficium, improbe extortum, elumbauit, longo uoto consumens gaudia, prout eum describit Priolus.

233 Pollicitationi Grotius opponit assertionem simplicem, sed nudam, qua quis, hoc uel illud fieri posse, asseuerat, adeoque spem potius rei alicuius, fortassis obtinendae, facit, quam praestandae eius necessitatem in se recipit.

234 Quo pertinent uerba honoris, quibus alter alteri propensum declarat animum, quaeque uulgari, eoque barbaro, non rine dicuntur complimenta, docta caeteroqui dissertatione exposita à Scheinmanno.

235 Perfectae autem promissiones, ut diximus, non solum promittenti id, quod promisit, praestandi necessitatem afferunt, sed et ei, cui quid est promissum, exigendi tribuunt facultatem.

236 Tales sunt, e. g. donatio solennis, promissio dotis, et sigillatim in pacificationibus promissio, de reddendis ademptis, de resarciendis damnis, etc.

237 Requiritur autem ad promissionem perfectam perinde, atque

que ad omne pactum, consensus mutuus, idemque hic talis, quem alter promittendo, seu fidei de certa præstatione dando, alter promissum acceptando exerit.

238. Tam necessaria igitur est acceptatio, ut, nisi ea accedat, promissio careat effectu, et omni iure reuocari possit.

239. Sin tamen rogatio promissionem, ipsi respondentem, antecessit, usque ea durare censetur, dum expresse fuerit reuocata, adeoque acceptatio in antecessum facta colligitur.

240. Cum huiusmodi igitur promissionibus quodammodo conveniunt contractus benefici, quorum tres vulgo numerantur.

241. (1) *Mandatum*, quo quis negotium honestum et licitum alteri gerendum committit, alter vero id gratis exequendum suscipit.

242. Dicitur *mandatum*, quasi manu datum, cum manus, præsertim dextra, sit fidei signum, ut erudita hoc dissertatione inter alia docuit W. duogelius.

243. Paciscentibus vocantur mandans, seu mandator, et mandatarius, seu procurator.

244. Obiectum est negotium alienum, honestum et licitum, quale in omni pacto requiri, supra diximus.

245. Ratio formalis consistit in mutuo de certa re committenda et gratis exequenda consensu, siue expresse, siue tacito.

246. Gratis debet expediri negotium, quia, interueniente mercede, *mandatum* degenerat in contractum onerosum, eumque vel nominatum, vel innominatum.

247. Unde *mandatum*, nisi *gratuitum*, nullum esse pronunciat in l. l. §. 4. ff. *mand.*

248. Honorarium tamen, sponte oblatum, utpote quod non compensandi, sed remunerandi causa soleat dari, accipi posse dicitur in l. 6. ff. *eod.*

249. Modus autem *mandatum* expediendi vel fidei ac prudentiæ alterius relinquitur, vel certa præscribitur norma.

250. Unde *mandatum* aliud est generale, seu cum libera, scilicet agendi potestate, (ungemeßener Befehl) vel speciale, sine libera, (gemessener Befehl.)

251. Cum igitur natura huius contractus in eo consistat, ut alter

alterius uoluntatem in negotio, gratis curando, sequatur, eademque utilem praestet operam, contrahentium officia facile hinc patent.

252 Scilicet mandatarius eam adhibere debet fidem et industriam, quae et uoluntati mandantis, et fiduciae, respondere possit.

253 Cum enim, accepto mandato, in id consenserit, par utique est, ut, quod semel in se recepit, summa etiam ope praestare nitatur.

254 Nec committere debet, ut, amicus probus certusque creditus, spem alterius frustretur, atque expectationem.

255 Et, quanquam uerbis praescriptis non semper sit inhaerendum, sed, modo mandantis nihil intersit, res similis cum simili, aut aequiparabili, commutari interdum possit, mandati tamen sollicitudo habenda est ratio.

256 Ideo mandatum dicitur esse stricti iuris, nec ultra fines, qui exprimuntur, extendendum, l. 5. pr. ff. mand.

257 Et mandatarius regulariter culpam leuissimam praestare debet, adeoque damnum, tam culpa, quam dolo, datum, resarcire l. 13. et l. 21. C. mand.

258 Quod si mandatarius, praeter mandatum generale et liberum, clam speciale acceperit iussum, huic autem agendo non obtemperauerit, mandans quidem obstringitur, mandatarius uero damni reparatione tenetur, ut recte monet Etertius.

259 Officium mandantis est, sumptus, in rem mandatam factos, refundere, et damnum, si quod exinde fuerit ortum, resarcire.

260 Postulat hoc naturalis aequitas, cum nemini officium suum debeat esse damnosum, nec quisquam cum alterius detrimento debeat fieri locupletior, l. 7. ff. quemadm. testam. aperir. et l. 206. ff. de R. l.

261 Differt itaque mandatum a consilio et commendatione, cum neque haec, neque illud, nisi singularis, eademque fraudulenta, persuasio et inductio interuenerit, eundem, atque mandatum, effectum habeat.

262 (2) Commodatum, quo quis alteri rem suam ad certum, eumque gratuitum, usum ita concedit, ut, finito usu, eadem in specie (eben dieselbe) restituatur.

263 Dicitur commodatum, quasi cum modo datum, quia certum

tum rei concessae usum complectitur, non abusum, uti mutuum.

264 Unde et patet, materiam huius contractus non tantum rem corporalem posse esse, uel incorporalem, sed et alienam perinde, ac propriam, nisi lex, uel pactum, obstat.

265 Gratis autem res debet concedi, quoniam, intercedente pretio, commodatum aequae, ac mandatum, contractus benefici naturam amittit.

266 Honorarium tamen et hic locum habet, non usus, sed gratiae mentis, causa, ex uoluntate libera, non ex pactione, datum.

267 Certus etiam tenendus est usus, seu talis, qualis, ratione modi, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum, est definitus.

268 Hoc ipso commodatum differt a precario, quo usus rei indefinite conceditur, atque adeo, quocunque tempore concedenti libuerit, reuocari potest.

269 Praeterquam, quod precarium et commodatum aliud admittant discrimen, e. g. ratione generis, modi, effectus etc.

270 Quid igitur et commodanti, et commodatario, hic obseruandum sit, ipsa pariter natura huius contractus docere potest.

271 Cum enim commodatarius ex gratuito rei alienae usu beneficium capiat, par omnino est, ut rem alienam summa cum diligentia seruet, ad concessos tantum usus adhibeat, et definito tempore saluam restituar.

272 Leuissima ergo culpa hic est praestanda, quoniam solius accipientis uertitur utilitas.

273 Adeo quidem, ut tempore infortunii, e. g. incendii, aut inundationis, res commodatas etiam propriis praeferre debeat commodatarius, nisi hae illis sint pretiosiores, et tales, unde peritarum pretium facile possit refundi.

274 Quod si res commodata fortuito et improuiso perierit casu, commodatarius nulla tenetur praestatione.

275 Quippe res perit suo domino, et in eiusmodi casum commodans initio censetur consensisse.

276 Nisi scilicet casum praecesserit culpa, aut mora in reddendo, ut binis hoc dissertationibus prae aliis exposuit Zieglerus.

277 Commodantis autem est, promissum rei usum ad definitum usque

usque tempus permittere, impensas necessarias et utiles, in rem commodatam factas, sustinere, et damnum, ex data causa profectum, praestare.

278 Alioquin alter non commodum, sed incommodum, detrimentum potius, quam beneficium, ex re commodata sentiret.

279 Id quod cum natura, sine et effectu huius contractus omnino pugnat.

280 (3) Depositum, quo quis alteri rem suam, gratis asseruandam et custodiendam, ita committit, ut quocunque tempore deponenti placuerit, eadem in specie reddatur.

281 Res deponenda potest esse propria et aliena, mobilis et immobilis, generatim, ea omnis, quam custodiae tradere licet.

282 Siquidem hoc contractu ne usus quidem rei regulariter conceditur, nedum dominium transfertur.

283 Nec obstat, quod rerum immobilium custodia incidere dicatur in mandatum, cum hoc intelligendum sit de custodia administratoria et negotiosa, non de simplici et nuda, qualis huius est loci.

284 Quod si tamen res fuerit litigiosa, depositum peculiari nomine dicitur sequestrum, de cuius natura et differentia a deposito simplici multa disputant Doctores, nominatimque Zieglerus, Naeuius, Bechmannus, alique.

285 Gratuita uero hic requiritur custodia, quoniam, pacta mercede, contractus hic perinde, ac duo priores, beneficium esse desinit.

286 Vnica igitur causa, cur conuentio haec ineatur, est securitas et conseruatio rei, quam quis alterius fidei, pro concepta de ipso opinione, committit.

287 Hinc, quid deponenti praestare debeat depositarius, et huic uicissim ille, liquido patet.

288 Depositario nimirum conuenit, ut rem, sibi concreditam, diligenter custodiat, illaesa conseruet, et, quocunque demum tempore deponens eandem, ui domini, ad debitum licitumque usum, reponoscerit, fideliter restituat.

289 Non itaque rem ad usum suum adhibere debet, nisi ea fuerit fungibilis, ad utendum concessa, e. g. pecunia non obsignata.

290 Quale quidem depositum a Doctoribus uocatur irregulare, l. 24. et 25. ff. de pos. et l. 31. ff. locat.

291 Et

291 Et re uera non manet depositum, sed, prout res deposita uel species fuerit, uel quantitas, in commodatum degenerat, aut mutuum, c. l. 24. ff. depos.

292 Cum depositum domino reposcenti integrum, claustris uinculisque illaesis munitum, reddi debeat, turpissimum certe est illud abnegare.

293 Praesertim si non simplex fuerit depositum, sed necessarium et miserabile, h. e. ob casum necessitatis, aut miseriae, puta incendii, eluuiionis, pestilentiae, uastitatis, traditum.

294 Tale qui inficiatur, eum actione dupli persequendum, quin et infamia notandum esse, pronunciant leges Romanae §. 17. l. de action. l. i. §. i. et 4. ff. depos. et l. i. pr. ff. de his, qui not. infam.

295 Attantum abest, ut re deposita uti, eamue abnegare, furto sit foedius, ut ne quidem huic aequale censeri debeat.

296 Diximus, rem depositam deponenti esse restituendam, quocunq; eam tempore, ui dominii, ad debitos usus repoposcerit.

297 Quod si uero deponens uel nullum in re deposita, quippe aliena, dominium habuisse, uel amisisse id saltem, cognoscatur, restitutio alii est facienda.

298 Pariter si depositum ad usum noxium et illicitum adhiberi possit, e. g. gladius a mente capto, furioso, aut irato, id retineri tantisper, aut alii cuipiam reddi debet.

299 Equidem, si homines in naturali existerent integritate, omnesque suas actiones rerum naturae semper conformarent, non daretur casus, quo depositum suo denegari posset domino.

300 At enim uero, cum tanta plerosque iam inuaserit corruptio, ut unus in alterius noxam, caedem, et interitum facile adducatur, tali etiam nunc opus est remedio, quod alioquin nullum habitum foret locum.

301 Quare id quoque huc pertinet, quod supra, ratione sermonis, de statu naturali et legali, seu integritatis et corruptionis, diximus.

302 Deponentis officium est, sumtus, in rem depositam factos, reddere, damnum, inde profectum, reparare, adeoque, ne depositarius pro beneficio malum sentiat, sedulo cauere.

303 Qua quidem de causa nec inique ferre debet deponens, si

Ccc

deposi-

depositarius, litis materiam euitaturus, tamdiu depositum retineat, donec impensae fuerint restitutae, sic etiam, pro naturali aequitate, iudicantibus l. 23. ff. de pos. et l. penult. C. cod.

304 Contractus onerosi duplicis sunt generis, alii proprii, alii improprii, quorum hi ex alea quodammodo, seu euentu incerto, aut casu fortuito, dependent, illi autem minus.

305 Proprii sunt (1) Permutatio, qua quis rem, siue operam, pro alia aequiualente dat.

306 Antiquissimus merito habetur hic contractus, olim antenumum inuentum, in commercio usurpatus, et etiam nunc inter Heluetos, nec non mercatores plerosque, receptus.

307 Nec obstat, quod de pecunia, emtione et uenditione, uetustissimis temporibus, puta Lamechi, Abrahami, iam introducta, in contrariam partem affert Osiander.

308 Nam, hoc etiam concessio, firmum certumque manet, quod inter priscos mortales communissimum commercii genus fuerit permutatio, ita nobiscum sentiente Iägero.

309 Cum autem permutationis materia sit res quodammodo aequiualens, patet, eam hoc ipso differre a donatione reciproca.

310 In hac quippe, siquidem ex liberalitate, non obligatione, procedit, nullius fere aequalitatis habetur ratio.

311 Exemplum illustre est remuneratio Principum, qualis potissimum in Oriente per legatos fieri solet.

312 Taceo, quod ex contractu permutationis perfecta oriatur et praestandi necessitas, et exigendi facultas, seu obligatio et ius perfectum.

313 Attalem effectum minime habet donatio mutua, utpote quae ad beneficos magis contractus, quam onerosos, accedit.

314 In eo igitur natura permutationis consistit, quod, mutuae utilitatis causa, res, uel opera, utrinque praestanda, promittitur.

315 Proinde naturali etiam lege fas est, permutantes rem operamue, prout inter ipsos conuenit, exhibere, nullum siue dolo, siue culpa, damnum dare, et, si quod datum fuerit, id refarcire.

316 (2) Emtio uenditio, qua rei alicuius dominium, siue ius huic aequiparabile, e. g. bonae fidei possessio, ab uno ad alterum, pro certo pretio, mutua uoluntate pacto, transfertur.

317 Con-

317 Contrahentes ergo sunt emtor et uenditor, quorum hic ius suum transfert, ille uero id acquirit.

318 Forma contractus consistit in mutuo de pretio soluendo et re tradenda consensu, utpote qui emtionem et uenditionem facere dicitur, l. 9. pr. ff. h. t.

319 Ipsa igitur pretii solutio et rei uenditae traditio ad executionem contractus pertinet, non ad perfectionem.

320 Equidem simplicissimum emtionis et uenditionis genus est illud, quo emtor statim, pretio soluto, rem, a uenditore traditam, accipit.

321 Veruntamen, cum solo contrahentium placito res constet, sic inter eos saepe conuenit, ut uel rei traditio ac pretii solutio simul, uel saltem alterutra, ad certum differatur tempus, et interea rei periculum uenditor in se suscipiat.

322 Quae quidem conditio posterior nisi expresse fuerit stipulata, res emtoris, tanquam domini, manet periculo.

323 Naturali quippe iure, etiam sine traditione, simplici pacto acquiri potest dominium, dummodo mutuis de re transferenda consensus recte se habeat.

324 Quemadmodum itaque, ui acquisiti pacto dominii, emtor omnem ex re emta utilitatem percipit, ita eiusdem quoque periculum regulariter sustinet.

325 Acedit, quod in arbitrio emtoris sit, rem uenditam, soluto pretio, statim, ut contractus fuit initus, a uenditore exigere, adeoque morae periculum euitare.

326 Est autem periculum casus fortuitus, quo rei uenditae interitus affertur, uel saltem noxa, aut laesio.

327 Caeterum, pro diuersa circumstantiarum ratione, diuersa etiam huius contractus sunt genera.

328 Scilicet, ratione formae, emtio et uenditio uel simplex est, siue absoluta, uel conditionata, seu restricta.

329 Conditionata existit, quando certa adiiciuntur pacta, qualia fere sunt sequentia.

330 (a) Addictio in diem, qua res ita uenditur, ut uenditori liceat meliorem intra certum tempus conditionem accipere.

331 Quæ quidem conditio quam uarium admittat usum, quamque diuersum inde habeat effectum, iuris ciuilibus Dd. fortasse subtiliter magis, quam utiliter, disputant in comment. ad tit. ff. de addict. in diem.

332 Sin autem naturali ea simplicitate aestimetur, et uenditori et emtori hactenus prodesse uidetur, ut, dato rebus suis consulendi spatio, optimam quamque conditionem eligere possint.

333 (9) Lex commissoria, qua ita res uenditur, ut, pretio ad certum tempus non soluto, ea sit inempta.

334 Commissoriam hanc dici pactionem, aiunt, quoniam, qui in eam committat, in uniuersam committat uenditionem, siquidem uenditor eam uelit pro infecta haberi, l. 3. et l. 6. ff. de leg. commiss.

335 Venditoris autem gratia haec conditio adiici uidetur, ne temere rem suam amittat, aut molesta implicetur lite.

336 (γ) Pactum retractus, seu de retrouendendo, quo ita res uenditur, ut eam uel certo tempore, uel quodocunq; emtor ipsam ultro reuendere uoluerit, pretio restituto, redimere uenditori liceat.

337 Doctores aliis id nominibus uocant ius protimiseos, praelationis, redemptionis, item ius congrui, etc.

338 Varia quoque eiusdem dantur genera, quorum recensioe nos superfedentes, id tantum monemus, pactionem hanc naturali aequitate subuenire uenditori, quando inuitus, e. g. necessitate pressus, bona, praesertim auita, diu possessa et exulta, uendere cogitur.

339 (δ) Reservatio, qua ita res uenditur, ut certam eius partem, aut certum in ea usum, uenditor retineat, der lehre Auszug, oder Vorbehalt.

340 Hoc etiam pacto recte sibi prospicit uenditor, ne scilicet, rebus suis omnino alienatis, necessitate affligatur, dummodo et aequius ideo pretium sumat, et parte seruata pacto conuenienter utatur.

341 Ratione materiae, seu rei emendae et uendendae, duo potissimum emtionis et uenditionis habentur genera.

342 (α) Emtio indefinita, per auersionem, siue ad corpus, h. e. rerum coniunctarum, Kauff über haupt, oder im gantzen, in Pausch und Bogen.

343 Quan-

343 Quando scilicet, uel nulla mensurae et quantitatis fit mentio, uel ea demonstrationis tantum, non taxationis, ut loquuntur, causa adiicitur.

344 Opponitur huic emtio ad mensuram et certam quantitatem (eintzeler Verkauff) quando haec, tanquam restrictio, uel modus rei uendendae, indicatur.

345 Vtrumque uenditionis genus recte se habet, si ad generales Iuris Naturae regulas de nemine decipiendo, uel laedendo, dolo euitando, e. f. conformetur.

346 (3) Auctio, qua res, omnibus, in publico plerumque loco, uenalis exposita, plus licitanti, pretio parato, uel numerata pecunia, addicitur.

347 Naturalis igitur hic iuris est, ut ei res cedat, qui, pretium augendo, uicerit, melioremue obtulerit conditionem.

348 Quid autem, ratione obiecti, modi, aliarumque circumstantiarum, speciatim hic obseruari debeat, id ciuili definitur iure, prout huius Dd. passim tradunt, e. g. Matthaei, Wernerus aliique.

349 Diferens ab hisce genus est emtio spei, quando non certa emitur res, quae actu existit, sed incerta, quae probabili tantum spe expectatur, e. g. captura piscium, aut auum.

350 Quo quidem contractu id tantum naturali ratione emtori cedit, de quo contrahentes uel uerba expresse fecerunt, uel saltem sensisse putantur, nisi aliud quid fuerit pactum.

351 Cum autem tali emtioni alea quaedam insit, seu fortuna incerta, ad improprios potius contractus, quam proprios pertinet.

352 Singularis etiam emendi modus est, quando quis summo pretio merces emit a mercatore pecunia credita, easque statim pecunia numerata eidem uilius uendit.

353 Dicitur talis contractus Hispanico uocabulo mohatra, et originem suam uel mercatori cuidam usurario, uel ingenioso alicui doctori scholastico debere uidetur.

354 Vnde, et colligi potest, eum, si quidem naturalis iustitiae regulis omnino repugnet, minus esse probandum, quam speciosis etiam causis eundem colorent peruersi morum magistri, in erudita de hoc argumento dissertatione merito notati a Zieglero.

355 Aliud uero iudicium ferendum est, quando quis mercēs a mercatore pecunia credita emit, easque statim non eidem mercatori, sed aliis reuendit.

356 Hic quippe contractus, quem, peregrinis pariter nominibus, baracollam, seu barattam, uocant, in se illicitus censerī nequit, quoniam non in circulum redit, uti mohatra, sed, multiplicato contractu, in plures sese diffundit personas.

357 Modo ne summum, quo merces uenduntur, pretium cum iniquitate ac laesione manifesta sit coniunctum, utpote quod omnino reprehendendum esse, idem existimat Zieglerus.

358 De monopolis superest quaestio, an iuri naturali aduersa censerī debeant?

359 Cum monopolium nihil aliud sit, quam potestas, seu licentia, peculiare rerum certarum commercium exercendi, seu merces, exclusis aliis mercatoribus, emendi et uendendi, considerandum est, an potestas haec publica sit, h. e. a superiore concessa, an priuata, h. e. propria autoritate sumta.

360 Illa, quoniam ob Reipublicae necessitatem atque utilitatem datur, nihil iniqui continere potest.

361 Haec autem, siquidem aliorum utilitates, et uiuendi subsidia intercipit, illicita omnino iudicari debet.

362 Ex iis autem, quae hactenus sunt dicta, et emtoris et uenditoris officium, iure naturali debitum, satis constare potest.

363 Scilicet emtori conuenit, ut pretium, pro re emta pactum, iusto tempore soluat, et damnum, quod mora sua effecerit, ipse patiatur, non uenditori impuret.

364 Venditor rem uenditam, pro eo, ac pactum est, tradere debet, et bona omnino fide, communibus iuris naturae regulis conuenienter agere.

365 (3) Locatio conductio, qua quis rei, uel operae, usum pro certa mercede, seu pensione, consequitur.

366 Contrahentes sunt locator et conductor, quorum ille rem, uel operam, utendam praestat, et mercedem accipit, hic mercedem, seu pensionem, pro usu rei, uel opera, soluit.

367 Cum autem obiectum locationis et opera esse possit et opus,
c. g.

e. g. in exstruendis aedibus, diuerso etiam respectu aliquis conductor simul et locator esse potest.

368 Nimirum in locatione operis, qui est locator operae suae, dicitur conductor, respectu operis faciendi, et mercedem accipit, contra qui est conductor operae, is uocatur locator, respectu operis, et mercedem soluit.

369 Operae autem non tantum debent esse honestae, sed et tales, quae certa mercede possint aestimari.

370 Excipiuntur ergo artes liberales, et operae spirituales, seu tales, quae supernaturalem producant effectum.

371 Pro his quicquid praestari solet, non in operarum compensationem, sed grati declarationem animi perinde, atque operantium sustentationem, soluitur.

372 Quamobrem non mercedis, aut pensionis, nomine proprie uenit, sed honorarii, aut salarii.

373 Quanquam, quod de liberalibus dictum est artibus, humano potissimum iure ita iudicetur, arg. l. 1. pr. ff. si mens. fals. mod.

374 Nam tales etiam artes uilissimo saepe pretio in commercium uenire, adeoque sordidas fieri et illiberales, notum est.

375 Contra, spirituales operas pecunia locare et conducere, naturali etiam iure, nefas haberi debet.

376 Ortum hinc trahit crimen Simoniae, de quo nouissima prostat commentatio Pertschii.

377 Caeterum, contractus hic expresso quidem consensu plerumque initur, tacite tamen renouatus censetur, quando conductor, elapso, quod definitum erat, tempore, rei locatae usum continuat, locator autem non contradicit.

378 Merces hic interuenire debet, aut pensio, quemadmodum in emtione uenditione pretium, alioqui contractus naturam mutat.

379 Qua autem re merces constituatur, iure naturali nihil refert, sed ex solo contrahentium arbitrio pendet.

380 Iure tamen ciuili in numerata ea pecunia ordinarie consistit, si fructus eius sint loco, irregulare dicitur negotium, l. 25. §. 6. ff. locat. et l. 21. C. eod.

381 Aequalitas pensionis, siue mercedis, non tam pretio rei, quam eius usu est metienda, si non certo, saltem probabili.

382 Cum

382 Cum enim pensio detur propter usum, huius etiam in illa definienda rationem haberi, aequum est.

383 Natura igitur huius contractus mutuum complectitur commodum, scilicet, respectu locatoris, quaestum, ex opere perficiendo, aut re, uel opera, alteri praestanda, prouenientem, respectu conductoris, utilitatem, ex opere aliquo perfecto, aut rei, uel operae, alienae usu percipiendam.

384 Proinde naturalis etiam iuris est, ut locator operis id, quod perficiendum in se recepit, iusto tempore perficiat, et damna, culpa, uel dolo, data, reparet.

385 Locator operarum in his praestandis, fidem atque industriam, uti par est, adhibere debet, nec mora, aut negligentia, incommodum afferre.

386 Locator rei, id sibi conuenire, credat, ut rem usui habilem praestet, impensas necessarias toleret, et, si ante finem conductionis, nulla urgente necessitate, rem utendam uendere uelit, conductorem indemnem praestet.

387 Conductoris est, mercedem, seu pensionem, in quauis locatione promissam, soluere, re, ad modum boni patris familias uti, et damnum, sua culpa datum, refarcire.

388 Quae quidem omnia ita sunt accipienda, si conductor debito rei, uel operae, usu potitur.

389 Re igitur pereunte, nihil est soluendum, damno autem interueniente, remissa pensionis parte, seruanda est aequalitas.

390 Qualis etiam remissio naturali aequitate obtinet, quoties ob sterilitatem aliumue casum tenuiores rei locatae fuerint prouentus.

391 Quanquam stricti hoc esse iuris, ideo recte negatur, quod nec augeri soleat pensio, si improuisa post ubertas obtigerit, et incommoda sustinere debeat, qui commoda uelit percipere.

392 Eaque de causa leges Romanae insolitos duntaxat casus excipiunt, h. e. tales, quos uim diuinam (*βίαν τῆ θεῆς*) uocare solent, et de quibus conductor non cogitasse censetur, l. 25. §. 6. ff. locat.

393 Quod si operae fuerint continuae, non momentaneae, propter interruptionem earum nulla pensionis facienda est detractio, quoniam, quod in solidum pensatur, ex parte aestimari non potest.

394 De-

394. Denique si merces, aut pensio, ante contractum non fuerit definita, ea ex usu communi, uel conductoris aequitate, uel legum civilium dispositione, est determinanda.

395 (4) Mutuum, quo res fungibilis, uel gratis, uel pro certa usura, ita alteri conceditur, ut certo post tempore eadem in genere, seu eadem quantitate et qualitate, (eben dergleichen und so uiel) reddi debeat.

396. Dicitur mutuum, quasi de meo fit tuum, quia hoc contractu dominium rei fungibilis ab uno ad alterum, scilicet a creditore ad debitorem, transfertur.

397. Est autem res fungibilis, cuius uice alia ex eodem genere fungi potest, habita quantitate et qualitate ratione, unde Icto dicitur res, quae functionem in suo genere recipit, in l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.

398. Genus intelligitur Iuridicum, quod Logicis est species, quemadmodum species Iuridica est indiuiduum Logicum.

399. Quantitas seruari debet, ita, ut idem reddatur numerus, eadem mensura, et idem pondus.

400. Qualitatem respici oportet, quoniam pro meliore, aut maioris pretii re, peiorem, aut uiliorem, reddere, aequalitati repugnat.

401. Quicumque igitur ex eodem genere, eadem quantitate et qualitate, mutuo datum recipit, idem recepisse, intelligitur.

402. Usura autem, quam debitor creditori pro re mutuo data, et sigillatim pro pecunia, pendit, iure naturali illicita censeri nequit, dum modica fuerit, et circumstantiarum rationi congrua.

403. Quippe tantum abest, ut commodum, ex re sua percipiendum, alteri gratis concedere, et damnum, ex lucro cessante proueniens, sustinere, lex naturae absolute iubeat.

404. Potius cuilibet rei industria sua non iniustam addere accessionem, adeoque ex pecunia non minus, quam aedium locatione, honestum aliquod lucrum quaerere, permittit.

405. Tantummodo circumstantiarum, ut diximus, habenda est ratio, lucri potissimum, ex re credita prouenientis, et personarum, a quibus usura exigitur.

406. Scilicet respondere debent usurae lucro, ne maiores ex mutuo fructus capiat creditor, quam debitor.

D d d

407 Et

407 Et ditiores, non indigentiores, debent esse homines, a quibus eae fumuntur, cum pauperes non lucrum ex mutuo capiant, sed ad quotidianas id adhibeant necessitates.

408 Enata hinc est, distinctio inter usuras licitas, seu compensatorias, et illicitas, seu mordaces.

409 Et tales quidem, scilicet mordaces, intelligendae sunt illae, quas legibus diuinis perinde, atque humanis, canonicis pariter, atque ciuilibus, prohibitas esse, vulgo contendunt, ut inter alios recte monent Kulpisius, Hochstetterus et Abichtius.

410 Habita igitur circumstantiarum, quas diximus, ratione, nulla usurae naturaliter iniustae censi possunt, quantaecunque etiam fuerint promissae, de quibus legi meretur dissertatio Bodini.

411 Neque adeo usurarum ex usuris exactio, seu anatocismus, in se iuri naturali aduersatur, de quo prostat commentatio Cocceii.

412 At leges ciuiles, ut usurariae materia prauitatis praeripiatur, et quantitatem usurarum determinant, et exactionem earum limitibus circumscribunt, et noxios foeneratores pro merito coercunt.

413 Quales quidem foeneratores in Belgio dicuntur Longobardi, quorum causa varias ibi turbas fuisse excitatas, antea adducti memorant scriptores, Kulpisius et Hochstetterus.

414 Pertinent huc montes pietatis, ex quibus pauperum necessitates, pro modicis usuris, dato certo pignore, ea subleuantur pecunia, quam opulentiores hunc in finem contulerunt.

415 Hi pariter, absolute considerati nihil in se uitii habent, dummodo ea adfuerint requisita, quae commendat Stryckius.

416 Cum igitur contractus mutui eum in finem iniiri soleat, ut alter alterius rebus, ad subleuandam necessitatem suam, uel amplificanda sua commoda, pro certa usura potiri possit, facile patet, quid praestare hoc nomine debeant contrahentes.

417 Nimirum debitori, seu ei, qui mutuo accipit, conuenit, ut fidem tum in soluendis usuris, tum in reddendo mutuo adimpleat.

418 Creditorem, seu eum, qui mutuo dat, decet, ut rem promissam debite concedat, et in exigendis usuris aequitatem, pro circumstantiarum ratione, obseruet.

419 Speciatim, ratione pecuniae creditae, uterque curare debet, ut

ut ne, facta monerae mutatione, alter ex alterius detrimento commodum capiat.

420 (5) Societas, qua duo pluresue rem, pecuniam, aut operam, ita conferunt, ut lucrum, inde proueniens, pariter, ac damnum fortuitum, pro rata diuidatur.

421 Dicitur haec societas conuentionalis, a certis personis, consensu libero, sponte inita, cui oponitur incidens, qua duo pluresue casu in societatem incidunt, uti cohaeredes, collegatarii, concommisarii, etc.

422 Est autem duplex, uel generalis, seu uniuersalis, quae omnia omnino bona complectitur, uel specialis, seu particularis, quae certae tantum res, quaestus gratia, conferuntur.

423 Patet hinc, causam huius conuentionis esse studium mutuae utilitatem mutua bonorum collatione et opera procurandi.

424 Ergo sociorum est, mutuae adhibere fidem et industriam, lucrum et damnum fortuitum pro rata diuidere, culpam praestare, uel dolum, et, data aliis fide, unam sustinere obligationem.

425 Scilicet ita hic quisque uersari debet, ut in rebus propriis solet, cum utriusque uertatur utilitas, adeoque leuis praestanda sit culpa.

426 Diuisio autem lucri et damni ex conuentione, uel, hac deficiente, pro ratione rei illatae, et operae praestitae, est facienda.

427 Videlicet dispiciendum est, an opera tantum ualeat, quantum pecunia, prout ea uel ad tractandam dumtaxat rem, aut distrahendam, uel simul ad augendam amplificandamque, adhibetur.

428 Quando enim alter, qui pecuniam confert, commercii est ignarus, aut artis, opera, pecuniae rite collocandae adhibita, si non pluris, saltem tanti est aestimanda, quanti res, uel fors, alterius.

429 Pro diuerso igitur hoc respectu, diuersa etiam lucri partitio fieri debet.

430 Peculiaris societas est naualis, quae ad mercatorum defensionem pariter, ac praedae capturam institui, ac uulgari, eoque barbaro, nomine, admiralitas uocari solet.

431 In hac pariter computatio et compensatio dominis nauium fieri solet ex lege Rhodia, uel iure auariae, tum communis, tum grossae, de quo legi possunt Kulpisius, Schroeterus et Schottelius.

432 Improprii contractus sunt (1) Sponsio, qua duo, uel plures, ratione assertionis dubiae, uel rei incertae, ita inter se conueniunt, ut is, cuius sententiae ueritas, uel euentus, responderit, certum ab altero, uel reliquis, praemium auferat.

433 Itaque sponsionis nomen h. l. non sumitur pro pacto, quod summi alicuius Principis minister sine mandato ita init, ut, eius ratiabitionem se obtenturum esse, promittat, de quo infra in l. G.

434 Sed stipulationem denotat praemii depositi, certa existente conditione, auferendi, (eine Wette.)

435 Eiusmodi sponsio frequens admodum est inter mercatores, praesertim in Italia, Anglia et Batavia.

436 Ob eam uero causam generatim fieri uidetur, ut pertinax contradicendi studium finiatur, atque adeo omnis, quae inde prouenire possit, altercatio emittetur.

437 Itaque iure naturali omnino permittitur, dummodo ea obseruentur, quae tum communes de seruanda fide, fugiendo dolo, regulae, tum propriae huius contractus affectiones postulant.

438 Scilicet non aequalis quidem rei, aut euentus, ignoratio hic requiritur, cum uterque spondentium certiore notitia, uel saltem opinione probabiliore, niti sibi uideatur, eandemque saepe numero prae se ferat.

439 Attamen machinatio dolosa, in alterius deceptionem adhibita, et dissimulatio ueritatis, etiam interrogante altero, facta, facessere hinc debet.

440 Res autem, de qua sponsio fit, et naturaliter et moraliter debet esse possibilis, adeoque talis, qualis in omni contractu requiritur.

441 Alioquin illicita, uel nugatoria, foret sponsio, prout ea honestatis dignitatisue rationi fuerit aduersa.

442 Vnde, quae spondentium sint officia, facili quisque negotio potest colligere.

443 (2) Asscuratio, qua quis mercium transportandarum pericula ita in se suscipit, ut, si merces felicem fortiantur euentum, praemium accipiat, sin perierint, earum aestimationem praestet.

444 Periculum hic omne denotat infortunium, extrinsecus, siue tempestate, siue latrocinio, siue detentione, accidens, non detrimentum, ex natura, aut uitio, mercium proueniens. 445 Vn-

445 Vnde merces traiecitiae dicuntur, quae non tantum tempestatum periculo, sed etiam piratarum insidiis, sunt expositae.

446 Pecunia vero, quam aëccurans accipit, periculi pretium vocatur in l. 5. ff. de nautic. foen.

447 Aëstimatio eius, pro ratione periculi, modo intendi potest, modo remitti, prout nimirum uel sola metuenda est tempestas, eademque tempore aestiuo rarior, uel piratarum simul, aut hostium, inuasio.

448 Natura igitur huius contractus postulat, ut alter mercium transuehendarum periculum praestet, alter praemium, eo, quo debetur, casu, exhibeat, uterque autem bona agat fide.

449 Ergo nec aëccurator, neque aëccuratus, de euentu certam debet habere noticiam, talem scilicet, ut ille, merces in saluum esse perductas, hic autem, eas iam periisse, sciat.

450 Vtroque enim casu dolosa interuenit deceptio, unde laesio oritur, iuri naturae omnino repugnans.

451 Plura de contractu hoc ex instituto tradunt Stracca, Santerna, Kuricke, Cocceius, Hertius, Loccenius, Stypmannus, Marquardus, Schottelius, aliique.

452 (3) Sors, qua negotium, ob rationes, in uatramque partem suppetentes, dubium, per euentum improuisum deciditur.

453 Tria autem sortis genera uulgo statuuntur, diuisorium, consultorium et diuinatorium.

454 Sors diuisoria est, qua rerum certarum partes certis personis tribuuntur, e. g. in hereditate, bonis, praemiis, honoribus, etc.

455 Sors consultoria est, qua rei dubiae actio, uel omissio, nec non agendi modus, exquiritur, e. g. in suscipiendo bello, pangenda pace, faciendo itinere.

456 Sors diuinatoria est, qua futurus rei, uel actionis, euentus e. g. exitus belli, reditus peregrinantis, administratio regni, certis factis, e. g. evolutione scriptoris, siue sacri, siue profani, inuestigatur.

457 Duo posteriora genera uix unquam superstitione periculosa carent, adeoque sedulo sunt uitanda.

458 Prius autem, si debito modo, sine temeritate et superstitione, in re graui et licita adhibeatur, adeo nihil inhonesti in se continet,

net, ut in sacris etiam officiis distribuendis locum habere possit.

459 Nam innoxia est ratio eas expediendi res, quae propter ambiguitatem, aut aequalitatem, melius decidi non possunt.

460 Cum igitur fors talis ad praesciendendas potissimum lites declinandamque invidiam adhibeatur, fas etiam est, eos, qui semel in sortitionem consenserint, pacto hoc stare, et, quicquid sortito obtigerit, aequi bonique facere.

461 Quam quidem in rem legi merentur Becmannus, Heideggerus, et, qui peculiare de sorte dissertationes scripserunt, Braunius, Richterius, et alii.

462 Peculiare sortis genus est lottaria, quando vel pecunia, a pluribus collata; vel res, eadem coemta, sorte inter conferentes distribuitur.

463 Nomen lottariae descendit a Belgico loten, quod idem est, ac losen, h. e. fortiri, sorte ducere, aut sortem facere.

464 Idem hic generatim est observandum, quod sortientibus convenire, diximus, ut scilicet, procul dolo, utramque, et lucri, et iacturae, fortunam subeant.

465 Speciatim vero requiritur, ut lottariae, publica autoritate institutae, et bonum in finem, et iusto modo, et certis a personis fiant, prout, post Clericum, Letium, aliosque, peculiari hoc dissertatione exposuit Wuchererus.

466 Pertinet etiam huc olla fortunae, cum certo pretio emitur facultas tafferis, s. schedulas, ex urna, qua continentur, extrahendi, et id, quod eis, vel omnibus, vel aliquibus, inscriptum est, acquirendi.

467 Hic, si malitiosa abest deceptio, et omnium schedularum pretium rerum, ibi expositarum, pretio non adeo maius existit, eo pariter standum est, quodcunque fors tulerit.

468 (4) Ludus, seu conventio, qua duo pluresue, adhibitis certis instrumentis, de procurando aliquo euentu ita certant, ut, qui alterum uicerit, rem, aut pecuniam, utrinque propositam, auferat.

469 Estque triplex, artis, fortunae, et utriusque mixtim, prout nimirum euentus vel ex arte, seu peritia, ingeniiue praestantia, vel ex fortuna, vel ex utraque simul pender.

470 Licitos autem iure naturali esse ludos, in se spectatos, ideo negari

negari nequit, quia suorum quisque bonorum liber est moderator et arbitrer, adeoque res suas victori in ludo perinde, atque alii, donare potest.

471 Ita nimirum, si ludentes plenam agendi libertatem habent, et, sine fraude ac dolo, de re naturaliter et moraliter possibili, aequali fortuna, ludunt.

472 Quae quidem requisita fusius exponunt Omeissius, Barbeyracius, Thiers, Loncourt, Placette Tremblay, alique.

473 Cum autem homines, incauti praesertim, animique impotentioris, non tantum bona sua ludendo dissipare, sed etiam, in flagitia, rixas et dimicationes, imo desperationem, incidere possint, provido utique magistratu opus est.

474 Hic quippe, quales permittendi sint ludi, decernere, debitosque iis terminos statuere potest, quemadmodum Leopoldus, alique quondam Principes fecerunt.

475 Hac ratione abusus ludorum satis restringi potest, quem alioquin ab usu inseparabilem esse, Beyerus alique statuunt.

476 Requirit autem iustus ludorum usus, ut ludentes omnem fugiant dolum, euentum licita ratione procurent, et innoxiant potius recreationem, quam turpe quaerant lucrum.

477 Quae si rite observentur, id, quod victori ex conventionione debetur, non minus est praestandum, quam in aliis contractibus fidem, fœmel datam, servari, oportet.

478 Quandoquidem uero lubrica hominum est fides, et rescindendis pactis leuissima saepe causa obtendi solet, certis hic opus est remediis, ad firmandam obligationem idoneis.

479 VIII. *Firmamenta* igitur contractuum sunt (α) Iuramentum, seu lusiurandum, de quo, cum proxima Inspectione sit pertractatum, hic dicere nihil attinet.

480 (3) Fideiussio, qua quis, in maiorem creditoris securitatem, alterius obligationi ita accedit, ut, nisi hic solutionem faciat, ipse eandem praestet.

481 Dicitur fideiussio, quia talis est actus, quo fideiussor sua fide suoque periculo alteri credere iubet, seu, alterum hoc, uel illud, facturum, fide sua spondet, suamque hoc nomine fidem in subsidium obligat.

482 Vn-

482 Vnde fideiussor uocatur autor credendi, h. e. talis, qui, fidei interposita, efficit, ut alteri credatur, siquidem ad soluendum magis idoneus uidetur creditori, quam ipse debitor.

483 Non enim nuda asseueratione, aut persuasione, defungitur fideiussor, sed alienam simul obligationem in se recipit, eandemque, nisi a debitore praestetur, a se praestitum iri, promittit.

484 Quo quidem respectu ad promissor dici solet, h. e. promissioni debitoris principali subsidaria accedens promissione, eademque, ueluti contractu accessorio, sese obstringens.

485 Sin autem, debitore prorsus liberato, omnem in se obligationem transfert, expromissor uocatur.

486 Scilicet non unius, sed uarii, generis dantur fideiussores, cum, praeter nominatos, alii sint succedanei, (Ruckbürgen) alii indemnitis, (Schadlosbürgen) alii pacto oblagii obligati, (Leistungsbürgen) etc.

487 Isti sunt, qui primi fideiussoris gratia constituuntur, nimirum, si solutionem a debitore principali accipere non possit.

488 Illi creditoris causa suam interponunt fidem, ne damnum is sustinere cogatur.

489 Hi creditori pariter ita subueniunt, ut, solutione ad diem definitum non facta, in certo se sistant loco, ibique, donec creditori satisfiat, maneant, de quo iure ex instituto scripsit Tabor.

490 Iure naturali omnes, qui paciscendi, vel contrahendi, facultate pollent, etiam fideiubendi munus obire possunt.

491 At civili excluduntur foeminae, utpote quibus, ob imbecillitatem sexus, prospicit SCtum Velleianum,

492 Cui tamen beneficio renunciare possunt, et tum demum efficaciter pro aliis, praesertim maritis, intercedere,

493 Cum vero fideiussor in subsidium duntaxat debito principali accedat, certis utique modis certisue limitibus constare debet eius obligatio.

494 Scilicet magis quidem, non autem ad maius, ualidius, non durius, creditori obstrictus censeretur, quam debitor principalis.

495 Nec, nisi excusso debitore principali, compellendus est, adigendusue ad solutionem.

496 Di-

496 Dicitur hoc beneficium excussionis, seu ordinis, quo fideiussor tamdiu gaudet, quamdiu eidem non renuntiavit, aut obligationem in se absolute non recepit.

497 Quod si plures pro uno fideiusserint, singuli ratam duntaxat, ex beneficio diuisionis, praestare debent, quamdiu solvendo sunt, alioqui caeteri onerantur.

498 Sin' unus alterue beneficio huic renuntiaverit, in solidum obligatur, cedendarum tamen actionum beneficio ex legum ciuili-um prouidentia fruitur.

499 Quae quidem omnia, pro natura et indole fideiussionis, naturali etiam iuri conuenire, dubio caret.

500 (γ) Pignus, quo creditori a debitore res aliqua in securitatem crediti traditur, uel assignatur.

501 Duplici nimirum modo oppignoratio fieri potest, uel traditione ipsius rei, uel assignatione, seu nuda conuentione.

502 Illa in specie et absolute dicitur pignus, haec autem hypotheca, in immobilibus plerumque rebus locum habens.

503 Prout autem res, pignori datae, uel fructuosae sunt, uel steriles, diuersae quoque pactiones illis adiaci solent, quales sunt pactum antichreticum, et lex commissoria.

504 Pactum antichreticum, seu antichresios est, ui cuius creditor, ad compensandas usuras, rei oppignoratae fructus percipit.

505 Ita tamen, ut naturalis obseruetur aequitas, et fructus non excedant usuras, sed residuum imputetur in sortem, praesertim si fructus sint certi, e. g. ex praedio.

506 Quod si perceptio fructuum labores et sumtus postulet, etiam horum in iis computandis habenda est ratio, et iusta facienda compensatio.

507 Cum enim ipsius intersit debitoris, praedium oppignoratum non manere incultum, cultura autem sine impensis et operis fieri nequeat, pro his quoque pars fructuum cedat, necesse est.

508 Lex commissoria est, qua ipsum pignus, si solutio intra certum tempus non fuerit facta, creditori cedit.

509 Quod quidem pactum non expressis semper uerbis addi debet, sed sufficit, si certum tempus solutioni praestandae relucendoque pignori sit praestitutum.

Eee

510 Hoc

510 Hoc enim elapso, inter creditorem et debitorem tacite censetur conuenisse, ut pignus iusto pretio habeatur emtum.

511 Ita scilicet, si colligere datur, debitorem tanti aestimasse pignus, quanti est debitum, eoque id pretio uendere uoluisse.

512 Quo nomine pactum isthoc nec naturali repugnat iuri, nec ciuili, l. 16. §. ult. ff. de pign. et l. ult. pr. ff. de contrah. emt.

513 Quanquam leges Romanae, usurariae metu prauitatis, id regulariter inter priuatos uetent, l. ult. C. de pact. pign.

514 Quod autem sine conuentione interdum ius pignoris, tacitae hypothecae nomine, obtineat, hoc iuris ciuilis est inuentum, personarum rerumque certarum gratia receptum.

515 Quemadmodum et plura alia, e. g. ratione modi pignoris constituendi, reluendi, uendendi, peculiaribus ciuitatum institutis definiri solent.

516 Quae quidem, modo naturali, aut ciuili, nitantur ratione, obseruari, utique fas est.

517 Quid uero naturali hic iure tam creditori, quam debitori, conueniat, pignoris natura, et pacti, quo datur, ratio docere debet.

518 Scilicet creditoris est, rem oppignoratam sine conuentione ad usus suos neutiquam adhibere, sed eam sedulo custodire, et, facta solutione, saluam restituere.

519 Leuis igitur culpa hic est praestanda, quoniam pignus utriusque, et debitoris et creditoris, causa datur, scilicet quo magis pecunia illi credatur, huic autem in tuto sit creditum.

520 Quod si pignus dolo, uel culpa, creditoris detrimentum ceperit, uel perierit, creditor damnum rescire debet, tantum de debito remittendo, quantum sufficit.

521 Casualis autem interitus praestatione, nisi eandem pacto in se receperit, neutiquam tenetur, cum pignus pereat suo domino.

522 Debitor pignus tempore definito reluere debet, aut, nisi alteri ius reluendi cedere uelit, creditori committere.

523 Sin oppignoratio ad nullum tempus fuerit restricta, pignus reluere debet, quando creditor postulat, nisi ad reluendum uelit compelli.

524 Ad hoc enim creditor non est obstrictus, ut rem alienam apud

apud se detineat, propriam uero alteri cedat, qua carere non potest.

525 Dummodo aequitatis habeat rationem, neq; occasionem captet, debitorem, inopia pressum, defraudandi, et, si solutionem ac reluitionem praestare nequit, rerento pignore, lucrum acquirendi.

526 Id, quod naturali iustitiae non minus repugnaret, quam si pignoris loco res, ad uitae quotidianae usum necessarias, sumere uellet.

527 Facta denique solutione, debiti omnis, quo debitor et creditor sibi inuicem obstricti erant, nexus soluitur.

528 IX. *Modi uero soluendi* obligationem, ex pacto ortam, sunt (1) praestatio eius, de quo fuit conuentum.

529 Qui quidem modus omnium est expeditissimus, et maxime naturalis, ipsi quippe pactorum, s. contractuum, naturae conformis.

530 Fieri autem potest uel solutione, uel delegatione.

531 Solutionem regulariter quidem facit is, qui debet, ei, cui aliquid ex conuentione debetur.

532 Potest tamen eandem alius quoque facere, cum nihil intersit, utrum ipse, qui debet, soluat, an alius pro illo, pr. l. quib. mod. toll. obligat.

533 Et hoc casu, qui pro altero, etiam inuito, soluit, solutum repetere potest, cum talis solutio donandi animum minime inducat, utpote qui non colligendus est ex hoc facto, sed probandus.

534 Idoneo autem creditori soluendum est, aut ei, qui ipsius nomine debita exigere solet, dummodo, eum facultate solutionem accipiendi instructum esse, constet.

535 Eo pariter loco et tempore, de quo inter creditorem et debitorem conuenit, solutio est facienda, cum certa alioqui negotiorum ratio iniri non possit.

536 Quanquam humanitas saepe et aequitas postulat, ut, prorogato solutionis die, morae quicquam debitori, propter inopiam, concedatur.

537 Proinde, quando solutio statim ab haerede dicitur esse facienda, id cum aliquo temperamento, adeoque non de puncto, sed de spatio temporis, intelligi debet, ne creditor debitorem adeat cum sacco, l. 105. ff. de solution.

538 Denique id soluendum est, quod creditori ex conuentione

debetur, idemque integrum, seu solidum, e.g. summa pecuniae creditae cum usuris.

539 Cum enim creditor integrum, quod sibi redditum iri, credit, debitum in alios denuo usus dispensare, certamque adeo rerum suarum rationem seruare uelle, censeatur, ex parte id ipsi inuito obtrudi nequit.

540 Quod si tamen pars fuerit illiquida, aut diuersae debeantur summae, aut leges civiles certam ordinent diuisionem, debitum quoque diuisim solui potest, etc.

541 Delegatio dicitur, qua quis creditori suo uolenti ac consentienti suum delegat, s. substituit, debitorem, ut obligationem soluat.

542 Estque nouationis quoddam genus, a nouatione in specie et cessione diuersum.

543 Scilicet nouatio, h. e. prioris obligationis in nouam transfusio, in specie sic dicta, est, quando, manente eodem creditore et debitore, genus obligationis mutatur.

544 Cessio autem est, quando, manente eodem debitore, creditor mutatur.

545 Delegatio contra est, quando, manente eodem creditore, debitor mutatur.

546 Hoc praeterea delegatio a cessione nominis, seu actionis, differre dicitur, quod in illa et creditoris, et debitoris consensus requiratur, in hac autem non aequae.

547 Item, quod cedens non omnino liberetur, sed nouo regressu possit conueniri, delegans autem ab omni obligatione fiat immunis.

548 Deniq;, quod cessio debitori cesso nullum afferat praeiudicium, delegatio autem, propter consensum debitoris requisitum, ei omnes contra priorem debitorem excipiendi vias praeccludat.

549 Sed distinctionem hanc in Romano magis iure, quam naturali, locum et usum habere, multi non inepte iudicant.

550 Adeoque id potissimum discriminis inter delegationem et cessionem naturaliter uideatur intercedere, quod debitor semper deleget creditori, contra cessio etiam iis fiat, quibus nihil debetur.

551 Caeterum, quid naturali hic iure requiratur, id generalibus de nemine laedendo, altero iuuando, seruanda fide, e. s. regulis aestimari potest.

552 (2)

552 (1) Rescissio pacti, seu contractus, eaque uel uoluntaria, uel inuoluntaria.

553 Voluntaria fit inptuo, libero ac pleno contrahentium dissenſu, ita, ut, re non amplius integra, id, quod praestitum est, uel restituatur, uel condonetur, uel compensetur.

554 Talis autem dissenſus debet fieri permittente lege, in iis scilicet negotiis, quorum rescissio nec plura secum incommoda trahit, nec quaesito tertii alicuius iuri derogat, nec propter singularem quandam sanctimoniam illicita est, e.g. in sponsalibus.

555 Quae quidem obstacula si absint, licitus omnino censendus est dissenſus, cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quodque dissoluere, quo colligatum est, l. 35. ff. de R. I.

556 Inuoluntaria fit propter perfidiam, quando alter contrahentium non praestat, quae praestare debebat.

557 Quoties enim obligatio, ex contractu proueniens, est mutua, uterque contrahentium suas implere debet partes.

558 Sin igitur unus datam abs se fidem implere nolit, nec alter praestandi necessitate tenetur, sed contractus non adimpleti exceptionem habet.

559 Hinc factum esse uidetur, ut uulgo dicant, quod fidem frangenti fides itidem sit frangenda.

560 Hoc nimirum sensu, quod ille, qui promissa non seruet, nec ab altero promissam poscere, uel expectare, debeat praestationem, l. 21. C. de pact.

561 Non autem, quasi pactum non seruantibus nec ullum seruari debeat pactum, cum perfidis etiam seruanda sit fides.

562 Imo dicendum est, in alterius arbitrio esse, utrum propter perfidiam a contractu prorsus uelit resilire, an perfidum adimplendam obligationem licitis adigere remediis.

563 Nam malitia, in perfidiam erumpens, ius pactum dissoluen- di, et fidem, semel recte datam, in alterius damnum uiolandi, haud concedit.

564 Quod si ergo remedia suppetunt pactum eo, quo perfidia est commissa, capite refarciendi, iis uti omnino licet, sin minus, pars laesa a sua etiam praestatione sese liberare, et obligationem nolens uolens abrumpere potest.

Ecc3

565 (3)

565(3) Compensatio, seu debiti ob debitum reciprocum sublatio.

566 Hac enim creditum et debitum ita inter se contribuuntur, ut unum propter alterum cesset, siue uterque, creditor et debitor, ab obligatione liberetur.

567 Quare liberatio ipso iure contingere dicitur Iuris Romanis, quamuis in iudicio, propter notitiam iudicis, per modum exceptionis, sit alleganda, nisi causa singulare habeat privilegium.

568 Caeteroquin est quasi solutio, breui manu facta, et commoditatis et concinnitatis causa, ad evitandam inutilis solutionis repetitionem, latentisque fraudis speciem.

569 Requiritur autem, ut debitum compensandum sit liquidum, seu tale, quod ipse debitor fatetur, aut, si malitiose id negare ausit, creditor statim uel documentis, uel testibus, probare possit.

570 Liquidum enim illiquido non potest compensari, l. fin. §. i. C. de compensat.

571 (4) Condonatio, seu remissio debiti, uel expresse, uel tacite, facta.

572. Expresse quidem, si creditor chirographum abolet, aut quibuscunque uerbis, solutionem, quae non facta est, factam esse, declarat, adeoque acceptilatione, aut solutione imaginaria, debitorem ab obligatione liberat.

573 Tacite autem, si creditor tale quid facit, quo praestatio, a debitore facienda, impeditur.

574 (5) Exspiratio propter mutationem status, decursum temporis, mortem, aut rei interitum.

575 Mutatio status contingit uel ratione eius, qui aliquid praestare debet, uel respectu eius, quod praestandum est.

576 Vtriusque generis mutatione obligatio exspirat, quoniam status tum rei, tum personae, praecipua est conditio, ex qua obligatio pendet.

577 Cesante igitur conditione, cessat et illud, quod conditione, ueluti fundamento suo, nitebatur.

578 At talis debet esse mutatio, quae omnes debitum praestandi uires adimat, nec dolose ad tollendam obligationem sit suscepta.

579 Decursu, uel lapsu, temporis definiti exspirat obligatio, nisi

si expressa, aut tacita, paciscentium uoluntate prolongetur, e. g. in locatione et conductione.

580 Praeterea hoc ita intelligendum est, si intra illud, quod elapsum est, tempus facultas debitum, aut ius aliquod, persequendi extiterit.

581 Hinc obtinet regula, quod non ualenti agere non currat praescriptio.

582 Morte soluitur obligatio, cum, sublato eo, qui debito sese obstrinxit, ipsum quoque debitum tollatur.

583 Scilicet, extincta persona, extinguuntur ea, quae personae adhaerent, et a persona sunt praestanda.

584 Adeoque personalis hic intelligenda est obligatio, quae personam haud egreditur, non realis, quae una cum re ad successionem, seu haereditatem, transit.

585 Hic enim, siquidem succedendo in bona defuncti, personam eius et actiue, et passiue, repraesentat, reales etiam obligationes, bonis adhaerentes, suscipit.

586 Praesertim si debitum ex bonis hereditariis praestare pietas iubeat, et officii ratio, e. g. in causis Ecclesiae, pauperum, pupillorum, reddituum publicorum, etc.

587 Quae quidem omnia, ratione naturalis tantum mortis, in animae corporisque dissolutione, hominisque ex hac uita excessu consistentis, non ciuilis etiam, ut Guilielmus Grotius uult, obtinent.

588 Mors quippe ciuilis, cum mutationem status in deterius, siue, ut ICI loquuntur, diminutionem capitis, complectatur, huc minime pertinet.

589 Denique interitu rei, quae debetur, tollitur obligatio, cum, quod amplius non existit, nec praestari possit.

590 Si nimirum species, non genus, aut res fungibilis, obligationis fuerit materia, neque interitus debitoris culpa euenerit.

591 Alioquin et res ex eodem genere restitui, et damnum a debitore praestari debet.

592 X. *Axiomata* sunt (1) Eximium humanae necessitatis remedium, certum felicitatis instrumentum, firmumque societatis uinculum existit pactum.

593 (2)

593 (2) Est igitur sanctissima perinde, atque uniuersalisissima, Iuris Naturae praeceptio, ut quisque alteri id praestet, quod praestandum pacto in se recepit.

594 (3) Cuiuslibet quippe hominis interest, firmas rerum suarum rationes inire, captisque ad prouehenda sua commoda consiliis atque institutis niti posse.

595 (4) Violato autem pacto, oritur damnum, ex damno laesio, ex laesione odium, ex odio uindicta, ex uindicta perniciēs.

596 (5) Amittit deceptor fidem, et impostoris nomen sortitur, inuisum omnibus se reddit atque infestum.

597 (6) Turbarum mater est perfidia, maximarumque calamitatum genitrix fraudulenta hominum malitia.

598 (7) Ergo sancta omnibus esto fides, quam ipse quondam Numa religiose coluit, cuiusque sedem in dextris sacratam esse, uoluit.

INSPECTIO III.

DE

I. N. CIRCA DOMINIUM.

I. *Natura domini.* II. *Fundamentum.* III. *Acquisitio.* IV. *Medium.* V. *Officia.* VI. *Axiomata.*

I I.

Natura domini consistit in facultate rem aliquam possidendi, habendi, et pro arbitrio dispensandi, seu disponendi.

2 Ideo dicitur ius, quo res aliqua cum a plenissimo utendi effectu ad aliquem pertinet, seu, quo res corporalis et singularis alicuius est propria, prout, ex acceptione Iuris Ciuilis, definitur in L23. et 56. ff. de R. V.

3 Patet hinc, proprietatem et dominium pro synonymis posse haberi, quanquam multi proprietatem perinde, ac possessionem, imperium, et usumfructum a dominio differre contendunt.

4 Ita nimirum, ut proprietas denotet qualitatem, qua res alterius dominio sit subiecta, possessio autem rei alicuius in potestate sua detentionem, imperium facultatem alterius actiones dirigendi, ususfructus ius re utendi et fruendi pro arbitrio.

5 Est itaque dominium princeps iuris in re species, rei inhaerens, et cum ipsa ad tertium quoque possessorem transiens.

(6) (7)

6 Est

6 Est ius, liberrima rem adhibendi alienandique facultate nitens, quoad conventionem, uel lege, non fuerit restrictum.

7 E. g. quod uxor praedium dotale non possit alienare, nec prodigus de bonis libere disponere, id civiles decernunt leges, pr. l. quib. alien. lic. l. 4. ff. de fund. dotal. l. 1. et 10. ff. de curat. furios.

8 Salutari sane consilio, cum expediat Reipublicae, re sua ne quis male utatur, §. 2. l. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.

9 Caeterum omnes aequae homines dominii sunt capaces, etiam furiosi et infantes, quamuis acquisitio perinde, atque administratio rerum per alios fieri debeat.

10 Cum enim dominium rei pertinentiam liberamque eius consumptionem complectatur, haec autem plenum Rationis usum minime postulet, quidni in eos etiam cadere? si Rationis non sunt compotes?

11 Quare uana est contentio eorum, qui, Gratum secuti, dominium furiosis et infantibus denegant, uel potentia tantum tribuunt.

12 Verum hoc certum est, non unum idemque omnibus in re omni dominium conuenire, cum uaria dominii dentur genera, seu diuersi potius dominii gradus.

13 Quippe, ratione effectus, aliud dominium est plenum, seu absolutum, quale quidem nos descripsimus, scilicet proprietas cum usufructu coniuncta, aliud minus plenum, seu restrictum, idemque uel directum, proprietas sine usufructu, uel utile, usufructus sine proprietate.

14 Ratione adiuncti, nimirum temporis, uel reuocabile est, seu non perpetuum, uel irreuocabile, seu constans et perpetuum.

15 Ratione subiecti, uel singulare est, seu unius, uel commune, seu plurium, item, uel subditorum, seu uulgare, uel imperantium, seu eminens, de quo infra in Politica.

16 Quaecumque autem sit dominium, humanum existit institutum.

17 Non enim ipsam rei substantiam, ueluti naturalis quaedam eius conditio, afficit, sed rei, in essentia sua iam constitutae, humano superuenit facto.

18 Tali nimirum, quo homines, ui iuris istius communis, quod diuinitus sibi concessum esse, intelligunt, rerum, inter se diuisarum, proprietates introduxerunt.

Fff

19 ll. Fun-

19 II. *Fundamentum* igitur domini est ius hominis in res creatas, tam animatas, quam inanimatas, prout uitae humanae necessitati, utilitati et commoditati inferuiunt.

20 Datam uero esse homini facultatem rebus creatis ad suos adhibendi usus, tum uitae humanae ratio, tum ipsa rerum creatarum natura suggerit.

21 Humana quidem uita sic est comparata, ut sine rerum plurimarum subsidiis, ad uictum maxime et amictum necessariis, conseruari nequeat.

22 Cum igitur Deus ita constituerit uitam, huiusque simul conseruandae et desiderium homini indiderit, et studium serio praeceperit, eundem et usum rerum, abs se conditarum, homini permisisse, credendum est.

23 Siquidem mediorum necessitas ex necessitate finis recte colligitur, et, qui hunc uoluerit, etiam illa uoluisse iudicatur.

24 Res autem creatae propemodum uniuersae tales sunt, quae humanis patent usibus, adeoque hominum gratia productae uidentur.

25 Scilicet, ut supra diximus, ex facto etiam uoluntas Dei est intelligenda, quoniam frustra quid facere diuinæ repugnat sapientiæ.

26 Quare omnia, quæ in terris gignantur, ad usum hominum creata, sed homines hominum causa generatos esse, Stoici docuerunt.

27 Et rerum naturam omnes fructus hominum gratia comparasse, asserit Ictus in l. 28. ff. de usur. et fructib. conf. qui ex instituto de dominio hoc scripserunt, Wendelerus, Plesmannus, Schmidius et Heumannus.

28 Hoc ergo dominium, quod quidem nonnulli, nescio quam subtilitatem affectantes, ius potius, quam dominium, uocare malunt, primis statim hominibus concessum a Deo fuisse, credendum est.

29 Ita nimirum, ut singuli res creatas ad necessitates utilitatesque suas, prout humani tum generis conditio, bonique ordinis studium, imo cuiusque status tulit, communi prorsus iure adhibere potuerint.

30 Quae quidem utendi ratio utrum negatiuam praecise communionem, an positiuam, constituerit, et qualem postea diuidendis uniuersitatibus introducendisque dominiis singularibus occasionem dederit, adeo disceptare nihil attinet.

31 Prae-

31 Praesertim cum, deficiente hic historia, et scriptoribus mirum in modum dissentientibus, nihil certi asseuerari possit, sed merae coniecturae locum habeant.

32 Sufficiat itaque nosse, homines, ui domini illius generalis, quod Deum in res creatas omnibus concessisse, diximus, et potuisse, et etiam nunc posse, rebus successuque diuisis, singularia illa constituere dominia, quae humana exigit conditio.

33 Ideo scilicet, ut, crescente hominum multitudine, et gliscente uoluptatum copia, lites ac discordiae euitentur.

34 Tum ut res, humanis usibus aptae, maiore cum cura et diligentia colantur, perficianturque in partibus, singulorum propriis, quam fieri solet in uniuersis et communibus.

35 Denique, ut et ordinatior, et commodior, et certior rerum omnium tractatio fieri, ipsaque adeo hominum uita et decorari magis, et facilius peragi possit.

36 Ad eiusmodi autem dominia rite stabilienda pacto opus fuisse, nemo, quod credam, negabit, nisi, primis hominibus rerum occupatarum proprietates, et tutas satis, et possessione longiores, curae cordique fuisse, simul negare uelit.

37 Sed particulare intelligendum est pactum, quale hodieque adhiberi solet, non uniuersale, a toto genere humano, saltem tacite, initum, ut Pufendorfius fingit, a quo plane dissentiunt Titius, Bynckershoeckius, aliique.

38 Quanquam rerum plurimarum dominia partim consensu tacito, partim ui, expulsis subactisque primis possessoribus, fuisse constituta, non diffitemur.

39 Neq; etiam dici potest, omnes in uniuersum res singulari cessisse dominio, cum quaedam ideo, quod omnium usibus sufficiunt, in uniuersali ueluti communione, eademque negatiua, utique manere debeant.

40 Talis est Oceanus, utpote qui, plurimarum gentium commercio patens, tanto minus ab uno alteroue populo in proprietatem redigi debet, quanto difficilior eiusdem custodia existit.

41 Vniuersum scilicet intelligendum est mare, et uastum, seu externum, non internum, accolens, et pro parte sumtum.

42 Quo quidem discrimine decidi potest controuersia, inter duo gentium praestantissimarum decora, Grotium et Seldenum, acriter agitata.

43 Ille nimirum pro maris libertate pugnavit, a partibus suis nactus Graswinckelium, Huberum, Vitriarium, Pontanum.

44 Hic contra pro seruitute maris contendit, pugnae socios habens Wellwodum, Burgum, Schoockium, Conringium, Strauchium, aliosque, recensitos a Schurzfleischio.

45 Quibus nouissime accessit eruditus Belga, Bynckershoeckius, idemque primus ex gente hac, libertati alioquin addictissima.

46 III. *Acquisitio* domini tum pleni, tum minus pleni, uel originaria est, uel deriuatiua, et utraque siue rerum principalium, siue accessoriarum.

47 Dominium plenum in rebus principalibus originarie acquiritur per occupationem.

48 Est autem occupatio rei nullius apprehensio corporalis, animo sibi habendi facta.

49 Res igitur occupanda debet esse nullius, h. e. nullius hominis dominio singulari subiecta, adeoque ui iuris communis, a Deo concessi, ei cedens, qui eandem primus ad usum suum apprehendit.

50 Hinc obtinet Regula, Quod nullius est, id naturali ratione cedit occupanti, l. 3. ff. de acquir. rer. domin.

51 Tales res hodie sunt regiones uacuae, aut desertae, ferae bestiae, pisces, uolucres, res a mari eiectae, derelictae, thesauri, item missilia.

52 Regiones uacuae, aut desertae, si ab uno occupentur, uni etiam cedunt, sin a pluribus, inter singulos sunt partiendae, rebus, quae diuisionem respuunt, in communione manentibus.

53 Ferae bestiae, pisces, uolucres, et res a mari eiectae, si quidem non extra, sed intra Rempublicani sunt, adeoque ad hanc etiam pertinent, tum demum occupari possunt, si easdem occupandi potestas a Republica, seu imperio ciuili, sit concessa.

54 Res derelictae, cum semel in priuato extiterint dominio, nec propter derelictionem publicae statim fiant, eatenus, tanquam res nullius, priuatorum patent occupationi, quoad lex ciuilis permittit.

55 Idem iudicandum est de thesauro, h. e. pecunia, a domino incognito

cognito deposita, et sine artibus prohibitis inuenta, seu, ut Ictis dicitur, pecunia uetere, cuius non existat memoria.

56 Scilicet talis quidem pecunia, siquidem Dei donum censeripotest, naturali utique ratione inuentori cedit.

57 Veruntamen, cum legislator humanus omne id, quod iuris naturalis permisiui est, pro ratione status ciuilis, definire possit, etiam hic liberum disponendi arbitrium habet.

58 Ita, ut, ipso decernente, thesaurus, uel in solidum, uel ex parte tantum, inuentori cedat, §. 39. I. de R. D. conf. erudita de hoc argumento dissertatio Mülleri.

59 Misilia sunt donaria, seu munera, quae in coronationibus Imperatorum, uel Regum, solemnitatis et memoriae causa, omnibus apprehendenda, spargi solent.

60 Porro ad occupationem corporalis requiritur apprehensio, h. e. actus naturalis, idemque externus, ipsum corpus afficiens, et rem in potestatem occupantis transferens.

61 Qualis quidem apprehensio, pro rei apprehendendae qualitate, non solis sit manibus, aut pedibus, sed etiam instrumentis, puta retibus, laqueis, decipulis, e. l.

62 Dummodo eiusmodi instrumenta in nostra sint potestate, et ferae ita inclusae, ut se ipsas extricare nequeant.

63 Non igitur satis est, bestiam uulnerasse, cum multa accidere possint, quae, quo minus ea capiatur, impedire ualent.

64 Fieri etiam debet apprehensio sibi habendi animo, cum talis affectio perinde, atque actus corporalis, inter acquirendae possessionis requisita habeatur.

65 Ita nimirum, si concessio legis, aut conuentio, saltem tacita, subest, utpote quam in omni occupatione intelligendam esse, ex iis, quae diximus, apparet.

66 Quemadmodum enim acquisitio dominii, tanquam effectus moralis, ex sola apprehensione, quippe actu physico, non pendet, ita nec solo proposito, deficiente iure, potest obtineri.

67 Ac proinde naturalis quidem acquirendi modus haberi potest occupatio, ita tamen, ut necessario lex, uel conuentio, praecessisse statuatur.

68 Non secus, ac primorum hominum nemo res occupando sibi proprias potuisset facere, nisi diuina dominiui uniuersalis concessio, et eorum, qui ius commune habuerunt, consensio prius constitisset.

69 Vnde et patet, occupationem bellicam, quam huc etiam referunt, iustum dominium aliter tribuere non posse, quam si, subsecuta pace, deuicti accedat consensus.

70 Deriuatiuus dominiui pleni in rebus principalibus acquirendi modus uel inter uiuos obtinet, uel mortis euentum respicit.

71 Inter uiuos dominium transfertur tum uoluntate expressa, tum uoluntate praesumta.

72 Expressa quidem per pacta, seu contractus quoscunque, praesumta autem per usucapionem, seu praescriptionem.

73 De contractibus cum proxima inspectione sit actum, de iis nihil addendum hic superest, nisi disquisitio de traditione, an ad transferendum dominium sit necessaria.

74 Naturaliter quidem, sine traditione, solo consensu, dominium posse transmitti, tam certum est, quam quod ipse contractus de acquirendo rei dominio mutua tantum uoluntate, rite declarata, constare potest.

75 Attamen ad maiorem dominiorum certitudinem traditionem, etiam iudicalem, praesertim in alienatione rerum immobilium, puta praediorum, requiri, ciuili utique fert ratio.

76 Usucapio, seu praescriptio, uulgo definitur, quod sit adiectio dominiui per continuationem possessionis temporis lege definiti l. 3. ff. de usucap.

77 Planius dici potest modus acquirendi dominium rei, nemine interpellante, aut impediante, in longa, quieta, nec interrupta, possessione retentae, hocque nomine possessori assertae.

78 Dicitur usucapio, seu praescriptio, quoniam hae uoces, generaliter acceptae, et Iure nouo, eandem habent significationem.

79 In sensu autem specialiore, et Iure antiquo, ita a se inuicem differre dicuntur, ut usucapio tribuat dominium, praescriptio. exceptionem, in rebus praesertim incorporalibus.

80 Fundamentum uero omnis usucapionis constituendum nobis uidetur in uoluntate praesumta, seu consensione eius, qui eo ipso, quod

quod rem ab altero quiete possideri patitur, in usucapionem censetur consentire.

81 Quae quidem praesumptio Schiltero aliisque dicitur uoluntarium interpretatiuum, quod ex tacendo regulariter oritur.

82 Equidem qui tacet, non utique fatetur, et ita actus, altero tacente gestus, respectu eius, uoluntarius per se et formaliter dici non potest, ex sententia l. 142. ff. de R. I.

83 Cum autem uerum sit, tacentem non negare, idcirco ex eius scientia, et negandi ac nolendi, h. e. contradicendi, facultate non exercita, cum tamen exerceri posset, consensus probabiliter colligitur, et, ut l. Ci loquuntur, regulariter praesumitur.

84 Qui igitur tacendo, permittendo, ac patiando non facit, quod facere poterat, is etiam in futurum nolle facere putatur.

85 Scilicet uoluntas, ut supra docuimus, non modo uerbis declarari potest, sed etiam factis, quæ et non facta comprehendunt, facti negatiuos, qualis est ille, quo quis, ab alio quid possideri, patitur.

86 Hoc quippe actu, nihil agendo, hoc censetur agere, ut rem suam alii tribuat, dum alium, pro domino eius se gerentem, non appellat, aut interpellat.

87 Neque enim inepte concluditur, quod ille rem sibi asserere ac uindicare nolit, qui asserendi uindicandique media, dum ea adhibere posset, negligit.

88 Cum enim omnis actus humanus, etiam in latiore acceptus sensu, adeoque non actum complectens, ex certa animi intentione proueniat, illius sane naturæ repugnat, cum, ubi sufficienter est indicatus, nullam habere efficaciam.

89 Consentienti autem et efficaciter uolenti neque fraus fit, neque iniuria, cum nullam possit uideri iniuriam accipere, qui semel uoluit, l. 1. §. 5. ff. de iniur. et l. 9. ff. de aqu. plu.

90 E. g. filius consentiens exheredationi, uel praeteritioni, excluditur ab hereditate parentum, l. 8. §. 6. ff. de bon. poss. contr. tab.

91 Et qui alienationi consentit, alienare intelligitur, l. 7. C. de praed. et aliis reb. minor.

92 Ergo omnis etiam usucapionis ratio eius nititur consensu, qui, postquam satis diu rem, quam repetere poterat, ab altero posside-

ri

ri passus est, et porro eiusdem possessionem pati uelle praesumitur.

93 Dico, quam repetere poterat, cum sciam, hic omnino requiri, ut occasionem et potestatem utendi, aut faciendi, quis habuerit, nec tamen usus sit, aut fecerit.

94 Hoc quippe illud est requisitum, quoposito, res iuris, seu non merae facultatis (qualis hic etiam intelligitur) non utendo amitti, atque adeo praesumpta, de qua diximus, uoluntas locum habere potest.

95 Et talis quidem uoluntas, iure naturali, ad usucapionem tanto magis sufficere posse uidetur, quanto conuenientius eidem est iuri, rerum semel acquisite dominia et certa semper esse, et extra lites posita, et hominibus, sua probe curantibus, asserta.

96 Veruntamen, sicut populorum rectores dominia rerum perinde, atque alia instituta, permittente iure naturali, introducta, pro usu ac necessitate, ordinare possunt, ita et hic certa insuper usucapionis requisita licite definiunt.

97 Sunt autem haec requisita potissimum bona fides, iustus titulus, et tempus legitimum.

98 Bona fides est opinio, qua quis credit, rem esse suam, sequi eam possidere ex iusta causa, a iusto domino acceptam.

99 Iustus titulus est causa possessionis, ad transferendum dominium habilis, e. g. haereditas, donatio, emptio.

100 Tempus legitimum est spatium annorum, a lege praescriptum, e. g. in rebus mobilibus triennium, in rebus immobilibus decennium inter praesentes, uicennium inter absentes.

101 Quod quidem in certis duntaxat ciuitatibus ita decerni potest, secus autem inter gentes liberas, quarum una peculiari alterius instituto non obstringitur.

102 Quare dicendum uidetur, ad iustam inter gentes praescriptionem, eamque rei uere ac proprie possessae, non centum praecise annos, ut uulgo statuunt, sed immemorabile requiri tempus.

103 H. e. tale, quod ultra hominum memoriam excurrit, seu hominum memoriae est exemptum, et cuius initii non exstat memoria.

104 Idque non ideo, quasi solum tempus, hominum memoriam excedens, id efficere possit, ut aliquis rei, tamdiu possessae, iustus fiat dominus.

105 Talem

105 Talem quippe uim effectricem solum tempus, quamuis longissimum, non habet, neque adeo modus acquirendi existere potest.

106 Est enim extrinseca tantum denominatio, scilicet quantitas durationis, naturam rei haud immutantis, adeoque nec moralem inducentis actum, siue ius, quale est dominium.

107 Sed quoniam ex tanto temporis decursu, quo possessio non interrupta, sed perpetua, durauit, talis, qualem ad usucapionem requiri, diximus, uoluntatis coniectura, seu praesumptio, fluit.

108 Non enim aliter concludi potest, quam eum, qui rem, ab altero possessam, per tempus longissimum, hominumque memoriam fugiens, repetere, aut persequi, noluit, cum tamen potuisset, in eius alienationem quocunque modo consensisse.

109 Et talis praesumptio tuendae possessioni tamdiu patrocinetur, donec contraria probatione acquisitionis illegitimae, hocque nomine identidem interpellatae, expiret, atque adeo immemorabile simul tempus intercidat.

110 Ita scilicet, si praesentis possessionis initium, idemque iniustum, fuerit probatum, non aliud possessionis genus, quod aliquando obtinuisse, documenta fortassis indicent.

111 Haec etiam causa est, cur uetustatem tantopere urgeant leges ciuiles et canones, e. g. l. 1. et 2. ff. de aqu. et aqu. plu. arc. l. 2. §. 5. 7. 8. et l. 3. §. 4. ff. de aqu. quotid. c. 1. de praescript. in 6. c. 26. X. de V. S.

112 Scilicet ea temporis longinquitas, cuius initii nulla exstat memoria, adeo ualidam iustae possessionis coniecturam parit, ut etiam tituli loco habeatur.

113 Prout uberius haec explicata reperiuntur in erudita illa dissertatione inaugurali, quam superiore anno, cum Academico fungeret Magistratu, Summo Nostro Wernhero Praeside, de praescriptione immemorabili solemniter habuit Dn. Beyerus, Dresdensis.

114 Quicum conferri possunt Cocceius, Boehmerus, Werlho-fius, Cramerus, Kestnerus, Hochstetterus, alique.

115 Posse autem usucapionem etiam inter gentes habere locum, tanto minus est dubium, quanto certius cum naturali ea iure congruit, contrarium licet statuuntibus Tholosano, Vasquio, Puteano, aliisque.

Ggg

116 Re-

116 Repugnat sane naturae rerum, in dominio existentium, esse alicuius proprias, certisque usibus destinatas, neque tamen a certo quopiam domino possidendas, debitoque modo utendas.

117 Male cohaeret, imo contradictio est, in re alicuius alienationem, diuturnamue, quin immemoriam, possessionem consentire, et eiusdem tamen rei uelle manere dominum.

118 Et, prout supra iam monuimus, humanae utique societatis interest, firma statui dominia, omnemque rixarum tolli materiam.

119 Quotus enim quisque rerum suarum foret securus, si possessionis, etiam hominum memoriam excedentis, titulum aliquando docere, aut, deficiente probatione, rem possessam interpellanti cedere deberet?

120 Quod regnum, quodue imperium, certum haberet dominum, si nec uetustas, aut longissimi temporis, pluriumue seculorum lapsus ullam iustae acquisitionis praesumptionem firmare posset?

121 Quare sic potius statuendum est, hoc magis usucapionem inter gentes esse admittendam, quod alioquin, deficiente communi iudice, lis omnis dubio committenda sit bello, infestisque dirimenda armis.

122 Eaque de causa recte Imperii Status ad immemoriam pro-uocarunt praescriptionem, cum superiore seculo iura aduersus Gallos essent tuenda, teste Pufendorfio.

123 Facilis autem suppetit responsio ad obiectiones eorum, qui, scriptores, modo nominatos, secuti, usucapionem pro iuris Ciui-
lis inuento, legibus naturalibus plane contrario, habent.

124 Quippe (1) eam in alterius, dicunt, tendere damnum, cum quo tamen nemo debeat fieri locupletior, ex l. 206. ff. de R. I.

125 Sed eiusmodi locupletatio (si nomen hoc retinere placet) non illegitima est, aut dolosa, sed legitima ac dolo uacua, ut superior dicta declarant.

126 2) Eandem instar poenae ad coërcendos homines, res suas ignauiter ac iusto diutius negligentes, adhiberi, putant, qualis tamen coërcitio ne quidem inter subditos semper, nedum inter gentes liberas, locum habere possit.

127 At distinguendum est inter finem primum et secundarium,

um, ille est certa ac secunda possessio constitutio, adeoque pacis ac tranquillitatis conseruatio, hic autem subditorum focordium coërcitio, in ciuitatibus nonnunquam adhibenda.

128 (3) Eam ab ipso Imperatore impium, aiunt, uocari praesidium, et improbam temporis allegationem, in Nouell. 9. praefat.

129 Verum Imperator non absolute omnem in genere usucapionem reiicit, cum eodem loco, bona Ecclesiae centum annorum praescriptione amitti, dicat, sed fraudem damnat, qua quis triginta annorum praescriptione contra Ecclesias abuti ausit.

130 Manet itaque usucapio, materialiter considerata, institutum, non poenae, sed publicae hominum utilitatis causa, ex hypothetica introductum necessitate, adeoque iuri naturali omnino respondens.

131 Quamquam, ratione formae ac modi externi, ex legibus, in ciuitate receptis, dependeat.

132 Dicta haec sunt de acquisitione domini inter uiuos, progredimur ad modos acquirendi propter mortem.

133 Mortis causa dominium bonorum, siue in uniuersum, siue ex parte, uel tacito pariter consensu transfertur, in successione ab intestato, uel expresso, in successione per testamentum.

134 Successio ab intestato est, qua bona, a defuncto relictæ, siue in totum, siue ex parte, sine expressa eius uoluntate, ex naturali perinde, atque ciuili ratione, sanguine propinquis cedunt.

135 Ideo nimirum, quod, introductis dominiis, certus utique successor requiritur, ut ne bona uel cuius occupanti pateant, uel incerta perpetuo fluctuent.

136 Peregrinis autem et alienis proximos quosque cognatos, quippe eodem sanguine coniunctos, eodemue copulatos stemmate, etiam hic praeferendos esse, ipsa suggerit natura.

137 Scilicet cum bona hereditaria sustentandae exornandaeque uitae inseruiant, adeoque inter maxima, quae homini ab homine obtingere possunt, beneficia referri debeant, nemo negauerit, in iis dispensandis potioris etiam ac iustioris dilectionis habendam esse rationem.

138 Ita nimirum, ut, pro diuersitate personarum, diuersi etiam amoris obseruentur gradus, et, quo quis propius alterum, siue neces-

fitudine, siue iurium communione, attingat, eo magis etiam ab altero amari, uel saltem amari debere, censeatur.

139 Et talis amor in defuncto hic tanto magis praesumitur, quanto credibilius est, quemque suae potius familiae, quam alienae uelle prospicere, adeoque illi etiam sua relinquere bona.

140 Praesertim cum, caeteris rebus omnibus in possessionem iam redactis, saepe uel nullam, uel difficillimam se conseruandi uiam habituri forent propinqui, e. g. liberi, si parentum demortuorum bonis esset carendum.

141 Ergo naturalis utiq; iuris est successio ab intestato, in se considerata, quamuis, ratione modi, ad civiles respiciat leges.

142 Neque adeo eos moramur, qui, nullam prorsus causam naturalem hic subesse, ideo contendunt, quoniam, expirante post mortem dominio, bona defuncti pro derelictis sint habenda, ac proinde non cognatis demum, utpote nullum ius habentibus, sed primo cuius occupanti assignanda.

143 Hoc quippe merum est assertum, nulla probabilitate subnixum, sed iis, quas adduximus, rationibus plane contrarium.

144 Etenim naturae domini, prout supra a nobis fuit descriptum, repugnat, id quidem ius esse, rei inhaerens, liberamque disponendi facultatem complectens, eatenus tamen haud ualere, ut ex praesumpta domini defuncti uoluntate perinde, atque expressa, ad proximum quemque cognatum transferri possit.

145, Neque etiam cum fine rerum, singularibus priuatisque dominiis subiectarum, congrueret, si, quoties earum possessor morte decessisset, toties proprietate exciderent, ac, ueluti derelictae, omnibus paterent, hocque nomine, inter funestas altercantium turbas, primo cuique occupanti cederent.

146 Denique frustra dicitur, liberis ac propinquis in parentum et coniunctorum bona nullum plane ius esse.

147 Nam, si necessarii, h. e. coniuncti et affines, sunt illi, quibus, iudicante Festo, praeter caeteros necessaria debentur officia, inter talia autem praecipua sint sustentatio et conseruatio, ex bonis acquisitis habenda, quidni ius aliquod in bona haec conueniret?

148 Nimirum ius et obligatio, tanquam relata, sibi inuicem respon-

spondent, ita, ut, posito uno, ponatur et alterum, h. e. quoties unus est obligatus ad aliquid alteri praestandum, alter ius habet, seu facultatem praestandum illud postulandi.

149 Cum igitur homines in perficiendis, quae lex naturae praecipit, officiis, pro diuersitate obiectorum, diuersos obseruare debeant gradus, adeoque, si caetera fuerint paria, propinquos peregrinis anteferre, inde obligatio utique existit, sub illa conditione, cognatos, prae illis, suis etiam bonis iuuandi, aut conseruandi.

150 Ex tali ergo obligatione nascitur ius, uni cognatorum in alteri bona ita competens, ut, stante illa conditione, ipso demortuo, in bona, ab intestato relictas, prae aliis hominibus succedere debeat.

151 Certum uero amoris ac beneficentiae ordinem ex uoluntate Dei esse seruandum, adeoque propinquos prae aliis hominibus diligendos ac iuuandos, dubio caret, ut supra docuimus Membr. I. huius Sect. pos. 307.

152 Vnde liberi, uiuo etiam patre, rerum paternarum domini quodammodo existimantur, l. ii. ff. de liber. et posthum. hered.

153 Naturae ac parentum commune uotum, seu naturalis ratio, quasi tacita quaedam lex, liberos ad successionem uocare dicitur in l. 7. in fin. ff. si tab. testam. null. extab. et l. 7. pr. ff. de bon. damnat.

154 Quare debitum naturale uocatur hereditas paterna ab Imperatore in l. 36. §. 7. C. de inoffic. test. et Nouell. i. §. 2.

155 Quinimo expressis uerbis successionem liberorum Iuri naturae adscribit Gratianus in c. 7. distinct. i.

156 Neque obstat, quod successio ab intestato, quatenus naturalis subsit ratio, imperfecto duntaxat iure niti, seu charitatis potius ac humanitatis, quam iustitiae, debitum esse dicatur.

157 Quo enim sensu praestatio, Iure naturali requisita, imperfecta uocari possit, supra docuimus Membr. I. hui. Sect. pos. 278.

158 Saltem sufficit, eundem Deum, qui pacta seruare iubet, charitatis etiam humanitatisque officia praecipere, ita, ut perinde in legem naturae peccetur, siue illa uiolentur, siue horum praestatio sine causa omittatur.

159 Ordo autem, in successione ab intestato obseruandus, est talis.

160 Primo loco ueniunt liberi, utpote quibus parentes et alimen-

ta debent, et sua potissimum bona acquirere censentur, ut paterni splendorem nominis conservare possint.

161 Intelligendi autem sunt liberi non tantum primi, sed et ulteriorum graduum, puta nepotes, quoniam his perinde, atque illis, naturalis subuenit ratio, hactenus, ut, iure repræsentationis, in bona parentum debeant succedere.

162 Nec liberorum censu excludi possunt illi, qui extra matrimonium, quale quidem in statu naturali pro more, boni ordinis gratia observando, in ciuili autem ex solemnitate præscripta iniri solet, quocunque modo sunt geniti.

163 Nam liberi, ex tali etiam concubitu suscepti, corporis existunt partes, adeoque, ut alimenta, ita paterna etiam bona, naturaliter participare debent; modo foemina, qua nati sint, honestior fuerit habita, nec defunctum certas ob causas aliter disposuisse, appareat.

164 Quanquam, his liberos, ex constanti cohabitatione, seu matrimonio legitimo, ortos, pro ratione circumstantiarum, adeoque naturali quadam æquitate, nonnunquam esse præferendos, non diffitemur.

165 Ac proinde iura ciuilia haud inique agunt, quando eiusmodi liberis alimenta tantum decernunt, qualia etiam ex coitu peculiari ter damnato, puta incestu, aut adulterio, susceptis assignari solent.

166 Quæ quidem omnia ita demum obtinent, si illi, quibus hereditas est deferenda, pro liberis fuerint agniti, nec a parentibus graues ob causas abdicati, seu exheredati.

167 Dico, graues ob causas, cum iusta debeat esse exhereditatio, adeoque iustis subniti causis, quarum quidem quatuordecim recensentur in Nouell. 115. c. 3. generalis autem est ingratitude.

168 Cum uero exhereditatio sit exclusio ab ea hereditatis parte, quæ ipsa lege deberur, adeoque legitima uocari solet, quaeritur, an non talis legitima sit iuris naturalis, adeoque exhereditatio huic iuri contrarietur?

169 Sic quidem existimare uidetur Muelenius, qui exheredationis iura, tanquam dura et seuera, prorsus damnat.

170 Sed distinguendum hic est inter legitimam, quæ necessariis tantummodo alimentis constat, et eam, quæ amplius quid, certam sci-

scilicet bonorum partem, ex lege ciuili complectitur.

171 Prior ita iuris naturalis esse uidetur, ut uix fratribus egenis, nedum liberis, etiam ingratīs, sustentatione carentib9, denegari possit.

172 Posterior uero ob unam alteramue causam earum, quas leges requirunt, utique adimi potest, cum, bona hereditaria dignis potius ac probis, quam indignis atque improbis, tribuenda esse, naturalis dictitet ratio.

173 Deficientibus liberis, in bona defuncti superstites eius parentes succedunt, utpote qui non tantum ipsa bona, uel saltem eorum initia, modisue eadem acquirendi, liberis procurasse, sed maximum etiam post liberos affectum naturaliter mereri censentur.

174 Praesertim cum talis successio solatium praebere debeat, bati mortalitatis ordinis, ut loquitur I Ctus in l. 15. pr. ff. de inoff. test.

175 Vnius etiam praedefuncti parentis ascendentes cum altero superstitē, esse admittendos, naturali plane aequitati conuenit, idq; tum maxime, si uel nulla, uel exigua sustentandi media suppetunt.

176 Cum parentibus, uel iis mortuis, germani etiam fratres, fratrumque liberi, et post eos, caeteri cognati succedunt.

177 Ita scilicet, prout quisque, uel defunctum sanguine propius attingit, adeoque praesumpti amoris praerogatiua gaudet, uel nominis memoriam certius longiusque prouehere posse censetur, uel etiam unus altero est indigentior.

178 Tales quippe circumstantias in distribuenda ab intestato hereditate tanto magis attendi oportet, quanto certius naturalis hoc modo aequitas obseruari potest.

179 Quanquam multa hic praeterea occurrunt, quae ciuiles demum leges plane definire possunt, utpote ad quas, ratione modi, utique pertinet successio ab intestato, caeteroquin, ratione rei, legibus naturae non minus conueniens, quam successio ex testamento.

180 Est autem testamentum declaratio uoluntatis, ratione successorum post mortem, seu est sententia uoluntatis de eo, quod quis post mortem suam fieri uult, definiente I Cto in l. 1. ff. de testam.

181 Huius quidem faciendi ratio ex ciuili pariter iure dependet, quippe quod certas hic solemnitates certamue formam specificam ita praescribere potest, ut, ea demum obseruata, testamentum inter subditos consulat.

182 Pro-

182 Proinde multa hic Romanae decernunt leges, ratione tum eorum, qui testamentum faciunt, tum personarum instituendarum, tum rei transferendae, tum modi testandi.

183 At ipsa testandi facultas naturali nititur iure, quoniam effectus est dominii, ui cuius quisque rerum suarum eatenus liber existit arbiter, quoad lege non prohibetur.

184 Quod si enim citra legem civilem alteri aliquid tam pure, quam conditionate, nec tantum irrevocabiliter, sed etiam revocabiliter, retento interim plenissimo possidendi iure, donari potest, cur non idem testamento fieri possit?

185 Quinimo ipsa vitae humanae ratio exigat, ut, facta bonorum partitione, possessiones maneat certae, adeoque lites, pacis felicitatisque impedimenta, praeripiantur.

186 Praeterea liberam certamque supremae voluntatis declarationem moribundo esse permittendam, tanto magis naturali convenit rationi, quanto maior mortalitatis consolatio eidem obtingere creditur, si, quas plurimo saepe labore paravit, fortunae eis assignare licuerit, quos maximo vivus amore sit complexus.

187 Denique testamenti factio inter eos etiam obtinet, qui iuri civili neutiquam sunt subiecti, puta, summos Imperantes, quibus integrum est regna sua patrimonialia, servata aequitatis ratione, ad alios testamento transmittere.

188 Non autem obstat, quod testator, dum de bonis suis disponit, tempus mortis respiciat, idque adeo tale, quo et membrum societatis humanae, et rerum suarum dominus esse definit.

189 Nam talis dispositio eo incipitur et absolvitur tempore, quo testator vivit, vivensque liberam disponendi facultatem tum absolute, tum conditionate, exercere potest.

190 Neque tempus illud, quo heres bona, testamento assignata, acquirit, mortuo scilicet testatore, inhabile censeri debet, cum voluntas testatoris vivi formaliter sit perfecta, et executio tantum in mortis eventum differatur.

191 Talem vero eventum factae a viuo dispositioni efficaciam adimere, bona testatoris reddendo vacua, aut derelicta, adeoque, veluti res nullius, primo occupanti exposita, id frustra dicitur.

192 Si

192 Si enim tale post mortem obtinet ius, actiuum et passiuum, quo nec defunctus, si debitor fuerit, a nexu suo soluitur, nec alius, eiusdem creditor, ab obligatione liberatur, quidni tale etiam in defuncto admittendum esset dominium naturale, quod in heredem, simul ac hereditatem acceperit, transeat?

193 Ergo naturalis utique iuris manet testamenti factio, in se et ratione formae genericae considerata, quamuis, ratione accidentium, seu formae specificae, perinde, atque alia instituta, lege civili definiti possit.

194 Quo quidem sensu eam non iuris privati, sed publici, h. e. naturae et gentium, esse dicit Papinianus in l. 3. ff. de testam.

195 Eaque de causa illud antiquae Latinitatis institutum, quo peregrini de bonis libere testari prohibebantur, et ad cuius similitudinem ius Albinagii in Gallia uidetur esse introductum, Imperator, Fridericus II. sustulit in Auerent. omnes peregrini C. commun. de succession.

196 Quippe priuatio de rebus propriis disponendi contra bonos mores dicitur in l. 61. pr. ff. de pact.

197 Dicta haec sunt de acquisitione rerum principalium, sequuntur nunc accessoriae.

198 Est autem res accessoria, seu accessio, quae utroque modo, originario, et deriuatiuo, acquiri potest, alia naturalis, alia artificialis.

199 Naturalis est incrementum, sine facto humano, solius naturae beneficio, ex re proueniens, seu rei superveniens, ut foetus animalium, fructus arborum, alluuius etc.

200 Artificialis contra est, quae cultura et industria hominum paratur, e. g. specificatio, inaedificatio, scriptura, pictura etc.

201 De utriusque generis accessione generalis habetur regula, quod accessorium sequatur suum principale, h. e. quod dominus rei principalis etiam sit dominus rei accessoriae.

202 Speciatim uero, ratione alluuiouis, distinguendum est inter agrum arcifinium, seu nullos fines, mensoria ratione comprehensos, habentem et limitatum, seu certis limitibus distinctum.

203 In illo quidem ius alluuiouis ita obtinet, ut quicquid flumen, cursu paulatim mutato, mutatisque simul territorii finibus, alteri

H h h

parti

parti adiecerit, eidem quoque cedat, secus autem in hoc.

204 De accessione artificiali notandum est, quod materia, seu res, et opera bene discerni debeat, utra nimirum pluri sit aestimanda, adeoque pro principali habenda.

205 Quippe in acquirendis rerum dominiis ualor moralis, seu pretium rei, utique attendi debet, quamuis id, quod rei naturaliter superuenit, eam, ut principalem, naturaliter etiam sequatur.

206 Proinde species cedit specificanti, charta scripturae, uel picturae etc. modo is, cui alterius res, uel opera, accedit, hanc pretium materiae, uel operarum refundat, eumque indeninem praestet.

207 Sed hactenus de dominio pleno, nunc de minus pleno est agendum.

208 Dominium minus plenum, idemque utile, in iis rebus obinet, ex quibus usum, uel commoditatem, percipere licet.

209 Species talis domini sunt emphyteusis, superficies, feudum et seruitus.

210 Emphyteusis, seu ius emphyteuticum, est dominium utile, in re immobili pro certa pensione, in recognitionem domini directi soluenda, alicui concessum.

211 Dicitur Emphyteusis (Erb-Pacht) nomine Graeco, quod Latinis est insitio, seu plantatio, quae partem designat culturae, propter quam ab initio steriles tantum fundi, constituta pensione certa, in perpetuum, uel plures annos dari solebant.

212 Accipitur autem plerumque pro ipso contractu, interdum pro re emphyteuticaria, saepe etiam pro iure, seu dominio utili, in emphyteutam translato.

213 Res, in emphyteusm data, uocatur praedium emphyteuticarium, seu ager uectigalis (Erbpacht - oder Zinsguht) dans, dominus emphyteusios (Zins- oder Erb-Herr) suscipiens, emphyteuta, seu emphyteuticarius (Zinsmann, Hübner etc.) pensio, uectigal, seu canon (Erb-Zins.)

214 Hoc ergo iure emphyteuta omnes fructus omniaque comoda ex re emphyteutica percipit, ideoque promissum etiam uectigal domino soluere, nec, nisi ipso consentiente, praedium alienare debet.

215 Su-

215 Superficies, seu ius superficiei, est, quo quis soli alieni superficiem, uel conductam, uel alio modo comparatam, instar domini, ad usum suum, ac sigillatim ad habitationem, adhibere, imo et alienare, potest.

216 Complectitur ergo ius tale quoddam dominii genus, ut cuius superficiario aedificium in solo alieno habere, adeoque superficie in tali solo uti ac frui licet.

217 Vtrum uero ius tale una cum interitu aedium extinguatur, an, iis deletis, superstes maneat, Doctores inter se ambigunt.

218 Quippe nonnulli id affirmant, partem dominii, superficiario concessam, ipsum solum afficere, aientes, alii contra, Pusendorfium secuti, negant, ideo quod alioqui non superficies soli, sed ipsum solum foret uenditum.

219 Prior sententia ex natura contractus uidetur praefenda, in dubio scilicet, seu eo casu, quo inter dominum soli ac superficiarium eiusque praedecessores de hoc expresse non conuenit.

220 Feudum, seu ius feudi, est dominium utile in re immobili a domino, proprietatem, seu dominium directum, retinente, alicui, ad fidem illi praestandam sese obliganti, constitutum.

221 Quare feudum etiam a fide nonnulli dictum uolunt, quam alii uocabulum hoc Gothicum et Longobardicum esse, putantes, ab antiquo feed, h. e. bello, deriuant, cum praedia, bello occupata, militibus colenda et fruenda ita fuerint tradita, ut uictorem perpetuo dominum, sequerentur uassallos, seu uasallos, aut homines, h. e. famulos, seu clientes, profiterentur.

222 Differt itaque ius feudi ab emphyteusi ratione tum formae, tum effectus.

223 Vassallus quippe fidem praestat, et ius suum regulariter non, nisi ad descendentes, uel agnatos masculos, transferre potest, contra emphyteuta annum soluit canonem, et ius habet, ad quoscunque heredes etiam extraneos transmittendum.

224 Quam uaria autem sint feuda, quidue de singulis eorum generibus obseruari debeat, iuris ciuilibus Doctores ex instituto tradunt, adeoque hic proponere non attinet.

225 Seruitus est ius, in re aliena constitutum, quo dominus aliquid

quid pati, uel non facere cogitur, unde aliter commodum percipere potest.

216. Est ergo seruitus, ratione praedii dominantis, ius, respectu subiecti seruiantis, passio, adeoque pro diuersitate hac non inepte in actiuam, et passiuam, et haec, prout in patiendi, aut non faciendi, consistat, in affirmatiuam et negatiuam. distinguere possit.

227. Caeterum, ratione subiecti dominantis, duplex est seruitus, personalis et realis, seu praedialis, quarum illa immediate personae, haec praedio constituitur, ita scilicet, ut in illa utilitas ex re aliena immediate ipsi personae obtingat, in hac autem mediante praedio, cui res seruit.

228. Scilicet duo hic occurrunt praedia, seruiens ac dominans, quorum illud, domino patiente, uel non agente, certam alteri utilitatem concedit, hoc uero utilitatem percipit.

229. Cum uero praedia uel ad usum rusticum, uel ad usum urbanum, h. e. uel habitationis, uel agriculturae, aut rei pecuariae causa constituantur, duplicis etiam generis seruitutes reales inde existunt, aliae rusticae, aliae urbanae.

230. Ergo non locus, sed usus praedia distinguit, et quale est praedium dominans, talis est seruitus.

231. Sunt autem seruitutes personales usus fructus, usus, habitatio et operae seruorum.

232. Reales, eaeque rusticae, sunt iter, actus, uia, aquae ductus, uel haustus, pecoris ad aquam appellus, ius pascendi, calcis coquendae, arenae fodiendae, aliaeque.

233. Ad urbanas, easdemque affirmatiuas, referuntur seruitutes oneris ferendi, ligni immittendi, stillicidii, uel fluminis auertendi, altius tollendi.

234. Inter negatiuas habentur seruitutes stillicidii, uel fluminis non auertendi, altius non tollendi, ne luminibus officiat.

235. Quae quidem omnes cum a iuris Ciuilibus doctoribus ex instituto explicentur, caeterum uero ex generalibus iuris Naturae regulis facile diiudicari possint, uberiore illarum expositione hic superfedemus.

236. Praesertim cum multae earum non, nisi ex ciuitatum instituto

tuto proueniant, adeoque extra urbes uix habeant locum, plurimae autem luxus commoditatisue causa sint introductae.

237 Quod uero seruitutes ad originarios acquirendi modos sint referendae, id frustra asseritur, cum potius, saltem pleraeque, non minus, quam accessiones resque principales, uel contractibus, uel testamentis, uel etiam usucapione ab uno ad alterum transferantur.

238 Quocumque autem modo rerum operarumue quarumlibet fiat acquisitio, certum requiritur medium eisdem prius inter se comparandi.

239 IV. *Medium* tale est pretium, seu quantitas moralis, rebus et actionibus, in commercium uenientibus, ideo imposita, ut illae inter se conferri et exaequari possint.

240 Dicitur quantitas moralis, in discrimen a quantitate naturali, aut mathematica, quae rei naturaliter ac per se inest, et numero, mensura ac pondere aestimatur, cum illa, moralis, ex impositione hominum, prout res usum in uita civili praestant, dependeat.

241 Originem ergo pretium habet partim a rerum et actionum utendarum diuersitate et inaequalitate, partim ab earum indigentia, necessitate, aut utilitate.

242 Scilicet, introductis rerum dominiis, commercia inter homines existere coeperunt, h. e. rerum, uel operarum, ad uitae humanae usum aptarum, permutationes.

243 Cum autem res diuersae prorsus naturae, adeoque inaequales, usumque inaequalem praestantes, aliter permutari non potuerint, nisi de tali, quale descripsimus, pretio prius conuenerit, hoc necessario fuit introducendum.

244 Enim uero non inopia magis, quam luxuria hominum, commercia, praesertim qualia hodie exercentur, elicit.

245 Quamuis enim cuique regioni non eadem omnia dederit Deus, sed ita, pro sapientia sua, ordinauerit, ut una alterius fructu indigeret, ideoque una etiam, cum altera communionem habens, mutuam seruaret amicitiam.

246 Attamen negari nequit, ob luxuriosam mollemque uiuendi rationem plurima inter gentes commercia uigere.

247 Et ipsam nostram Germaniam, cui ad bene commodeque

Hhh 3

uiuen-

uiuendum nihil desit, non tam egestatis, aut communitatis, quam libidinis luxusue causa, peregrinas expetere merces, asserit Clauerus.

248 Vnde etiam fit, ut homines rerum pretia non morali semper ratione, h. e. aptitudine ad necessarios uitae humanae usus, nedum naturali quadam praestantia, sed civili tantum habitu, seu mero arbitrio, aut affectu, metiri soleant.

249 Quod quidem in priuato commercio eatenus cuius licet, quoad Imperantis, uel Magistratus civilis, permiserit.

250 Proinde duplex potissimum est pretium, aliud naturale, aliud positium, hocque uel uulgare, uel eminens.

251 Naturale, alio nomine internum, aut uirtuale, dictum, est aestimatio rei, pro excellentia ipsius et utilitate facta, uel faciendae.

252 Positium, quod etiam externum, aduentitium, arbitrarium, nec non formale uocant, idemque uulgare, est ualor, rebus, uel operis, prout in commercio, aut uita communi, se habent, ex hominum arbitrio impositus.

253 Causa itaque, cur rebus et operis tale imponatur pretium, est necessitas, utilitas, commoditas, aut iucunditas, quam res, uel operae hominibus praestare possunt.

254 Nimirum, prout res, uel operae, talem habent aptitudinem, eamque cognitam et exploratam, pretium quoque recipere dicuntur.

255 Ergo res nullius usus, omnibus sufficientes, seu inexhaustae utilitatis, extra commercium positae, aliaeque finitae, pretio carent.

256 Nec alia est causa, cur pretium modo intendatur, modo remittatur, quam maior minorue rerum, aut operarum, uel necessitas, uel utilitas, uel raritas, uel difficultas, uel dignitas.

257 Equidem ex singulari saepe affectu res aliqua maximi habetur pretii, quod affectionis dici solet.

258 Verum et huius fundamentum in raritate uidetur esse positum, siue reuera, siue per opinionem tali.

259 Neque adeo eiusmodi pretium ab aliis semper attendi oportet, siquidem nec eandem quisque opinionem fouere, nec unus alterius affectum, praesertim uanum, sequi debeat, de quo quidem pretio legi possunt Boeclerus, Cocceius, Thomafius.

260 Potius communi standum est pretio, quod utilitate ac necessitate

cessitate rei nititur, siue usu receptum sit, siue lege introductum.

261 Scilicet in naturali quidem statu pretium ex solo contrahentium arbitrio ita pender, ut rei duntaxat aptitudo, uel usus etiam fori, regulariter attendatur.

262 Verum in statu civili, etiam Magistratus lege determinare possunt pretia, habita rerum ac personarum ratione.

263 Vnde pretium uulgare, seu commune duplex existit, aliud pactitium, seu conventionale, aliud legitimum, seu legale.

264 Illud arbitrarium est, incertum ac uarium, cum modo augeri soleat, modo diminui, adeoque aliquam admittat latitudinem, praesertim inter mercatores, quorum solertiae aliquid dari, conuenit.

265 Hoc uero in puncto (ἐν σημειῶ) saepe constituitur, adeoque certum existit et constans.

266 Cum autem expediendis hominum negotiis instityendis-que commerciis, seu rerum operarumue permutationibus, non sufficeret pretium uulgare, introducendum fuit eminens.

267 Tanta scilicet nobilitatis materia, quae ualorem quemcunque exaequare, adeoque omnium rerum et operarum pretio respondere possit.

268 Et tale pretium est nummus, seu metallum rarius, quod commodam hominum tractationem perinde, ac maiorem minoremue quantitatem admittit, nec usu facile deteritur.

269 Requisita igitur nummi, eminens constituentis pretium, sunt nobilitas, soliditas ac diuisibilitas.

270 Nobile quidem oportet esse metallum, neque adeo frequens, seu copiosum, quia caeterarum rerum omnium pretium eminenter in se continere debet.

271 Tale metallum cum aurum existat atque argentum, hoc etiam gentes plerasque cudendae monetae adhibere, constat, testante hoc inter alios Zentgrauius.

272 Quanquam olim ex aere et ferro nummos fuisse cufos, et argenteos A. V. C. CCCC LXXXIV. aureos A. DXLVI. introductos, historiae testantur.

273 Et tempore necessitatis, praesertim inopiae, ex bello, uel obfidione, orae, corium, modico argento inclusum, aliasque res nummorum uicem subiisse, non ignotum est.

274 Imo

274 Imo etiam nunc apud barbaros novarum regionum incolae loco monetae globulos vitreos, conchylia, amygdala, aliosque huius generis fructus usurpari, scriptores referunt.

275 Solidam uero, seu compactam, oportet esse monetam, ut ne, si usu facile atteratur, saltem in ultimos possessores damnum inde proueniat.

276 Quapropter maxima utique cura opus est in tractandis eiusmodi nummis, quales tempore necessitatis ex leui materia factos fuisse, diximus.

277 Diuisionem denique nummus admittat, necesse est, cum minutiores perinde, ac maiores partes ad exaequanda omnium rerum pretia in commercio requirantur.

278 Quis autem nummorum debeat esse ualor, tum intrinsecus, tum extrinsecus, in statu civili decernunt imperantes, utpote quorum regalibus, seu iuribus maiestatis, hoc etiam accenseri, in Politica docebimus.

279 Id, quod publica indicant signa, quae monetae imprimi solent, tum ad comprobandum publicam auctoritatem, tum ad commonendos obsequii subditos, tum etiam ad conseruandam temporum rerumque memoriam.

280 Quapropter maximus utiq; nummorum est usus, prout doctissimi uiri ex instituto docuerunt, nominatim Spanhemius, Clericus, Schurzleischius, Fabricius.

281 Quibuscum ii conferri possunt, qui de origine nummi, seu pecuniae, commentati sunt, uti Salmasius, Ludolphi, et a Lingen.

282 Cum autem instituendis potissimum commerciis inferuire debeat moneta, in hac etiam definienda istorum habenda est ratio, ita, ut communis gentium uicinarum aestimatio perinde, ac materiae bonitas attendatur.

283 Nec sine causa grauiore, aut necessitate, nummi semel recepti facienda est mutatio, quippe quae maximam plerumque noxam et confusionem post se trahit.

284 Quae quidem omnia exacte conueniunt cum iis, quae ciuiles etiam leges de natura et fine nummi docent.

285 Quippe electa dicitur materia, cuius publica ac perpetua aestima-

aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitaris subuenit, quaeque, forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate l. i. pr. ff. de contrah. emt.

286 Vbi per materiam electam tale intelligitur metallum, quod propter nobilitatem suam, ex communi gentium consensione, in pretio habetur, eademque adeo ratione, uelut aptissimum rerum instrumentum, adhibetur.

287 Quare publicam perpetuamq; eius aestimationem difficultatibus permutationum subuenire, dicit ICtus, quoniam, ut antea docuerat, non facile concurrebat, ut duo pluresue haberent, quod inuicem permutare possent.

288 Perpetuam uero uocat aestimationem, ut indicet, stabilem oportere esse pecuniam, quippe omnium pretiorum normam, seu mensuram, omniumque pactionum fundamentum, cuius antiquo ualore sublato, maxima corruunt negotia.

289 Et perpetuam hanc aestimationem etiam formam nummi constituere, eo ICtus innuit, quod usum dominiumque non tam ex substantia, quam ex quantitate, praebere, dicit.

290 Scilicet substantia nummi, tanquam materiale, ipsam auri argentine massam, eiusque pondus continens, a quantitate seu aestimatione publica, impressis confirmata signis, suam accipit formam.

291 Idcirco requiritur, ut nummi duplicem habeant bonitatem, extrinsecam (Gäng und Gabe) et intrinsecam (Halt und Gewicht) h. e. ut debiti sint ponderis et speciei probae, ut loquuntur Impp. in l. i. C. de uet. numism. potest.

292 Quod nostrates alias exprimunt per Schrot und Korn, quas quidem uoces, praeter alios, non inepte explicat Schilterus.

293 Cum autem talis introductio pretii perinde, atque certa rerum possessio, non exiguum diuinae prouidentiae beneficium, nec minima felicitatis humanae pars extet, par utique est, ut quisque, dominiis recte utendo, gratam hoc nomine mentem comprobet.

294 V. Officia ergo, hic obseruanda, uel generalia sunt, uel specialia.

295 Generalia in eo consistunt, ut quisq; (α) alterum quietam rerum suarum possessionem uti fruique sinat (β) rem alienam, penes se extan-

tem, uel, ea non extante, lucrum, inde captum, domino restituat, (γ) in statuendo rerum operarumque pretio aequitati attendat.

296 Nituntur haec officia communibus iuris naturae praeceptis de nemine laedendo, suo cuique tribuendo, damno reparando, alterius commodo procurando, aequo et bono seruando.

297 Specialia autem respiciunt partim eum, qui rem alienam bona fide possidet, partim eum, qui rem alienam inuenit.

298 Bonae fidei possessor, h. e. qui iusto titulo a non-domino, quem dominum putauit, rem aliquam acquirit, non modo rem ipsam et fructus adhuc extantes, sed et lucrum, ex fructibus consumptis, aut re, non amplius existente, perceptum, deductis deducendis, domino legitimo restituere debet.

299 Equidem non desunt, qui talem rei alienae restitutionem stricti esse iuris, omnino negant, his usi rationibus.

300 (1) Quoniam, qui iusto rem titulo acquisierit, is iustus etiam et uerus eiusdem habendus sit dominus, haud secus, ac si res non fuisset aliena, cum bona fides tantum praestet b. f. possessori, quantum rei ueritas, h. e. dominium, domino, l. 36. ff. de R. I.

301 (2) Quoniam in toto acquisitionis actu nequicquam sit, quod eatenus b. f. possessori imputari possit, ut gratuita rei restitutione damnum perpeti, et ipse magis, quam primus possessor, iacturam ferre debeat.

302 (3) Quoniam naturalis postulat ratio, ut non b. f. possessor ad-eatur, qui neminem laeferit, sed iniustus potius usurpator, qui, rem alienam auferendo alienandoque, culpam admiserit.

303 Verum, quam speciosae uideantur hae rationes, ipsa tamen rei alienae natura docet, etiam ad gratuitam eius restitutionem b. f. possessorem esse obstrictum.

304 Scilicet ad omnem alienationem, siquidem iusta esse debet ac firma, requiritur, ut res alienanda in alienantis sit potestate, h. e. ita ipsi propria, ut eandem, pro legitimo, quod in eam habet, dominio, ad alium transferre possit.

305 Cum autem res aliena, quamdiu est aliena, h. e. ad alium, qui legitimus eius est dominus, pertinens, sit maneatque talis, in quam usurpator, quocunque eam modo sibi tribuerit, nullum habet dominium, nec iuste, aut ualide, ab hoc alienari potest.

306. Ta-

306 Talis igitur actus alienationis pro nullo est habendus, ita, ut quocumq; demum titulo res aliena in tertium a non-domino fuerit translata, aliena maneat, h. e. primo, eidemq; iusto, domino propria.

307 Repugnaret quippe rei alienae naturae, eam in solidum ad iustum aliquem pertinere dominum, et iniusto tamen usurpatori ita fieri propriam, ut in alium ab hoc ualide transferri possit.

308 Contradictio foret, nullum in rem iniuste possessam habere dominium, et eiusdem tamen dominium in alium posse transferre.

309 Quod si ergo iniustus rei alienae usurpator nihil potest transmittere, nec b. f. possessor quicquam potest accipere.

310 Nam correlatorum idem est iudicium, unum non potest esse sine altero, neque procedit in altero, quod in uno non procedit.

311 Ad contrarias autem rationes facilis suppetit responsio.

312 Scilicet (1) bona quidem fides tantum praestat b. f. possessori, quantum dominium domino, quamdiu ille, rem esse alienam, ignorat, adeoque, bona subnixus fide, re, tanquam sua, utitur, uel non utitur.

313 At, simulac, qualis sit res, innotuerit, cessat bona fides, ita, ut reddenda sit, legitimo domino res usurpata, non detinenda.

314 (2) Acquisitionis actus, si b. f. possessor alienantis malitiam plane non scire potuit, hoc quidem respectu, non formaliter est uitiosus, at tamen materialiter.

315 Ideo nempe, quia materia, seu obiectum, est res aliena, h. e. talis, quae nullo modo alienari, adeoque nec acquiri hactenus potest, ut iusto domino post scientiam sit deneganda.

316 Cum ergo, deficiente alienandi potestate, b. f. possessor cum tali, quo diximus, effectu nihil acquisiuisse, contra primus, idemq; legitimus, dominus ius suum saluum retinuisse censendus sit, nullum est dubium, quin ille huic etiam gratis rem restituere debeat.

317 Si enim ueritas praeualet opinioni, et fictum cedit uero, quidni ius, quod quis re uera habet, ei sit praefendum, quod quis, se habere, putat?

318 Cur autem (3) legitimus dominus usurpatorem prius, quam b. f. possessorem, adire debeat, adeo nulla subest ratio, ut contrarium potius sit asserendum.

319 Id potissimum agit, et iure agere iudicandus est dominus, ut rem suam, ubicunque eam deprehenderit, illico sibi recuperet, non, usurpatorem persequendo, aut laesionem, ab eo factam, vindicando, per longas demum ambages impense requirat.

320 At uero bonae fidei possessor damni sibi illati reparationem iusta ratione ab usurpatore potest exigere.

321 Sin nulla eum conueniendi copia suppetat, pro infortunio reputare debet, in talem incidisse hominem, non secus, ac si furto quicquam amisisset.

322 Impensas autem, necessariae conseruationis augendaeue utilitatis causa in rem bona fide possessam factas, detrahit, quodue orandae speciei insumsit, si salua rei substantia fieri potest, tollit, aut capta inde uoluptate compensat.

323 Nam triplices hasce impensas, necessarias, utiles, ac uoluptuarias, omnino a se inuicem discerni oportet, quanquam leges civiles, pro rei diuersitate, diuersa etiam ratione eas considerant.

324 Et talis quidem detractio hoc magis fieri potest, quod b. f. possessor non modo rem ipsam, et fructus adhuc extantes, sed omne etiam lucrum, ex fructibus consumtis, aut re, non amplius existente, percepit, ut diximus, restituere debet.

325 Si enim iniquum putare debet b. f. possessor, dominum ex lucro cessante capere damnum, nec dominus committere debet, ut b. f. possessor, suo cum damno rem alienam se conseruasse, aut meliorasse, queratur.

326 Quippe aequissima iuris naturalis est regula, quod nemo cum alterius damno debeat fieri locupletior, cum talis locupletatio non, nisi altero laeso, et sublata aequalitate, fieri possit.

327 Rei autem, quocunque modo, citra lucrum inde captum, perditae, et fructuum percipiendorum, a bonae autem fidei possessore, pro eo, quod, tanquam dominus, se habere, credidit, arbitrio, neglectorum, nulla reddenda est ratio.

328 Hic enim regula, superius exposita, succurrit, quod b. f. tantum praestet b. f. possessori, quantum rei ueritas, seu dominium, domino, adeoq; uoluntas, in nullius laesionem directa, pro casu sit habenda.

329 Officium eius, qui rem alienam, quae inuito excidisse domi-

no

no credenda est, inuenit, id potissimum complectitur, ut, facta denunciatione, eam restituat.

330 Ergo animo sibi habendi, aut retinendi, tacitus eam colligere non potest, quia sola inuentio dominium, quippe ex lege, nel pacto, proueniens, non tribuit.

331 Facta autem denunciatione, nec apparente domino, ea, ueluti derelicta, ipsi cedit, tanquam primo occupanti, cui ipsa fors, aut fortuna, rem talem destinasse creditur, ut plane hoc docuimus in Membr. III. Part. Praelim. I. N. pos. 238.

332 VI. *Axiomata* sunt: (1) Si quicquam est, unde suam homo praestantiam suamque felicitatem intelligere possit, ius certe est, ipsi in mundum hunc diuinitus concessum.

333 (2) Hoc quippe iure rerum, ad amplissimos uitae qualiscunque usus sufficientium, dominus existit.

334 (3) Neque enim in uasto hoc uniuerso facile quid reperitur, quin humanae, siue necessitati, siue utilitati, siue commoditati inseruiat.

335 (4) Coelum, terra, ignis, aer, et aqua partim lucendo, partim nutriendo, partim fouendo conseruandoque homini ministrant.

336 (5) Animantia bruta, una cum caeteris rebus inanimatis, siue utilem praestant operam, siue bona porrigunt esculenta, siue uarias praebent uestes, siue morborum uulnerumque suppeditant remedia.

337 (6) Quae quidem diuinae prouidentiae beneficia commone-re debent hominem, ut, rebus, sibi concessis, recte utendo, Dei, datoris summi-que domini, uoluntati respondeat.

338 (7) Id uero sapientissimum uelle Numen, credendum est, ut, sicut omnia ab ipso proueniunt, ita omnia ad ipsius gloriam homo referat.

ARTICVLVS II.

DE

I. N. RATIONE PECULIARIS RELATIONIS.

Peculiaris relatio existit (1) inter Maritum et Vxorem (2) inter Parentes et Liberos (3) inter Dominum et Seruum (4) inter Familias coniunctas.

INSPECTIO I

DE

I. N. CIRCA MARITVM ET VXOREM.

I. *Fundamentum*. II. *Requisita*. III. *Effectus*. IV. *Opposita*. V. *Controversae*. VI. *Axiomata*.

IL

Fundamentum relationis, quae marito cum uxore intercedit, est coniugium, h. e. maris et foeminae habilium coniunctio, ex voluntate diuina, procreandae, educandaeque sobolis, aut uitae honestius commodiusque agenda causa, mutuo, eoque libero ac pleno, consensu legibus bonisue moribus conuenienter facta.

2 Dicitur coniugium aliis nominibus matrimonium, connubium, Germanis Ehe, a uocabulo Franconico Ee, quod legem significat, unde Ehehaften hodieque dicuntur impedimenta legitima.

3 Accipitur autem coniugium modo causaliter pro contractu matrimoniali, modo effectiue, seu formaliter, pro ipso statu coniugum, tanquam conuentionis effectum.

4 Quo quidem sensu nobis dicitur coniunctio, h. e. actualis copulatio, seu cohabitatio, ut in sua eandem definitione uocat Grotius.

5 Quanquam definitio illa, qua foeminam tali cohabitatione quasi sub oculis et custodia mariti constitui, dicit, et lata nimis, et imperfecta habetur a Mullero, Kulpisio, Feldeno, aliisque Grotii commentatoribus.

6 Forma essentialis matrimonii consistit in mutuo, eoque libero ac pleno, consensu, utpote quo omne pactum, omnemque contractum constitui, supra diximus.

7 Eaque de causa hic perinde, atque in aliis conuentionibus, dolum, uim, metum atque errorem, in substantialibus obortum, consensui obstat, credendum est.

8 Quanquam, quid uariis hic casibus obtinere debeat, leges civiles specialiter definire solent.

9 Et talem quidem consensum, a contrahentibus rite declaratum, Iure naturali ad matrimonium posse sufficere, nemo dubitabit.

10 Ad perficiendum quippe pactum satis est, si illi, quorum causa agitur, et intra quos negotium subsistit, pro ea, qua pollent, paciscendi facultate, consentiunt.

II Atta-

11 Attamen non defunt caufae, cur parentum etiam confenfum liberi, matrimonium inituri, requirere debeant.

12 Scilicet intereft parentum, talia liberorum effe connubia, unde nec dedecoris quicquam, nec oneris in familiam redundare poffit.

13 Cum autem non aequis femper dux exiftat amor, adeoque inconfulta iuuentus eo fe facile feduci patiatur, utique in confilium adhibendi funt parentes, prudentia et circumfpectione ualidi.

14 Accedit, quod reuerentia, parentibus debita, talem exigat confenfum, praefertim fi intra familiam paternam exiftant liberi, fic etiam fentiente Stryckio.

15 Quare matrimonia, inuitis, aut praeteritis, parentibus, contracta, non unis exagitari cafibus, monet Becmannus.

16 Quod fitamen parentes fine cauffa grauiore, ex mera animi obftinatione, confenfum denegent, eo non interueniente, coniugia iure naturali hoc magis funt rata, quod etiam, eo non requifito, confiftunt, ita peculiariter docentibus Thomafio, Gribnero aliisque.

17 At iure ciuili, ac figillatim Saxonico, tam neceffarius eft parentum confenfus, ut, nifi debite fuerit requifitus, matrimonium habeatur pro nullo.

18 Forma coniugii accidentalis certas complectitur folemnitates, a ciuili plerumque imperio praefcribi folitas, quas quidem ius naturae, quippe fimpliciffimum, plane ignorat, boni tamen decentisue ordinis cauffa, pro eo, quod Magiftratui debetur, obfequio, feruare iubet.

19 Id circo dicimus, coniugium legibus bonisue moribus conuenienter effe perficiendum, h. e. obferuatis, quos leges ac mores poftulant, ritibus.

20 Tales funt e. g. fponfalia publica, proclamatio, et copulatio, feu benedictio (εὐλογία) sacerdotalis.

21 Sponfalia dicuntur mentio ac repromiffio futurarum nuptiarum, h. e. mutua futuri matrimonii promiffio, cum quadam folemnitate, e. g. coram certis teftibus, data certa teffera, feu arrha fponfalitia, rite facta.

22 Proclamatio, a Canoniftis bannum dicta, eft ritus, quo futuri coniuges publica autoritate ex fuffeftu, tribus plerumque uicibus,
a mi-

a ministro Ecclesiae denunciantur, ut, aliis bene comprecantibus, nec quopiam interpellante, et auspicatus, et tutius matrimonium inire possint.

23 Copulatio sacerdotalis dicitur actus, quo sponsus et sponsa a ministro Ecclesiae, in sacro plerumque loco, adhibita certa solemnitate, e. g. traditis arrhis, iunctis dexteris, praemissis adhortationibus recitatisque precibus, inaugurantur, de qua scripsit Mullerus.

24 Quae quidem omnia, ut diximus, ad subditorum requiruntur matrimonia, non imperantium, utpote quorum connubia, sicuti Ratione Status plerumque nituntur, ita cum priuatorum nuptiis parum communis habent, prout hoc late exponunt Barclaius, Moehringius, Roehrensee, Dulfseckerus, Stryckius aliique.

25 Ac proinde nullum est dubium, quin Principes clandestina etiam coniugia (Gallis mariages de conscience dicta) sine omni solemnitate inire possint, de quibus legi meretur Gentzkenius.

26 Finis matrimonii tum sobolis est procreatio et educatio, tum vitae honestas et commoditas.

27 Posterior est finis generalis, cuique matrimonio praestitendus, prior autem specialis et exquisitus, ab iis potissimum respiciendus, qui liberis, ad naturae suae similitudinem generandis, sunt apti.

28 Haec enim aptitudo cum neque in omnibus, neque omni tempore existat, saltem ob commoditatem vitae, ex mutua opis praestitatione rerumque communione habendam, iniri debet coniugium.

29 Eaque de causa honestum omnino censeri debet matrimonium, inter senes aequalis fere aetatis contractum, tix autem inter marem iuuenem et mulierem uetulam, aut uice uersa.

30 In tali quippe matrimonio cum alterutra coniugum pars ad generandum sit habilis, etiam generationem prolis spectari, ac propterea aliam quaeri coniugem oportebat, ut bene monet Bodinus.

31 Neque enim uel sola vitae commoditas, uel quaecunque libidinis extinctio iustum reddit coniugium, ubi sobolis fieri poterat ac debebat propagatio.

32 Hic enim nobilissimus coniugii est finis, eoque potissimum respectu maris et foeminae coniunctionem ex diuina institui uoluntate, dicimus.

33 Scilicet, abstrahentes a prima coniugii origine, qualem Reuelatio nobis exponit, eam hic Dei intelligimus uoluntatem, quae, factis et operibus declarata, naturae legem, a sola Ratione assequendam, constituit.

34 Naturam itaque hominis contemplando, cognoscimus, duos existere sexus, eosdemque multis quidem modis a se diuersos, mutuo tamen amore adeo erga se inuicem propensos, ut alter alterius coniunctionem ardentissime appetat.

35 Haec autem coniunctio non magis in animorum unione consistit, quam in tali corporum commixtione, qua alter cum altero, non sine cupiditate ac suauitate, id communicat, quod ad producendum naturae suae simile suppetit.

36 Quae quidem omnia cum Deus, naturae parens, ita constituerit, ecquis, ad certum ea finem ordinata esse, negaret, nisi, sapientissimum Creatorem frustra quid condere posse, non impio minus, quam temerario, ausu, dicere uellet?

37 At finis non uana esse potest uoluptas, ex tali percipienda actū, quem, homini quippe cum brutis fere communem, tam indignum iudicant sapientes, ut latebris non minus debeat occultari, quam corporis pudenda uestibus uelare decet.

38 Quinimo uulgarem coitionis rationem mentis humanae celsitudinem deiicere, et tantum non epilepsiae esse similem, multi docuerunt, teste inter alios Treuero.

39 Consequitur ergo, hanc demum Creatoris esse uoluntatem, ut homo inditam sexus alterius appetitionem, facultatemque simile aliquod generandi concessam, ad procreationem sobolis, generisque adeo humani conseruationem, referat.

40 Haec potissimum causa haberi debet, cur hominum genus in uirilem ac muliebrem sexum distinxerit Deus, cur mutuam uni in alterum propensionem indiderit, cur certas corporis partes ad coniunctionem formauerit, uimque nobilissimum elaborandi semen concefferit.

41 Quid? quod ipse uoluptatis sensus, qualem non effrenata quidem libido, sed naturalis partium genitalium titillatio praebet, ideo commixtionem hanc comitari credendus est, ut eo magis ad

K k k

gene-

generandos educandosque cum molestia liberos homo alliciatur.

42 Repugnat ergo naturae, solius uoluptatis caussa consuescere, uagamque, aut damnatam, Venerem nullo prolis studio sectari.

43 Nefandum est facinus, quo corporis membra, ad praestantissimum ordinata finem, uel improba contrectantur manu, uel contra naturam ad quamcunque applicantur libidinem, cuius genera praeter alios descripserunt Beuerlandus, Brandius, Amyraldus et Osterwaldus.

44 Proinde fuga magis et odio, quam confutatione, digni habendi sunt, qui ne grauissima quidem impuritatis scelera lege naturali illicita, sed diuino tantum iure positiuo prohibita, aut saltem Christianis indigna, censent.

45 Ecquis enim tam stupidus foret, quin intelligere posset, commixtionem, siue cum eodem sexu, siue cum animantibus brutis, solius libidinis caussa factam, naturae, a sapientissimo Creatore ordinatae, adeoque diuinae etiam uoluntati, aduersari?

46 Nonne diuinae repugnaret uoluntati, sexus tollere discrimen, masculo uti, tanquam foemina, coire in loco, ad coitionem non ordinato, actum, generationi destinatum, non-generationi adhibere, hominem esse, et tamen cum belluis concumbere, nobilissimamque corporis humani partem, semen, cum profano brutorum sanguine commiscere?

47 Quod autem de fame, aut siti, quocunque modo expleta, de alimentis, per clysteres iniectis, aliisque huius generis actionibus obiiici solet, id scelestae Veneri neutiquam patrocinator.

48 In extrema quidem necessitate, boni finis, conseruandae scilicet uitae, gratia, insolita adhiberi posse remedia, nemo negauerit.

49 Quis uero ad nefarios inde coitus, citra necessitatem, propter insanam duntaxat libidinem, susceptos, uellet concludere, qui, quantum uel inter organa, cibo inferuentia, et generationis uasa intersit, secum cogitat?

50 Quare et pia, et recta, eorum est sententia, qui omnia uanae libidinis foedaeque scortationis genera, quippe diuinae ordinationi contraria, iure Naturae illicita pronunciant.

51 Nec iniuste agunt ciuitatum rectores, qui grauiter in eiusmodi

di animaduertunt scelera, praesertim ea, quibus lasciuui homines uel omnem abiiciunt humanitatem, uel sanctum naturae ordinem peruertunt, iuxta l. 31. C. ad l. Iul. de adult. c. flagit. 32. qu. 7. et Const. Carol. art. 116.

52 Quinimo omnes meretrices atque lenas, si non, Periandri exemplo, mari demergere, saltem ciuitate eiicere debebant, ut, iis sublatis, casta tandem et foecunda florerent matrimonia.

53 Talem enim coniunctionem ab omnibus, qui habiles existunt, ex diuina utique uoluntate esse ineundam, ea, quae hactenus sunt dicta, satis declarant.

54 Scilicet necessitas, seu obligatio matrimonium contrahendi Iure Naturali non absoluta quidem est, ad omnes omnino homines sine discrimine pertinens, attamen hypothetica, eos sigillatim constringens, qui debita instructi sunt habilitate.

55 Diximus enim in definitione, coniugium esse habilium, h. e. eorum, qui et naturali, et morali, gaudeant facultate.

56 II. *Requisita* ergo sunt (1) iusta aetas, qua matrimonium ineuntes et plenum Rationis usum adhibere, adeoque scientes ac uolentes consentire, et generandi potentiam exerere, et patris matrisue familias personam sustinere possint.

57 Haec enim omnia tum finis coniugii, tum dignitas poscit.

58 Consequitur hinc, impuberum matrimonia minus esse probanda, cum infirmior ipsorum aetas, nec robustos satis liberos procreare, nec parem regendae familiae prudentiam adhibere, patiatur.

59 Taceo, quantum detrimenti exhaustum properata Venere corpus uitae plerumque afferat, quantumue languoris ac taedii effoeta excitet aetas.

60 Norunt hoc Germani ueteres, apud quos, cum sera iuuenum Venus, coque inexhausta fuerit pubertas, nec festinauerint uirgines, sed pares ualidique coierint, parentum robora liberos retulisse, memorat Tacitus.

61 Quo etiam motus uidetur prudentissimus Laconum legislator, Lycurgus, ut faciendis nuptiis certum praefinierit tempus.

62 Equidem non desunt Principes, qui liberos admodum impuberes uel desponderunt aliis, uel certis conditionibus in matrimo-

nium iunxerunt, prout talia habent exempla Sleidanus, Londorpius, Beufstius, Forsterus, Dulsseckerus, Stryckius, et alii.

63 Verum eiusmodi matrimonia, quippe Reipublicae commodo plerumque subnixta, magis sunt notanda, quam imitanda, cum aliquid ex iniquo trahat omne magnum exemplum, quod contra singulos publica utilitate rependitur, iudicante Tacito.

64 (2) Sustainendi copia, ex honesta uitae conditione, aut coniugum fortunis suppetens, qua et liberis, et parentibus, de uictu et amictu decenter possit prospici.

65 Alioquin, quot nascerentur liberi, tot existerent mendici, tum ipsis parentibus, tum hominibus aliis, et de decori futuri, et oneri.

66 Talis autem mendicitatis cum parentes proxima forent causa, illi etiam in liberos perinde, atque alios, perquam fierent iniuriosi.

67 Quod si, nuptiis dudum peractis, egestas ex aduersa superuenit fortuna, nec deferendum ideo est matrimonium, nec, quamdiu generandi suppetit facultas, liberorum abiicienda procreatio, sed, reposita in Deo fiducia, alicunde expectandum auxilium.

68 (3) Permissio legis, ne legale aliquod impedimentum obstet.

69 Tale quidem iure Naturali existit, ubi foemina uni iam uiro est iuncta, adeoque coniugata, cum polygamia muliebris hoc iure illicita utique censi debeat.

70 Scilicet duo sunt polygamiae genera, polygamia muliebris, s. polyandria, et uirilis, s. polygynia, et polygamia absolute sic dicta.

71 Priorem naturae coniugii repugnare, adeoque naturali etiam lege prohiberi, non uero posteriorem, manifestum est.

72 Nam polyandria finem matrimonii, propagationem sobolis, impedit, uel saltem incertum reddit infantem, familias confundit, uitae humanae decorem peruertit, lites et dissidia spargit.

73 Quippe in tali plurium uirorum cohabitatione, propter seminis diuersitatem, uel nunquam, uel raro nasceretur proles.

74 Priori quidem casu belluina magis, quam humana foret consuecendi ratio, ex mera, eademq; turpissima, libidine proueniens.

75 Posteriori autem eiusmodi soboles propter incertitudinem uix haberet patrem, qui paterno eandem amore complecti, paternamque ad eius educationem curam et operam conferre sustineret.

76 Pro-

76 Proinde merito exploditur communio mulierum, quam Plato in perfecta requiſiuit Republica, Zeno autem Stoicus maxime opere commendaffe dicitur apud Laërtium.

77 Ob eamque cauſſam recte improbantur a ſcriptoribus ueterum Lithuanorum mores, quod nobiles ipſorum foeminae cum pluribus cohabitauerint uiris, teſte Aenea Syluio.

78 At diuerſa plane eſt ratio polygyniae, non ſucceſſiuae nimirum, ſed ſimultaneae, utpote quae ſinem matrimonii adeo non impedit, ut contra propagando generi humano inſeruire uideatur.

79 Nec turbat abſolute decorum uitae humanae ordinem, nec familias reddit incertas, nec rei familiaris difficultatem excitat.

80 Quare tantum abeſt, ut Scriptura ſacra polygamiam, in V. T. uſitatam, omnino damnet, ut, eam potius ſanctiſſimis etiam uiris permiſſam fuiſſe, commemoret.

81 Quod certe non potuiſſet fieri, ſi Iure Naturali, quippe immutabili, eſſet prohibita, ut multi quidem opinantur, nominatim Gerhardus, Tarnouius, Libenthalius, Amyraldus, Titius, Pagenſtecherus, Mollerus, Becmannus, laegerus aliique, reſenſi a Kulpifio et Wernsdorffio.

82 Contrariam uero ſententiam ſcriptis ſat prolixis, quanquam non adeo aequis, defendendam ſibi ſumſerunt Ochinus, reſutatus a Beza, Lyſerus; notatus a Muſaeo, Brunsmanno et Dickmanno, Begerus, Warenbergius, impugnatus a Menzero et Geſenio, Heroldus, aliique.

83 Nonnulli, media incedentes uia, polygamiam non naturali quidem iuri, attamen diuino poſitiuo uniuerſali perinde, atque humano repugnare, putant, e. g. Kulpifius, Thomafius, Menckenius, Wernsdorffius, Gribnerus.

84 Aliqui contra ne iſtius quidem iuris prohibitionem admittunt, uti Struuius, Brücknerus, Hoppius, Willenbergius, grauiſſima ideo cenſura damnatus.

85 Pertinent huc etiam illi, qui, cum illuſtri ceteroquin Thomafio, et quibusdam aliis, pro concubinato propugnarunt, quibus, praeter anonymos aliquot, ex inſtituto ſeſe oppoſuerunt, laegerus et Reinbeckius.

86 Nos sicuti polygamiam, quippe primae coniugii institutioni aduersam, diuino utique iure posituo illicitam, et propter certas tantum causas quibusdam ex Gente Ebraea, Deo dispensante, permissam, existimamus.

87 Ita etiam humanis eandem legibus, praesertim inter Christianos, et rectissime, et laudatissime, prohiberi, iudicamus.

88 Praeterquam enim, quod ea uitae sanctiori, qualem Christiana poscit Religio, utique repugnet, ex Politicis insuper et Oeconomicis rationibus omnino est uetanda, sic inter alios fuisse docentibus Pufendorfio, Becmanno et Kestnero.

89 Proinde mirum prorsus est, quod hodieque reperiantur, qui tam acri studio pro licentia polygamiae, tanquam pro aris et focis, certare sustineant.

90 Certe aut ignorant, aut parum perpendunt, tales propugnatores, quantus sit labor, quanta molestia, quantumque infortunium uel unam regere uxorem, male moratam.

91 Non imbecillis tantum et impar laboribus est sexus sequior, sed, si licentia adsit, saeuus etiam, ambitiosus, et potestatis audax, scribit Tacitus.

92 Et nihil in foemina modicum, si amat, uritur, odio implacabilis est, contempta fit amens, inquit Gramondus.

93 Nec raro summis etiam Principibus perniciosae extiterunt foeminae, praesertim cum nocturnae ipsarum persuasiones et blanditiae plurimum ualeant apud uiros uxorios, tantoque sint pestilentiores, quanto plus potest is, quem superant, dicit Neugebauer.

94 Eamque ob causam Ebraeorum Regi nimio cum mulieribus commercio ita fuit interdictum, ut, si tantum unam haberet, neque haec semper penes eum debuerit inueniri, memorante Leydeckerio!

95 Qua igitur arte, quae prudentia, uir plures gubernaret uxores, ueluti tot imperatrices, cum uel callidissimus uix unum regere possit tale animal, uarium et mutabile semper?

96 Num ipse Socrates, patientissimus alioquin Philosophus, a querelis litibusque foret immunis?

97 Proinde, si quem nostrum ulla lex ad polygamiam cogeret, poenae, non beneficii, loco esset habendum, ut recte iudicat Schickardus.

98 Nec

98 Nec maiorem fortassis poenam Curia Holmensis famoso illi polygamiae propugnatori, Lysero, potuisset adiudicare, quam si eundem saeuientium aliquot mulierum imperio subiecisset.

99 Praesertim cum, testantibus iis, qui hominem, in pastoris castrensis munere constitutum, nouerant, ne uni quidem coniugi officium praestare potuerit.

100 An uero frigidum tale temperamentum a rigidiore forte coelo prouenerit, ideoque polygamia pro climatis ratione (ut quidam ratiocinantur) modo licita, modo illicita sit pronuncianda, operae pretium non est disquirere.

101 Secundum impedimentum legale ex arcta nimis propinquitate, seu necessitudine, oritur.

102 Cum autem omnis propinquitas, uera scilicet, non ficta, uel naturali sanguinis cognatione, uel unione, per matrimonium facta, nitatur, etiam duo eius genera existunt, consanguinitas et affinitas.

103 Illa Ictis dicitur uinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

104 Haec uero coniunctio personarum, per concubitus cum alterius concumbentis consanguineo, uel affine, facta.

105 A priore personae dicuntur cognati, uel agnati, prout nimirum coniunctio sanguinis per foemineum, aut uirilem, contigit sexum.

106 A posteriore autem affines, quia duae cognationes, a se inuicem diuersae, interueniente matrimonio, ita coniunguntur, ut altera ad alterius fines accedat, dum cognati uiri fiunt affines uxori, et cognati uxoris affines uiro.

107 Ad indagandam uero utriusque generis propinquitatem ante omnia necesse est, et lineas nosse, et gradus.

108 Linea dicitur series personarum, inter se coniunctarum, gradus continens, et numero discernens, estque uel recta, uel obliqua.

109 Recta est ascendentium ac descendentium, indeque speciatim modo ascendens, seu superior, modo descendens, seu inferior dicitur, prout scilicet uel a generato ad generantem ascenditur, uel a generante ad generatum descenditur.

110 Obliqua, alias collateralis, nec non transuersalis dicta, personas, a latere iunctas, continet, estque uel aequalis, uel inaequalis, prout

prout personæ uel pari, uel impari gradu a communi stipite distant.

111 Est autem communis stipes persona, quam ii, quorum coniunctio inuestigatur, pro communi parente proxime agnoscunt.

112 Gradus uocatur distantia unius personæ ab altera, per generationem facta.

113 Posita igitur lineæ ac graduum cognitione, fit computatio, h. e. inuestigatio, quoto gradu siue in consanguinitate, siue in affinitate personæ a se inuicem distent.

114 Sicut autem commune, quo utimur, ius uel ciuile est, uel canonicum, ita computatio alia est ciuilis, alia canonica.

115 Vtraque secundum certas procedit regulas, quas, siquidem in iure ciuili ex instituto traduntur, hic proponere nihil attinet.

116 Tantummodo monemus, abstinendum utique esse ab iis propinquorum matrimoniis, quæ siue diuinæ, siue humanæ leges expresse prohibent, etiamsi non omnis prohibitionis fundamentum in iure naturali positum esse appareat.

117 Scilicet Ratio, sibi relicta, uix aliud hic assequitur, nisi quod inter solos parentes ac liberos, adeoque in linea recta, coniugium iure Naturæ sit illicitum.

118 Repugnat enim parentum ac liberorum naturæ, talem inire coniunctionem, qua diuersus, qui inter ipsos existit, respectus, idemq; naturalis, proprius, ac ueluti indelebilis, plane confundatur.

119 Quippe parentes sunt tales, a quibus, tanquam causis secundis, liberi, tanquam effectus, ex ordinatione diuina, ita descendunt; ut, quemadmodum illi his essentiam et existentiam post Deum dederunt, ita hi illis pietatem ac reuerentiam perpetuam debeant.

120 Quod si uero e. g. pater cum filia matrimonium contraheret, tum pater fieret maritus, et filia uxor, eoque nomine, propter maximam, quæ tali coniunctioni interuenit, familiaritatem, hæc omnem erga illum reuerentiæ cultum abiiceret.

121 Imo si mater nuberet filio, tantum abest, ut illa ab hoc reuerentiam posset expectare, ut potius hic, tanquam maritus, ab illa, tanquam uxore, honorem et obsequium esset postulaturus.

122 Tali igitur ratione naturalis turbaretur ordo ac decor, monstrosa oriretur familiarum confusio, omnisque uitæ humanæ honestas euerteretur ac dignitas.

123 Sic

123 Sic ordine retrogrado ad scaturiginem reflueret sanguis, qui naturali descensu de gradu in gradum defluere debebat.

124 Ita paterni maternique corporis partes, ex naturali quodam pudore occultandae, impudentissima denudarentur Venere, quaeque reuerenter debebant haberi, foedissimo temerarentur coitu.

125 Sicut enim non frustra homini datus est pudor, sed ideo maxime, ut honestatis castitatisque naturalis ueluti custos existat.

126 Ita huiusmodi etiam commixtionis incestae naturalis quaedam auersatio ipsi est indita, quae in probiorum animos maiorem fere uim exerere potest, quam interdictum legis.

127 Quicumque ergo talem uerecundiae naturalis uim subigere ausit, is certe procacissimus homo, et tantum non omnis sceleris capax iudicari debet, ut, praeter Grotium ac Pufendorhium, rectissime quidem docent Velthuysius, Hochstetterus, Becmannus, Kulpius, Schilterus, alique.

128 A quibus tamen non pauci dissentiunt, nominatim Thomasius, Beierus, Weberus, Gribnerus, Rechenbergius, Treuerus.

129 Argumenta autem, quae in contrariam afferunt partem, siquidem instantiis pleraque nituntur, litem non dirimunt.

130 Neque enim obstat, quod in matrimonio Reginae cum subdito familiaritas coniugalis reuerentiae, maiestati debitae, nihil derogare dicitur.

131 Etenim dispar plane est respectus inter Reginam ac subditum, et inter parentes ac liberos.

132 In Regium adscisci thalamum, ac Reginae fieri maritum, naturae subditi, quippe ex instituto mutabili profectae, adeo non repugnat, ut etiam subditus uel hoc nomine Rex possit euadere, prout sat multa testantur exempla, quorum aliquot in erudita de hoc argumento differratione adducit Palthenius.

133 At parentes ac liberi per naturam ita a se inuicem distant, ut aeternus atque immutabilis, qui inter eos existit, respectus cum eo, quem concubitus, aut matrimonium, inducit, quippe prorsus contrario, consistere nequeat.

134 Tam opposita est parentum et liberorum natura coniugum conditioni, quam diuersus societatis paternae ac coniugalis existit effectus.

135 III. *Effectus* igitur matrimonii est obligatio ad certa praestanda officia, pro ratione finis aliarumque circumstantiarum matrimonii, naturali omnino iure necessaria.

136 Sunt autem uel generalia, seu communia, quae utrique coniugum personae conueniunt, uel specialia, seu propria, quae tantum ab alterutra requiruntur.

137 Communia in mutua dilectione, fide, et iuuandi inserviendi-que promittuntur consistunt.

138 Debent nimirum coniuges et casta corporum communione, et firma animorum consensione, et benigna rerum operarumque communicatione ad obtinendum matrimonii finem conspirare.

139 Postulat hoc natura coniugii, praestantissimae quippe societatis, quam non uanae, ut diximus, libidinis, ueluti ad stata quaedam interualla extinguendae, sed humanae potissimum conseruationis pariter, ac mutuae utilitatis causa miri, decet.

140 Officia propria, eaque mariti sunt, principem familiae personam gerere, adeoque regere uxorem, uti eiusdem bonis, ordinare rem familiarem, et disponere de liberis, nisi ex pacto, aut lege speciali aliud obtineat.

141 Cum enim matrimonium perinde, atque aliae conuentiones, formam suam specificam a uoluntate tum contrahentium, tum superioris, accipiat, hic etiam iis standum est, de quibus, praeter legem, pacto, siue tacito, siue expresso, inter coniuges conuenit.

142 Quocirca nullum quidem est dubium, quin omnis mariti potestas tum in personam uxoris, tum in eiusdem bona, lege positua, aut pactione expressa, definiri possit.

143 Attamen, si, abstrahentes ab eiusmodi definitione, rem naturaliter consideramus, certam utique potestatem marito tribuendam esse, apparet.

144 Scilicet pro certo ponendum est, coniugium non minus, quam alias societates, saltem tale imperii genus postulare, quo ordo ipsius ac decor possit constare, quodque adeo principium ac ueluti centrum aliquod sit, unde mediorum ad quemcunque finem necessarium procedat directio.

145 Vtra uero coniugum pars potiore id iure sibi uindicare potest, maritus, an uxor?

146 Cer-

146 Certe, marito id tribuendum esse, eadem dictitat Ratio, quae marem a communi rerum parente ita formatum agnoscit, ut tum corporis, tum animi uiribus naturaliter foeminae praestare dicendus sit.

147 Quae quidem praestantia sicut nemini, qui recto omnia iudicio metiri consuevit, obscura esse potest, ita erudita eandem dissertatione probe asseruit Pritius.

148 Quanquam nonnulli, nescio, quo intempestiuo placendi studio, mulieres, si non uiris praestantiores, saltem iis plane aequales esse, disputarunt, uti Agrippa, Schützius, et effoeminati quidam Galli.

149 Fortassis et ii de illice hoc sexu bene mereri studuerunt, qui doctarum mulierum amplissima adornarunt theatra, uti Zeltnerus, Paschius, Sauerbrey, Eberti, Paulini, et innumeri alii.

150 Est ergo maritus, qui naturali iure tantum et imperii in uxorem, et domini in eius bona habet, quantum coniugii fert ratio.

151 Quapropter et primus societatem hanc regulariter constituit, et ita uxori sua impertit iura, ut haec ipsius statum, dignitatem, domicilium, quin et nomen, sequatur.

152 Mariti est, uxoris instruere uitam, eamque ita dirigere, ut, castis studens moribus, non magis ad utilitatem familiae, quam ad dignitatem omnia referat.

153 Cauere debet, ne adulterina sibi subnasceatur proles, utpote quae maximam affert infamiam, uariis, iisque tam exosis, quam barbaris, nominibus uulgo exprimi solitam, qualia sunt, e. g. cornutus, cucurbita, arga, Hahnrey.

154 Nec dubium est, quin obiurgare uxorem, imo, si obstinate refragetur, etiam coërcere possit maritus.

155 Equidem, cum naturali quadam infirmitate omnis laboret foemina, in ea corrigenda et magna utique prudentia, et longa patientia opus est.

156 Praefertim cum malam habere uxorem commune fere doctorum illustriumque uirorum uideatur esse fatum, ut erudita hoc dissertatione probauit Boetnerus.

157 Quocirca duriores coërcendi modum adhibere non licet, quamdiu ullam uitae melioris spem obsequium facit.

158 Verum, si lenitate mariti abutitur uxor, si, quod astu obtinere nequit imperium, ui extorquere audet, si rei familiaris statum peruertit, si denique, perfractis pudoris et officii repagulis, maritum infra seruum habet, quidni duriora tum remedia licerent?

159 Vtrum, quaeso, satius est, uili patientia perpetuam, eamque indignissimam, subire seruitutem, an generoso demum remedio saeuae tyrannidis iugum excutere?

160 Certe, si macerando corpus abstinentia, quin acerbioribus ac fortioribus subinde pharmacis affligendo, pertinacem depellere morbum licet, nulla apparet causa, cur et uxor contumax durioribus aliquando modis non sit compescenda.

161 In extrema necessitate extrema licere remedia, ecquis negaret?

162 Nec defunt summorum exempla Principum, qui seueriore interdum castigatione in coniuges feroces animaduenterunt.

163 At enim, inquis, in ciuitate Magistratus semper est adeundus, instituenda in foro competenti actio, tradendus libellus supplex, sollicitanda per facundum oratorem causa.

164 Nae, quam salutare hoc uideatur subsidium, tantum tamen abest, ut corrigendae semper mulieri sufficiat, ut eam obstinationem saepe reddat, praesertim si, chorda semel mota, ex litis proratione spiritus capiat.

165 Idcirco breui interdum manu rem expedire iuuat, et domesticum adhibere imperium, dummodo bonus obtineatur finis, uxoris emendatio, rei familiaris salus, uirique libertas ac dignitas.

166 An enim liber est, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, iubet, uetat, quod uidetur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit? dandum est, uocat? ueniendum, eiicit? abeundum, minatur? extimescendum, ut grauiter scribit Cicero.

167 Quis ignorat, quam multis illustribus uiris dedecori fuerit aut inconfutius uxor assumpta, aut retenta patientius, ita, ut foris claros domestica destruxerit infamia, et, ne maximi ciues haberentur, hoc effecerit, quod mariti minores essent, dum imbuiere bene uxores atque instituere neglexerunt, ita loquente Plinio?

168 Tale igitur opprobrium cordatior quisque uir euitare debet, eam

eam sibi uindicando potestatem, quam naturalis etiam Ratio capessere iubet, ut recte iudicat Lipsiensis Ictus, Mylius.

169 Proinde aequum pariter est, ut, siquidem maritus uxorem et liberos, ex ea susceptos, alere, totique familiae prospicere debet, etiam bona uxoris, saltem ad eiusmodi usus, communia existant.

170 Quanquam, quid speciatim ratione dotis obtineat, in ciuitate leges positivae, paci bonoque ordini consulentes, definire solent, ut peculiari praeter alios dissertatione id strictim exposuit Zieglerus.

171 Ex hactenus dictis, quod uxoris sit officium, facile patet.

172 Nimirum debet marito tantum praestare honoris et obsequii, quantum et matrimonii finis, et familiae ratio postulat.

173 Nunquam committere debet, ut maritus ui sibi asserere cogatur, quod sponte praestari decebat.

174 Contra, tum demum et sapientem se putare debet, et laudabilem, si obsequio perinde, ac fide, mariti, etiam morosioris, amorem sibi conciliare nouit.

175 Non secus, ac Megisto, Timoleontis, Corinthii Ducis, uxor, quae tyranno, imperatorias ad uirum literas scribere iubenti, dixit, si ius naturae scires, non utique iuberes, uiris suas mulieres quicquam praescribere, sed nos ad ipsos, tanquam ad dominos nostros, permitteres proficisci, teste Plutarcho.

176 Meminerit ergo uxor, sociam se esse mariti in generatione, subiectam in gubernatione.

177 IV. *Opposita* coniugii sunt coelibatus et dissolutio, ille quidem coniugii contrahendi, haec autem coniugii contracti.

178 Coelibatus est status eorum, qui certas ob causas matrimonium, seu cohabitationem cum foemina detrectant.

179 Quae quidem causae si graues fuerint, nullum est dubium, quin leges naturales coelibem permittant uitam, sin minus, peccant omnino, qui eam defugiunt societatem, sine qua nec ipsi existere potuissent.

180 Praesertim si, illaesa castitate, in eo uiuere statu non liceat, qui excellentissimis tantum animis conuenit.

181 Quocirca cum intersit ciuitatum, abundare hominibus, aut saltem castis florere connubiis, nec proteruis coelibum peccatis in

Dei uindictam incurrere, seuera utique lege, sub certa etiam poena, coelibatus prohiberi potest.

182 Fecit hoc Plato, qui cuique coelibati, triginta quinque annos egresso, certam quotannis mulctam irrogauit.

183 Et nota est ueterum Germanorum lex contra misogamos, Hagestolzios, h. e. superbo sexus odio sibi complacentes, dictos, de quibus prolixè agunt Schottelius, eiusque continuator, Gericken.

184 Quanquam hominum adiectione potius, quam pecuniarum copia, imperium ampliari, malit Imperator, Hadrianus, in l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat.

185 De iis autem, quibus coelibatus fortasse prae aliis permitti, imò suaderi possit, legi meretur Verulamius.

186 An eruditi omnes, qui coelibem transegerunt uitam, recte fecerint, nec ne, pro diuerso singulorum statu iudicari debet.

187 Etenim uno exemplo tot innumera alia aestimari nequeunt, de quibus schediasmata aliquot scripsit eruditus noster Wagnerus.

188 Dissolutio coniugii fit uel casu mortis, uel facto humano.

189 Status coniugis, post alterius mortem superstitis, dicitur uiduitas, quasi diuisio a coniuge.

190 Estque uel perpetua, qualis Graecorum sacerdotibus usitata fuisse dicitur, uel temporaria, qualis hodie plerisque locis obtinet.

191 De neutra quidem ius naturae certi quid praescribit, id tamen omnino iubet obseruare, quod uel leges ciuiles, uel boni mores, uitaeque humanae, ac multo magis Christianae, decor et honestas, pro cuiusque statu, euitandi potissimum scandali ergo, postulant.

192 Proinde uiduas duodecim, aut saltem nouem, menses maritos lugere, ante, quam ad secundas transeant nuptias, tanto honestius censeretur debet, quanto magis ad declinandam sanguinis confusionem facit, ut erudite hoc inter alia docuit Mullerus.

193 An uero melius sit uirginem ducere, quam uiduam, ex circumstantiis iudicari debet, quanquam illud ex instituto aliqui disputarunt, uti Grubenus.

194 Facto humano dissoluitur coniugium uel in totum, uel ex parte.

195 Dissolutio in totum dicitur diuortium, a repudio, stricte accepto, diuersum, h. e. coniugii, legitime contracti, atque per cohabitatio-

birationem consummati, plena solutio, utraque coniugum parte superstitite, facta.

196 Fit autem praecipue, naturali etiam iure, propter adulterium, quaeque huic aequiparatur, desertionem malitiosam.

197 Adulterium est concubitus personae coniugatae, contra pactum coniugale factus, ideoque cum uiolatione thori ac fidei coniugalis coniunctus.

198 Prout autem uel utraque persona concumbens, uel alterutra tantum est coniugata, etiam duo adulterii genera hinc existunt, duplicatum, seu compositum, quo utriusque thori committitur uiolatio, et simplex, quo persona coniugata cum soluta fidem coniugalem frangit.

199 Vtrumque genus, licet ratione poenae potissimum a se inuicem differat, hunc habet effectum, ut matrimonium eo dissoluatur.

200 Ideo scilicet, quoniam forma coniugii in pacto de praestanda fide mutua consistit, adeoque, forma tali cessante, ipsum etiam coniugium cesset, necesse est.

201 Ac proinde pars innocens ab eo, quod coniugii nomine fuit pactum, tanto magis recedere, nouumque matrimonium inire potest, quanto grauior multorum plerumque bonorum iactura ex alterius perfidia nascitur.

202 Cum autem quisque iuri suo renunciare, adeoque satisfactionem, sibi alioqui debitam, remittere possit, etiam hic innocens coniugum pars optionem habet, utrum persequi uelit laesionem, an eandem condonare:

203 In tantum nempe, in quantum ipsius interest, siquidem magistratus civilis poenam, propter uiolatas leges irrogandam, sibi referuat.

204 Qualis autem poena hic locum habeat, quidue amplius de adulterio sit notandum, id, praeter iuris civilis Doctores, sigillatim exposuerunt Matthaei, Bocerus, Zeithofius, Schulzius, Gribnerus.

205 De adulterinis etiam coniugiis prostat tractatus, notis illustratus, Augustini ad Pollentium.

206 Desertio malitiosa dicitur illa, qua coniux, in loca remota secedens, coniugem deserit, eo animo, ut illi amplius cohabitare nolit.

207 Eiusmodi desertionem adulterio aequiparari, dicimus, ideo, quia

quia itidem cum uiolatione pacti de fide, cohabitationem completa, coniungitur.

208 Hoc itaque nomine parti innocenti idem licere, atque in casu adulterii, facile apparet, praesertim ratione facultatis ad nouis transeundi nuptias, de quibus legi potest dissertatio saepe laudati nostri VVernheri.

209 Dissolutio ex parte, et ad certum plerumque tempus, dicitur separatio a thoro et mensa, legibus posituius, maxime inter Christianos, ideo recepta, ut, emendatis moribus, dissidia coniugum possint componi.

210 Cum enim ob mores male formatos non permittatur diuortium, neque adeo licentia aliud contrahendi matrimonium coniugis obstinatoris malitiam alere possit, eiusmodi separatione, quippe molesta ac probrosa, concordia facile reduci posse creditur.

211 Equidem non desunt, qui modum hunc non adeo aequum existimant, cum pars innocens aequae, ac nocens, puniri uideatur, ita, ut propter alterius improbitatem maxima, quae talis separatio secum trahit, incommoda perferre cogatur.

212 Verum, quoniam ex duobus malis minus semper est eligendum, et quiduis ante tentandum, quam diuortium fiat, etiam hoc separationis generis naturali rationi non inconueniens censeri debet.

213 Neque enim eorum accedimus opinioni, qui, praeter illas, quas modo exposuimus, causas, etiam ob alias plane diuersas, diuortium statim licere, putant.

214 Magnum, fatemur, est infortunium, si perpetuis inter se rixis agitantur coniuges, si matrimonium, quo inter se nexi sunt, mutuo auerfantur, adeoque belligerant domi, pugnantque continuo, ut loquitur Imperator in praef. Nouell. 140.

215 At tantum tamen haberi non debet, ut praestantissima ideo societas confestim, sine mora et indulgentia, abrumpi debeat.

216 De sanctitate quidem, quam coniugio, tum propter primam institutionem Deique benedictionem, tum propter mysticam, quam referre dicitur, unionem, inesse, Christiani credunt, hic dicere nihil attinet.

217 Haec quippe nec Rationi patet, nec fortassis tanta est, quanta uulgo

uulgo, ex papali praefertim doctrina, putatur, sic inter alios etiam iudicantibus Thomasio, Strykio, Böhmero.

218 Verumtamen hoc certum est, causas, cur matrimonium, ex ipsa Dei uoluntate, iniri debeat, tantae esse necessitatis, tantaeque utilitatis, ut diuortium non adeo facile sit permittendum.

219 Neque etiam, quemadmodum mutuo initur consensu, sic mutuo pariter consensu, quauis de causa, dirimi potest, ut quidem ex uulgari regula, quod nihil tam naturale sit, quam de eo genere unumquodque dissolui, quo colligatum est, putant Guilielmus Grotius, Kestnerus, et nonnulli alii.

220 Praeterquam enim, quod uariae contra regulam isthanc dantur exceptiones, coniugium non mere iuris naturalis permissum est, sed, ubi debita adsunt requisita, ad praeceptum proxime accedit, adeoque non perinde, ut alii contractus, mutuo statim consensu dissolui potest.

221 Quippe, ut supra diximus, Dei est uoluntas, ut personae habiles matrimonium contrahant, debitosque, quibus nititur, fines consequi studeant.

222 Itaque, matrimonio semel rite inito, coniuges non solo consensu, sed uinculo etiam conscientiae, matrimonii necessitatem suggerentis, obstringuntur.

223 Quod si uero diuortii licentia ex solo contrahentium arbitrio semper penderet, quot, quae so, non futuri essent, qui, nulla finis ratione habita, leui de causa, matrimonium dissoluere sustinerent?

224 Quocirca iuri naturali conuenienter agunt Principes, qui diuortia, ne, pro ea, quae inter homines regnat, corruptione, crebra nimis euadant, debite circumscribunt.

225 Quae uero hic teneatur ratio, ex instituto docuerunt Langius, Böhmerus, Bodinus, Titius, et alii.

226 Ergo facessant hinc ii, qui, propter mores duriores, strucas uitae insidias, similesue causas, ad diuortium statim prouolandum esse, arbitrantur cum Miltoño, sex repudiatis uxoribus famoso.

227 Neque ob sterilitatem, nisi summa proles necessitas id postulet, matrimonium illico soluendum esse, dixerim, quanquam et argumenta, et exempla sat multa in contrariam afferuntur partem.

Mmm

228 Cum

228 Cum enim nec penes hominem sit praestare foecunditatem, nec omne sterilitatis uitium perpetuo duret, sed temporis progressu saepe corrigatur, satius est, spe patiente se sustentare, quam infontem e matrimonio, dimittere coniugem.

229 Praesertim cum eiusmodi defectus coniuges ad pietatem assiduamque diuinae opis implorationem possit excitare, nec impediat, quo minus caeteri matrimonii fines obtineri queant.

230 V. *Controversiae* potiores, hic attingendae, sunt: (1) An matrimonium in statu integritatis fuisse necessarium?

231 Recte hoc ex societatis et conseruationis humanae necessitate contra illustrem aliquin Thomasiū demonstrauit Aepinus.

232 (2) An connubia sint fatalia?

233 Equidem matrimonia, piorum in primis ac fidelium, ex diuina potissimum prouidentia pendent, humanae tamen uoluntatis libertatem neutiquam excludunt, ut docte hoc exposuit Heroldus.

234 (3) An personarum aequalitas ad matrimonium requiratur?

235 Naturali quidem iure conditionis aequalitas tam parum requiritur, quam eiusdem religionis professio, cum inter dispares etiam personas matrimonii finis possit obtineri, consultius tamen esse, si dignitatis aequae, ac religionis paritas attendatur, exempla docent, qualia attulerunt Becmannus, Röhrensee, Dulfseckerus.

236 (4) An licitum sit matrimonium ad morganaticam?

237 Matrimonium tale, a morganatica, seu morgengaba, h. e. dono matutinali, dictum, et inter uirum illustriorem ac foeminam ignobiliorem hac conditione, ut ea una cum liberis, ex se natis, certa portione assignata sit contenta, et a reliqua hereditate, imo et dignitate, abstineat, pactum, legitimam complectitur coniunctionem, adeoque iure naturali utique est licitum, uti ex instituto docuerunt Mylerus, Hauemannus, Lynckerus, Feltmannus, Dulfseckerus, Riccius, aliique.

238 (5) An coniugium sub pacto seruandae uirginitatis liceat?

239 Praeterquam, quod tale matrimonium, ne conscientia laedatur, caute sit ineundum, indiuidua potius amicitia, quam coniunctio coniugalis esse uidetur, qualis inter Henricum sanctum et Kunigundem fuit, quanquam uulgo inter obligationem ad copulam actua-

actualem et radicalem distinguunt, uid. Becmannus, Hochstetterus, Schurzfleischius, et alii.

240 (6) An matrimonium cum eunucho iniri possit?

241 Siquidem a tali matrimonio uix abesse potest peccatum et scandalum, non nisi certas ob circumstantias permitti debet, quale fuit illud, de quo uaria scripta et iudicia prodidit Delphinus.

242 (7) An coniugium pro lytro promissum sit consummandum?

243 Tale coniugium, etiamsi a persona illustriore, e. g. Principe captum, inferioris ordinis foeminae sit promissum, seruandum tamen esse, nisi graues obstant causae, recte iudicat Dulfseckerus.

244 (8) An coniugium per procuratorem perfici possit?

245 Connubia Principum per legatos saepe iniri, sat multis quidem exemplis testatur historia, attamen cauendum esse, ne talis postea ritus, ueluti inuentum aulicum, soluendo matrimonio praetendi possit, notabili exemplo docet Zouchaeus.

246 (9) An concubitus anticipatus grauitur sit puniendus?

247 Poenam grauiorem, qualis, ex instituto Christianorum, est poenitentia ecclesiastica, cum mitiore, e. g. carcere, aut multa, in honorem matrimonii commutari, docent Hilliger, Bodin, aliiq.

248 (10) An filiam ex ignorantia in matrimonium ducens peccet?

249 Qui filiam, quae uel filium bona fide et ignorans matrimonio sibi iungit, is, uel ea, siquidem malus abest animus, formaliter incestum haud committit, sed putatiuum init matrimonium, de quo scripsit Hertius.

250 VI. *Axiomata* sunt: (1) Sicut omnium societatum prima, ita praestantissima facile haberi debet coniugium.

251 (2) Hoc enim generis humani est seminarium, omnium statuum fulcrum, omnisque fortunae praesidium.

252 (3) Nec efficacius promptiusque suppetit remedium ad conciliandos summorum Principum animos, quam matrimonium.

253 (4) Huius quippe tanta habetur excellentia, ut in aliis amicitias pariat nouas, in aliis inimicitias extinguat ueteres.

254 (5) Quapropter nuptiae dicuntur omnis uitae consortium, diuini humanique iuris communio l. i. ff. de R. N.

255 (6) Et uxor uocatur rei humanae, atque diuinae domus societas in l. 4. C. de crimin. expil. hered. Mmm 2 256 (7)

256 (7) At maxime interest, qualis sit eiusmodi socia, cum bona bonorum omnium sit optimum, mala malorum pessimum.

257 (8) Ideo in ea deligenda et multa opus est deliberatione, et magna circumspectione, et assidua precatione.

258 (9) His rite adhibitis, aequo ferendum est animo, quicquid aduersi ex sapiente Dei uoluntate acciderit.

INSPECTIO II.

DE

I. N. CIRCA PARENTES ET LIBEROS.

I. *Connexio*. II. *Iura*. III. *Officia*. IV. *Axiomata*.

I I.

C*onnexio* huius capitis cum proximo inde est, quod, consummato per cohabitationem matrimonio, generentur liberi, qui, tanquam effectus, ad parentes, tanquam ad causam, habent respectum.

2 Hinc ergo oritur relatio, quae parentibus cum liberis intercedit, quaeque, facta a potiori denominatione, societas paterna uulgo dicitur.

3 Vnde apparet, perperam hanc societatem a Grotio aliisque coniugali praemitti, siquidem generationem naturaliter praecedit cohabitatio, seu maris et foeminae coniunctio.

4 Existit itaque haec relatio inter parentes atque liberos.

5 Parentum nomine proxime quidem pater et mater, remote autem etiam auus et auia, proauus et proauia, caeterique ascendentes comprehenduntur.

6 Haud fecus, ac liberorum appellatione non tantum filius et filia, sed alii etiam descendentes ueniunt.

7 Cum autem in omni societate certa existat iurium communio, hic etiam talis locum habere debet.

8 II. *Iura* igitur parentum certam complectuntur potestatem, h. e. facultatem moralem, in res et actiones liberorum.

9 Dicitur haec potestas uulgo patria, a patre, utpote primaria parentum persona, in cuius ditione liberi principaliter existunt.

10 Equidem, si absolute loquimur, mater aequae, ac pater eatenus imperium in liberos habet, ut ipsorum actiones ad bonam educationem possit dirigere.

11 Cum enim mater non minus, quam pater, ad conseruandam formam-

formandamque prolem obstringatur, eandem quoque potestatem in ipsam habeat, necesse est.

12 Attamen, si comparatiue utriusque potestas consideratur, maior utique censi debet, quae patri, quam quae matri conuenit.

13 Nam pater est caput familiae, cui ipsa mater, qua uxor, quodammodo est subiecta, adeoque paterna etiam uoluntas prae materna attendi debet.

14 Naturali quippe rationi congruit, ut membra societatis ad praescriptum eius, qui caput est societatis, sese componant.

15 Falluntur ergo, qui, Hobbesium secuti, matri ius potius ideo tribuunt, quod primum liberos in sua habeat potestate, semperque sit certa, cum contra incertus saepe sit pater.

16 Neque enim talis potestas, aut detentio, quippe mere physica, imperium, utpote facultatem moralem, tribuere potest, nisi et obstetrix, infantem apprehendens, imperium nancisci dicenda sit.

17 Nec accidens de patre dubitatio plus ualere potest, quam communis, eaque probabilis, opinio, seu praesumptio.

18 At uero soli patri ius omne in liberos tribuere uelle, id quidem conseruandae educandaeque sobolis ratio, ut diximus, uix patitur.

19 Quanquam, quid speciatim, certorum intuitu negotiorum, siue patri duntaxat, siue matri conueniat, lege, uel pactione, definiri potest, utpote quibus hoc potestatis genus perinde, atque alia, prae-terumque determinari solet.

20 Quam diuerse autem doctores hic sentiunt, tam uarias etiam opiniones de fundamento patriae potestatis fouent.

21 Quippe alii, modo nominatum secuti Hobbesium, in iure uictoriae id ponunt, ita, ut, stante bello omnium in omnes, mater, infantem primum detinens, eius uictrix euadat ac domina.

22 Verum haec opinio, mera fictione subnitens, et absurda, et impia merito censetur a uiris cordatioribus, uti Kulpisio, Bocclero, Zieglero, Pufendorfio, Hubero, et Roeslero.

23 Quidam ad concessionem diuinam cum Hornio prouocant, Deum parentibus eiusmodi imperium tribuere, contendentes.

24 At, praeterquam quod talis concessio ex Reuelatione magis, quam Ratione pateat, de proxima hic quaeritur causa, non de remota.

Mmm 3

25 Multi,

25 Multi, Pufendorffio accedentes, ex educatione et praesumpto liberorum consensu patriam potestatem deriuant, ideo, quod omnia officia hypothetica nitantur pacto.

26 Enimvero consensus praesumptus, quippe fictus et interpretatiuus, hic admitti nequit, cum, propter deficientem in liberis facultatem, nec expresse, nec tacito sit locus.

27 Plurimi denique, ex sententia Grotii, huius imperii fundamentum in generatione constituunt, quoniam produciens in productum certam utrique potestatem habere debeat.

28 Sed generatio potius mutuae parentum liberorumque obligationi, quam patriae potestati demonstrandae inseruit, ut mox dicemus.

29 Itaque ex necessaria liberorum conseruatione et educatione deriuanda est talis potestas.

30 Scilicet cum parentes ad conseruandos educandosque liberos naturaliter sint obstricti, talem etiam potestatem habere iudicandi sunt, sine qua officium isthoc perfici nequit.

31 Necessitas enim finis ius facit in moralibus, scilicet obligatio ad finem comprehendit ius ad media, sine quibus finem obtinere non datur.

32 Qua autem uia infans posset educari, nisi educaturus potestatem haberet ita dirigendi formandique educandum, prout educationis ratio tulerit?

33 Quicquid itaque ad liberos conseruandos riteque formandos necessarium uidetur, id naturali etiam lege parentibus conuenire censendum est.

34 Neque adeo maior statui debet imperii paterni amplitudo, quam sobolis educatio postulat.

35 Finis quippe naturaliter dat modum et mensuram mediis.

36 Consequitur hinc, parentes ea omnia adhibere posse, quibus actiones et mores liberorum ad honestatem utilitatemque generis humani dirigi queunt.

37 Ita scilicet, ut liberi, bene formati, et Deo, et patriae, et familiae, et hominibus aliis prodesse possint.

38 At neque ius uitae et necis, neque oppignorandi liberos, aut uendendi facultatem parentes habent, quippe quae, absolute spectata, fini patriae potestatis repugnant.

39 Equi-

39 Equidem haud negauerim, potestatem hanc multo maiorem esse in statu naturali, quam civili.

40 In hoc quippe Princeps, aut Respublica, uti imperium domesticum certis circumscribit limitibus, sic uitae necisque arbitrium aequae, ac caetera maiestatis iura, sibi soli vindicat, ne tot habeat iudices, quot sint patres familias.

41 In illo contra pater non tantum genitor, sed et caput familiae existit, adeoque in domo sua ueluti Principis alicuius personam gerit, cui liberi uenerationem atque obsequium omnino debent.

42 Verum tamen, sicuti poena mortis, ex delicto infligenda, non iuris naturalis, sed diuini humanique positiui est, ita in statu naturali a patre tanto minus exerceri potest, quanto magis a fine patriae potestatis abest.

43 Haec quippe ad emendandum, non tollendum, filium spectare, adeoque non in atrocitate, sed pietate, consistere debet. l. 5. ff. ad Leg. Pompei. de parricid.

44 Et quamuis non desint ciuitates, quibus ius tale fuerit concessum, id tamen uel nunquam ab ipsis fuit exercitum, uel iisdem rursus ademptum.

45 Exemplo sunt Romani et Galli, quorum utrosque suam in liberos potestatem ad uitam usque extendisse, tradit Roeslerus.

46 At mitigatum postea fuisse tale imperium, et tandem plane sublatum, ecquis ignorat?

47 Sic Norimbergensibus Imperator, Ludouicus Bauarus, singulari quidem priuilegio, quod terribile uulgo dicitur, concesserat, ut filios non obediens carcere turris coërcere, uiuosque in profluentem demergere possent.

48 Verum hac ipsos licentia nunquam fuisse usos, scriptores testantur, uti Limnaeus, Wagenseilius alique.

49 Et, si quae fuerunt, suntque etiam nunc gentes, quibus capitalem in liberos poenam statuere licuerit, liceatue (qualia exempla inter alios habent Bodinus, Hertius, Hornius et Roeslerus) eiusmodi rigor facti, non iuris, esse, iudicandus est.

50 Praesertim cum falsa nitatur hypothesi, quod pater, tanquam caput familiae, in statu naturali summum aliquod habeat imperium-

um, ui cuius ultimo etiam supplicio fontes afficere possit liberos.

51 Quam quidem sententiam defendit Hobbeshius, et post eum Filmerus, grauitur hoc nomine notatus a Lockio et Sidney.

52 An parentes liberos oppignorare possint, aut uendere, uarie in utramque partem disputatur ab eruditis, nominatim Eichelio, Zieglero, Osiandro, Kulpisio, Muelenio, Clafenio, Conringio, Hornio, Becmanno, Pufendorfio, Iägero, Schmidio aliisque.

53 At discernenda hic est uenditio, quae sit quaestus, aut commodi causa, ab ea, quam famis, aut paupertatis, exigit necessitas.

54 Illa parentibus minime licet, cum hominis liberi nullum sit commercium, nec corporum liberorum ulla fieri possit aestimatio, l. fin. ff. de his, qui deiec. uel effud.

55 Haec autem utique permissa cenferi debet, cum praestet libertatis, quam uitae, iacturam facere, et necessitas licitum reddat, quod alias non licet, l. 2. C. de patr. qui lib. distrax.

56 Quo quidem casu talis uenditio ita fieri potest, ut parentibus, mala fortunae eluctatis, oblato pretio, liberos retrahere, adeoque non tam personas eorum, quam operas, uendere liceat.

57 Nec dubium est, quin filius tum etiam possit distrahi, si capto ab hostibus uel nulla sine lytro euadendi spes supersit, uel, nisi promissam intra certum tempus pecuniam soluerit, mortis supplicium immineat, ut libere hoc asseruit Harprechtus.

58 Dummodo, filii conditionem eiusmodi distractione meliorem, non deteriorem, redditum iri, certum sit.

59 At filiae pudicitiam prostituere nequit pater, quaecunque demum causa praetendi possit, siquidem rei turpis nullum est mandatum, nec facienda sunt mala, ut inde eueniant bona.

60 Neque etiam perpetuae filiam inuitam uirginitati mancipare licet, cum talis potestas, quippe uim inferens conscientiae, in parentes tam parum cadat, quam coactio ad aliquam religionem.

61 De potestate, quam parentes in bona, a liberis acquisita, habent, ius naturae uix aliud decernit, nisi quod tantum ex iis sibi uindicare possint, quantum ad sustentandam educationis onera, compensandasue impensas, aequum uideatur.

62 At leges ciuiles, sicuti alios patriae potestatis effectus definiunt,

unt, ita hic etiam, quid deceat, liceatue, pro diuersitate peculiorum, ut dicuntur, ordinant.

63 Quae pariter tempus praescribere solent, quousque talis in liberos potestas duret, ui cuius horum actiones, siue omnes, siue pleraeque, parentum directioni subsint.

64 Naturali quidem iure usus Rationis attendi debet, utpote pro cuius diuersitate diuersa utiq; potestas parentum in liberos existit.

65 Quamdiu enim liberorum iudicium immaturum apparet, atque infirmum, latius etiam parentum in eos imperium patet.

66 Contra, si perfectam in liberis uim Ratio exerit, tum patriae quoque potestatis exercitium restringi, par est.

67 Qui enim ipse sibi consulere, seque exhibere potest, is ex alterius directione pendere non debet.

68 Tales cum existimentur liberi, postquam, paterna egressi familia, res suas seorsim habere coeperunt, etiam parentum in eos potestas cessare intelligitur.

69 Quocirca non adeo attendi debent tres illae temporum periodi, quas nonnulli, ex doctrina Grotii, ad discernendos imperii paterni gradus proponunt.

70 Eae nimirum, quarum prima dicitur iudicii imperfecti, altera perfecti iudicii, sed non perfecti status, tertia perfecti iudicii et perfecti status.

71 Praeterquam enim, quod alii, duo tantum tempora notanda esse, dicant, incerta utique iure naturali manet determinatio huiusce rei, quippe quæ non in puncto consistit, sed aliquam admittit latitudinem.

72 Quocunque autem tempore patria, qualem descripsimus, potestas expiret, salva tamen ac perpetua, ut mox dicemus, manere debet reuerentia, parentibus debita.

73 Quam si sancte obseruauerint liberi, ea etiam percipere debent iura, quae ex arcta ipsorum cum parentibus coniunctione, atque horum ueluti repraesentatione fluunt.

74 Talia sunt, sequi parentum conditionem, gaudere ipsorum titulis ac privilegiis, succedere in eorum bona.

75 Quae quidem omnia, pro diuersitate circumstantiarum, diuersa

N n n

sa etiam ratione ab institutis gentium singularibus, legibusque ciuitatum positiuis definiri plerumque solent.

76 Cum autem omnis potestatis exercitium, omniumque iurium fruitio certa simul complectatur officia, hic etiam talia obseruari oportet, tum generalia, tum specialia.

77 III. *Officia* igitur, eaque generalia, seu communia, sunt, ut parentes ac liberi debitam sibi inuicem exhibeant charitatem, nec quicquam omittant, quod necessitudinis huius ratio postulat.

78 Specialia, seu propria, eaque parentum, consistunt in sollicita liberorum conseruatione atque educatione.

79 Conseruatio exigit, ut liberi, pro facultate ac conditione, alantur uestianturque, donec se ipsos exhibere possint.

80 Cum enim paterni maternique corporis sint portio, atque unam ueluti carnem cum parentibus constituent, naturalis utique ratio ipsorum nutritionem deposcit.

81 Accedit, quod parentes sint causae liberorum, adeoque, cum in eorum productionem consenserint, etiam in ipsorum conseruationem consensisse credantur.

82 Qui enim antecedens uoluit, et consequens uoluisset censetur.

83 Alioquin frustra foret, naturae suae simile producere, nisi produciens etiam conseruare uelit productum.

84 Proinde filios et filias propter ipsam naturam a patre ali oportere, asserit Imperator in l. fin. §. 5. C. de bon. quae liber. in potest.

85 Et necare uidetur, qui alimenta denegat, quippe necessarium uitae subsidium l. 4. ff. de agnosc. liber. et l. 5. C. de patr. potest.

86 Alimentorum autem uerbo et uestes ueniunt l. 43. ff. de V.S.

87 Ideo sapientissimus naturae parens lac dedit matribus, ut liberorum nutrices existerent possint.

88 Et infantes, simul ac nati sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, nec ullibi magis quiescunt, quam in gremio matris.

89 Vnde apparet, eas utique matres peccare, quae, ueluti naturali hoc fonte suppresso, solius uoluptatis uanitatisue causa liberos aliis lactandos tradunt.

90 Quae quidem consuetudo, etiamsi nostra aetate fere in uulgus sit recepta, tamen non perniciosa minus, quam impia, censi debet,

debet, ut cordatissimi quique scriptores contendunt, nominatimque Guevarra et Becmannus.

91 Nec legitimis tantum liberis alimenta debentur, sed etiam illegitimis, quippe qui itidem paterni maternique corporis pars existunt, ut supra circa successionem ab intestato docuimus.

92 Educatio et animi, et corporis, et fortunæ curam complectitur.

93 Cura animi in eo uersari debet, ut liberi tum necessariis utilibusque scientiis, tum dignis imbuantur uirtutibus, sincera in primis pietate, ueluti caeterarum omnium parente, ueraeque felicitatis scaturigine.

94 Cura corporis ad ea potissimum spectare debet, quae uirium robur augere, firmamque ualeitudinem conseruare possunt.

95 Cura fortunæ ante omnia occupari debet in eligendo uitæ genere, tali nimirum, cui et naturalis liberorum aptitudo, et uera eorundem inclinatio respondeat.

96 Ob eamque causam in consilium diligenter adhibendi sunt scriptores de liberorum educatione, quorum praecipuos supra recensuimus in Ethica p. 131. pos. 21.

97 Quibus et ii accenseri possunt, qui de sapientia, eiusue administriculis, et impedimentis, nec non de studiorum ratione commentati sunt, quorum sat multos supra quoque adduximus p. 264. pos. 166.

98 Perinde autem est, siue immediate ab ipsis parentibus fiat educatio, siue mediate per alios, modo prudenter recteque instituat.

99 Hoc enim a parentibus naturæ legem exigere, ex ipsa tum parentum, tum liberorum natura apparet.

100 Parentes quidem sunt tales, qui liberis, abs se generatis, ex ordinatione diuina dederunt uitam, adeoque ex eadem ordinatione id etiam ipsis dare debent, quod bene recteque uiuendi ratio, h. e. uera uita, postulat.

101 Nam, concesso uno, debet etiam concedi alterum, sine quo id, quod concessum est, rite haberi nequit.

102 Liberi autem sunt homines, a parentibus in societatem humanam editi, parentumque potestati proxime subiecti, adeoque ita etiam ab iisdem formandi, ut societatis humanæ pariter, ac familiae suae, digna existant membra, h. e. uere homines.

103 Cum enim homines hominum gratia, h. e. in generis humani utilitatem et conseruationem, nasci dicantur, ineptos mundo homines dare, est dare non-homines.

104 Accedit, quod educatio nihil aliud sit, quam generationis ueluti quaedam continuatio, eiusue perfectio, quaeque adeo non minus curae debet esse parentibus, quam ipsa sobolis procreatio.

105 Ideo naturalis etiam stimulus ad liberorum suorum educationem parentes hortari dicitur in l. un. §. 5. C. de rei uxor. act. et in l. 5. §. 1. ff. de alend. liber.

106 Quam quidem educationem si ipsi parentes curare non possunt, aliis eandem committere debent, qui hoc nomine tantum in liberos potestatis accipiunt, quantum institutionis ratio postulat.

107 Proinde etiam tutela, qua parentes, imminente morte, liberis consulunt, naturali utique rationi conueniens est, ut ipse Imperator innuit §. 6. I. de Attil. tut.

108 Quanquam, quid speciatim de tutela sit obseruandum, quodue tutorum sit officium, leges ciuiles tradere debent.

109 Quippe, qua materiam et originem, tutela naturalis tantum iuris, qua formam uero, seu deferendi gerendique rationem, ciuilis esse dicitur.

110 Talem itaq; formam cogniturus, iuris ciuilis Dd. adire debet.

111 De illustrium uero personarum tutela in primis legi merentur Hertius, de Prinzen, et Romanus.

112 Supremum pariter amoris documentum haberi debet, quando parentes moribundi pia pro liberorum salute faciunt uota, iisdemque paternam maternamue, ut dicitur, benedictionem impertiunt. de qua multa habet Becmannus.

113 Quod uero generationem quoque ad parentum officia nonnulli referunt, ineptum utique cenferi debet.

114 Agitur enim hic de liberis procreatis, non procreandis, ad quos adeo generandi obligatio non spectat, utpote quae necessaria ciuitatis generisue humani conseruatione nititur.

115 Quare nec huius loci est disquirere, quid mulieres grauidae obseruare, quoue modo sapientes, aut pulchros, generare debeant liberos.

116 Quan-

116 Quanquam non desunt, qui curiosam hanc Philosophiam fat amplis praeceptionibus tradere sustinuerunt, uti Huartus, Guevarra, Quillettus, aliique.

117 Officiis parentum repugnant procuratio abortus, abiectio liberorum, eorumue educationis neglectio.

118 Procuratio abortus, h. e. actus, quo infans, intra uiscera materna latens, eliditur, tanto grauius censeretur peccatum, quo magis et generali de seruandis hominibus omittendisue caedibus praecepto, et naturali in liberos amor, omnibus prope animantibus communi, aduersatur.

119 Quamuis enim liberi ex paterna maternaue substantia excitentur, parentumue potestati subsint, impune tamen ab illis necari haud possunt, ut quidem, pro dogmatis sui (πρώτη ψεύδης) peruersitate, statuit Hobbesius.

120 Quin potius, cum aequae sint homines, s. æqualem cum parentibus humanitatem participantes, etiam aequaliter debent haberi.

121 Quapropter seuerae merito poenae in procurationem abortus sunt constitutae, uti patet ex l. 38. §. 5. ff. de poen. l. 4. ff. de extraord. crimin. l. 8. ff. ad l. Cornel. de sicar. et Const. Carol. art. 123.

122 Expositio infantis crimen est, apud plurimas quidem gentes frequens, testibus Philone Iudaeo, Seldeno, Gaudentio et Caranza.

123 Attamen, cum fini generationis pariter contrarietur, turpe merito iudicatur, et animaduersione dignum, tum in Constitutione, modo adducta, art. 132. tum in l. 2. C. de infant. expos. et l. penult. C. de patr. potest.

124 Neglectio educationis liberorum cum graui pariter iniuria tum in ipsos liberos, tum in societatem humanam et ciuilem, cuius membra existere debent, est coniuncta, ut ex iis, quae supra diximus, patet.

125 Cum enim in recta liberorum educatione maxima felicitatis pars perinde, ac messis in semente, sit posita, satius habetur nullos generare liberos, quam generatos male educare.

126 At uero auspicata esse nequit educatio, nisi et liberi suam, uti par est, obligationem impleant.

127 Officia igitur liberorum sunt, parentibus praestare obsequium,

exhibere reuerentiam, probare amorem, omnibusque modis pietatem atque gratam mentem declarare.

128 Obsequium quidem in ea potissimum aetate requiritur, qua liberi ob deficientem iudicii maturitatem ipsi sibi consulere, aut actiones suas ad debitum dirigere finem nequeunt.

129 Reuerentia autem perinde, atque amor et pietas, tum omni tempore, tum utrique, et patri, et matri, a liberis debetur.

130 Proinde unam parentibus omnibus seruare reuerentiam iubentur liberi in l. 6. ff. de in ius uocand. et l. 4. C. de patr. potest.

131 Et aequam parentibus pietatem, etsi inaequalis sit eorum potestas, deberi, dicit Ictus in l. 4. ff. de curat. furios. conf. l. 1. et l. 9. ff. de obsequ. parent.

132 Complectitur eiusmodi pietas etiam inseruiendi, iuuandi ac benefaciendi studium, praesertim si senio confecti sint parentes, aut egestate afflicti.

133 Tum enim fas utique est, ut liberi uictum et amictum iis praebent, eorumque infirmitates aequo ferant animo.

134 Idcirco parentes, corporis ualitudine laborantes, non negligendos esse a liberis, sed eorum aegritudini succurrendum, aiunt Icti in l. 5. §. 2. et l. 6. §. 1. ff. de agnosc. et alend. liber.

135 Quod quidem hoc magis faciendum est, quod communis humanitatis sit egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint, l. 12. §. 7. C. de S. S. Eccles.

136 Quis autem pauperior est hominibus, qui, et inopia tenti, et suis corporibus laborantes, necessarium sibi uictum non possunt afferre l. 49. §. 3. C. de Episc. et Cleric.?

137 Vocatur hoc pietatis officium Graecis ἀντιπαραγία, quasi concionaria retributio, de qua singularis prostat dissertatio Passauantii.

138 Nec dubium est, quin etiam duriores parentum mores, imo iniurias, ferre debeant liberi, ut bene inter alios docuit Becmannus.

139 Deberi autem parentibus eiusmodi a liberis officia, ipsa et parentum, et liberorum, natura declarat.

140 Parentes quippe, ut paulo ante demonstraui, sunt ii, a quibus, tanquam causis secundis, liberi, tanquam effectus, sunt generati, conseruati, innumerisque beneficiis affecti.

141 Hinc

141 Hinc sane consequitur, liberos naturali lege ad cultum, amorem, ac beneficentiam erga parentes obstringi.

142 Nam cultus, ut supra diximus, nihil aliud est, quam praestantiae et bonitatis, de quopiam conceptae, agnitio et aestimatio, certos actus, tum internos, tum externos, complexa.

143 Amor est intima mentis propensio erga eum, a quo beneficia in alterum sunt profecta, et proficisci possunt.

144 Beneficentia, ex grata mente proueniens, est praestatio boni pro bono accepto, cuius memoria probiori insidet animo.

145 Repugnaret itaque et parentum, et liberorum, naturae, si liberi nec colere, nec amare, nec beneficiis prosequi uellent parentes, a quibus tamen maxima et generationis, et conseruationis, et educationis, beneficia se accepisse, norunt.

146 Hoc enim idem foret, atque habere parentes pro non-parentibus, et esse liberos, nec tamen, ut liberos decet, se gerere.

147 Quae uti manifeste secum pugnant, ita naturali etiam legi prorsus contraria apparent.

148 IV. *Axiomata* sunt: (1) Parentes, qui liberorum procreandorum animo et uoto uxores ducunt, pios merito uocat I Ctus in l. 220. §. fin. ff. de V. S.

149 (2) Ut enim uanae libidinis gratia consuescere uetat honestas, sic liberorum contra generationi atque educationi studere eadem praecipit.

150 (3) Sunt enim liberi generis humani propago, optimarum familiarum decus et columen, ciuitatum amplissimarum spes ac desiderium.

151 (4) Nec dulcius quippiam esse potest nomine patris, qui filios filiasue idcirco edit, ut eorum earumue conseruatione diuturnitatis memoriam in aeuum possit relinquere.

152 (5) Quapropter et ignauiae, et stultitiae, argumentum haberi debet, quod ueteres quaedam nationes, liberis natis, plorarunt.

153 (6) Quod enim ipsis calamitas est uisum, id multarum gentium extitit uita.

154 (7) Nec obstat, quod heroum filii noxae (*ἡρώων τέκνα πῆματα*) uulgari dicantur adagio.

155 (8) Nam tantum abest, ut omnes sint tales, ut contra plerique parentum exemplo ad res praeclare gerendas impellantur.

156 (9) Generosus sanguis generosos excitat spiritus, magnumque uirtutis adiumentum est illustris prosapia.

157 (10) Dummodo recta accedat institutio, quippe quam uerae productionem uitae non inepte uocant sapientes.

158 (11) Haec ergo si bene successerit, tum demum nec genuisse poenitet, nec generare taedet.

INSPECTIO III.

DE

I. N. CIRCA DOMINVM ET SERVVM.

I. *Ratio tractationis.* II. *Fundamentum.* III. *Effectus.* IV. *Axiomata.*

I I.

Ratio tractationis, de domino ac seruo hic instituendae, est, quoniam in societate coniugali ac paterna, quam modo considerauimus, tot occurrunt negotia, ut, sine aliorum ministerio, fini praestituto conuenienter, peragi non possint.

2 Tali igitur ministerio cum adhibendi sint serui, naturali nunc ordine de iis succedit tractatio.

3 Hoc enim sensu seruus nihil aliud est, quam homo, alteri, qui hoc respectu dicitur dominus, quotidianam operam certis conditionibus ex pacto praestans.

4 Aristoteles eum describit, quod sit organum animatum, Rationis particeps, actiuum et separatum, alterius homo existens.

5 Quid autem hac descriptione sibi uelit Stagiritis iste, praeter interpretes eius, distincte explicant Clasenius, Cellarius, Lieben-thalius, aliique doctores politici.

6 Qui pariter in bonam interpretantur partem, quod princeps hic Philosophus, naturales dari seruos, docuerit.

7 Nimirum de naturali ad seruiendum aptitudine, non actuali seruitute, hoc intelligendum esse, dicunt, cum, natura nullum nasci seruum, ipse alibi docuerit.

8 Talis autem aptitudo ex naturali quadam stupiditate prouenire dicitur, quae hominem, quippe se ipsum regere, ac propria sibi opera prospicere nescientem, alius seruiendo se sustentare cogat.

9 Nam

9 Nam duo fere hominum genera existere, aiunt, alterum eorum, quos natura singulari ingenii ui animique praestantia instruxerit; alterum eorum, quibus hebetiora sint ingenia, adeoque seruituti magis, quam imperio apta.

10 Hocque Plato inuuisse creditur, quando, imperantium animis aurum argentumque, subiectorum uero ferrum et aes admixtum in prima generatione fuisse, dixit.

11 Quo quidem sensu si seruitus quaedam dicitur naturalis, ab illa, quae legalis vocatur, diuersa, non omnino reiicienda est appellatio.

12 Dum modo ne malae hinc formentur conclusiones, e. g. quod naturalis praestantia, seu dexteritas, iustam belli causam eatenus praebet, ut gens sapientior stupidiores inuadere possit, exemplo Graecorum, qui talem fouisse opinionem, dicuntur.

13 Sin de naturali seruitutis statu intelligatur, tantum abest, ut seruitus detur a natura, ut potius naturae, i. naturali libertati repugnet.

14 Hoc enim uult Imperator, quando, seruitutem talem esse constitutionem, dicit, qua quis dominio alieno contra naturam subiiciatur §. 2. l. de patr. potest.

15 Scilicet cum naturaliter omnes homines nascantur liberi, seruitus naturali utiq; conditioni aduersari, ideoq; ad status hominum praeternaturales, seu aduentitios, pertinere dicenda est l. 4. ff. de l. et l.

16 Dico praeternaturales, h. e. tales, qui non natura, sed hominum facto, uel instituto, sunt introducti, adeoque naturali quidem conditioni, non tamen iuri naturali contrariantur.

17 Ideo nempe, quia naturae hominum absolute non repugnat, alterius imperio ita subiici, ut certae, quas hominum conditio permittit, operae propter mutuam auxilium praestentur.

18 Neque enim natura hominum, in se spectata, seruitute tollitur, sed tantum libertas, mutabile eius adiunctum, pacto, seu conventionione, restringitur.

19 Seruus utique manet homo, omnium, quae communi humanitatis statu nituntur, iurium particeps, etiamsi, qua seruus, domino existat inaequalis, minusue libertatis, quam ille, habeat.

20 Talis quippe inaequalitas ex accidenti superuenit, adeoque naturae hominis, qua talis, tanto minus detrahit, quanto liberiore pacto regulariter nititur.

21 II. *Fundamentum* igitur seruitutis est pactio, seu conventio, qua homo, in naturali alias libertate constitutus, alteri ad certas praestandas operas certis se conditionibus subiicit.

22 Ex tali demum pactione omnis deriuanda est seruitus, quacunque ceterum ratione, quae occasione constituatur.

23 Scilicet unum seruitutis ubique est fundamentum, pactio, sed uaria potest esse tum occasio, tum causa, quae homines ad eam subeundam impellat.

24 Nam hero quidem recipiendi intra familiam seruos ansam praebere potest modo augendae rei familiaris opumue parandarum cupiditas, modo commoditatis tranquillitatisque amor, modo magnificentiae externae splendoris studium.

25 Serui autem siue ingenii hebetudine, siue inopia, siue captiuitate, ad quærendos, admittendosue dominos cogi possunt.

26 Non ergo a deprauata hominum natura, qualis ea post lapsum se statim exeruerit, aut sigillatim a maledictione Noachica seruitutis origo est arcessenda.

27 Praeterquam enim, quod mentio seruitutis a prima eius institutione probe sit discernenda, nullum est dubium, quin longo ante diluuium, tempore seruitutem passi sint homines.

28 Imo, nec ineptum est dicere, dominos ac seruos fuisse extituros, etiam si homines statu integritatis nunquam excidissent.

29 Sicut enim ad euitandam anarchiam, non coactionis quidem, attamen boni ordinis causa, necessarium fuisset quorundam in alios imperium, ita, ex natura correlatorum, necessaria quoque fuisset reliquorum subiectio, imperio respondens.

30 Quo autem sensu Pontifices Romani a Gregorio M. inde usque seruos seruorum se nominare soleant, prolixè hic disquirere non attinet.

31 Certe, siquidem Chanaano, filio degeneri, ex Noachica illa maledictione primum titulus hic fuit tributus, tanto suspectior utique uideri posset, quanto notius est doctorum moralium paradoxon, omnem uitis obrutum hominem esse seruum.

32 Quo etiam motus fuisse dicitur Scherzerus, ut, numquid iure hereditatis a Chanaano titulum hunc accepisset Pontifex, cum aliis

aliis Theologis disquisuerit, prout in singulari de hoc argumento dissertatione commemorat Mayerus.

33 Scilicet, cum epitheto hoc *seruitus extrema*, seu potius *seruilis* significetur nequitia, superstitioso autem cultu, qualem Papa tueretur, ex scripturae testimonio, nulla nec maior, nec peior detur *seruitus*, nequissimus omnino *seruus* habendus esset Papa.

34 Saltem, cum notissima illa superbia, qua, triplici tiara et augustissimo insignitus habitu, Romae se adorandum praebet Papa, et utriusque gladii, ecclesiastici ac polieici, potestatem sibi arrogat, imo omnes Reges ac Principes in sua se ditione habere, gloriatur, minime conveniens uideri posset hic titulus.

35 Quocirca eundem, occasione orthodoxae in excommunicationem Sixti V. censurae, in alium plane mutauit Banosius.

36 In eum scilicet, quo Sixtus dicitur ex monacho Papa, Romanus Antichristus, *seruus seruorum* Babylonicae meretricis, sedens in templo Dei, tanquam Deus, et supra omnes sublimiores potestates se efferens superbe, et dominans tyrannice.

37 Verum, siquidem Papa non absolute dicitur *seruus seruorum*, sed, cum addito, *seruus seruorum Dei*, fortassis bona primum intentione assumptum fuit hoc axioma, ut multi opinantur, quos excitat modo nominatus Mayerus.

38 Saltem his uerbis indicatur, quales esse debeant Pontifices Romani, non quales plerique fuerint, sintque hodie.

39 At meliore forsitan animo ultimum Dei *seruum* se dixit sacratissimus Princeps, et pietate non minus, quam rerum bene gestarum gloria clarus Imperator, Iustinianus in l. i. C. de offic. praef. Praetor. Affric.

40 Itaque *seruitutem proprietalem* non nisi ex pacto esse, statuim.

41 Sicuti autem tale pactum non uno semper modo se habet, sed propter varias saepe causas, uariaque ratione initur, ita nec eadem est omnis *seruitus*, sed, pro diuersitate causarum et adiunctorum, maxime diuersa.

42 Scilicet, pro diuerso constituendi modo, alia *seruitus* est uoluntaria, alia minus uoluntaria.

43 Voluntaria est, qua quis, hebetudinis, inopiae, aliusue necessi-

tatis sensu impulsus, sponte s. ultro in alienam se potestatem tradit.

44 Et talis quidem servitus cum libero ineatur consensu, aequioribus etiam conditionibus plerumque constat.

45 Minus uoluntaria autem est, quae uel captiuitate, uel delicto, uel etiam natiuitate constituitur.

46 Captiuitate introducit servitus, quae bellica alias uocatur, quoniam iure belli, quod uictor in uictum habet, nititur.

47 A servitute hac ipsa serui appellatio uulgo ducitur, siquidem, qui iure uictoriae occidi poterant, ideo seruati dicuntur, ut mancipia uictoris existerent §. 3. l. de iur. perf. et l. 4. §. ff. de stat. hom.

48 Quanquam alii, reiecta hac deriuatione, seruos ideo a seruando nomen habere, statuunt, quod domi, absentibus maxime dominis, rem familiarem seruare, h. e. custodire, debeant.

49 Caeterum durius esse hoc seruitutis genus aliis, uel inde patet, quod operis perpetuis, iisdemque gratis praestandis, donatae beneficium uitae in eo sit demerendum.

50 Ideoque apud barbaras tantum gentes, e. g. Turcos, etiam nunc in ulusest, inter Christianos autem, meliora tenentes instituta, locum non habet, ut infra dicemus in l. G.

51 Equidem non desunt, qui aerumnosam hanc seruitutem, ueluti remedium contra tot fures uagabundos, totque ualidos mendicos, in Christianum reduci orbem, uelint cum Busbequio, Hubero, Hertio, Beyero, Tesmaro, Frauero, aliisque.

52 Non magis enim Christianae eam religioni aduersari, putant, quam communem illam hostilitatem, qua multa millia Christianorum in bello trucidari, et igne ferroque ad incitas redigi soleant.

53 Verum ab eo, quod ex belli conficiendi necessitate, adeoque pacis securitatisque obtinendae causa, fieri solet, ad modum deuictos tractandi perperam concluditur.

54 Nec coërcendae hominum malitiae bellica, ut opinantur, seruitus sufficere potest, sed aliis opus est remediis, sic inter alios recte iudicante Titio.

55 Delicto producit servitus poenalis, qua delinquens siue ad triremes, siue ad aurifodinas, siue ad ergastula condemnatur, ibidemque, certos peragendo labores, seruire cogitur.

56 Quod

56 Quod servitutis genus tantum abest, ut iure naturali illicitum censeretur, ut potius, si operarum ac delicti observetur proportio, ob plurimas utilitates maximam mereatur commendationem.

57 Ob eamque causam publicus carcer, emendandis censura et labore malis hominibus destinatus, (Zuechthaus) S. Poni et Raspi-
ni nomine insigniri solet, de cuius miraculis et egregiis usibus, omni suppliciorum generi longe antefereendis, scripsit Krausoldus.

58 Nec, nisi sibi met ipsi imputare debet poenalem eiusmodi servitutem delinquens, cum eo ipso, quo delinquit, in poenam, quam delicto se mereri, novit, consentiat.

59 Dum enim scit, vel scire debet, poenam, in maleficos, e. g. fures, statutam, nec tamen a maleficio, e. g. furto, abstinet, sed poenam mauult, quam omissionem furti, vere etiam uelle putatur.

60 Ideo delinquentes se ipsos poenae subiicere, et malum capientes propositum suo merito iam tum puniri, h. e. sua uoluntate poenae meritum contrahere, dicuntur in l. 34. ff. de iur. fisc. et l. fin. C. ad l. iul. Maiest.

61 Hoc etiam sensu obligationes ex delicto nasci dicuntur, de quibus, praeter interpretes iuris civilis ad Institut. h. t. legi merentur Grotius et Pufendorfius.

62 Natiuitate denique serui existunt, qui parentibus, in seruis statu constitutis, nascuntur, et uernae uulgo nominari solent.

63 Non ideo quidem, quod fructus sequatur uentrem, uelut accessio quaedam, et quia pater non possit meliorem gignere, quam ipse sit, praesertim si seruus captiuitate fuerit factus.

64 Cum enim sola generatione ne parentis quidem imperio cedat filius, quo, sodes, iure ipsius domino hinc posset accrescere?

65 Patrem uero meliores se ipso generare posse filios, uel inde patet, quod patre proscripto, uel exilii damnato, liberi possint nasci, nequicquam eiusmodi mali participantes.

66 Verum, si quae tali seruituti praetendi potest causa, alimentatio esse debet, ex bonis domini facta, adeoque conseruati seruitio filii compensanda.

67 Quanquam, ratione melius subducta, dicendum est, serui filium acceptis a domino alimentis non ad subeundam demum seruitutem

nitutem, sed ad gratae potissimum mentis declarationem obligari.

68 Ita, ut, facta compensatione, restitutisue ex peculio proprio impensis, liber euadat, et, inuito etiam domino, ex familia possit egredi, nisi pacto in seruilem sese addixerit conditionem.

69 Cum enim nec generatione, nec educatione, perpetui liberorum domini fiant parentes, qui sola nutritio ignobilissimae subiectionis causam praebere possit?

70 Ratione adiunctorum, seruitus alia est perfecta, seu absoluta, alia imperfecta, seu conditionata.

71 Perfecta est, qua seruus ad perpetuas, quascunque demum eius conditio et aptitudo tulerit, operas obstringitur.

72 Talis seruitus existit bellica, quam modo exposuimus.

73 Imperfecta est, qua seruus siue ad certum tempus, siue sub certa conditione, siue in certis tantum rebus seruitium debet.

74 Talis est illa, quae apud plerosque quidem Christianos in usu est, uaria tamen complectitur genera, quorum praecipua recensent Hufanus, Stammius, Tabor, et Becmannus.

75 De ueterum uero Germanorum seruis legi potest Schottelius.

76 Serui nostrates maximam fere partem mercenarii existunt, seu tales, qui pro certa mercede certas ad diem operas, pacto conuenienter, praestant.

77 Prout itaque pacto, uel qualicunque consensu, constituta fuerit seruitus, ita effectum eius se habere, iudicandum est.

78 III. *Effectus* autem seruitutis considerari potest, partim ratione heri, seu domini, partim ratione serui, seu mercenarii.

79 Ratione heri, ex seruitute prouenit potestas seruorum ita dirigendi ac tractandi, prout finis seruitutis requirit.

80 Scilicet, quemadmodum omne imperium fine, seu causa, cur constituitur, est metiendum, ita haec etiam potestas suum hinc modum, suamque mensuram accipit.

81 Consistit autem finis seruitutis in tali operarum praestatione, qualem necessitas et utilitas rei familiaris, huiusue conseruatio, pacto conuenienter, postulat.

82 Quicquid itaque obrinendo huic fini inseruit, id exigere a seruo potest dominus, pro eo, ac inter utrumque conuenit.

83 Ideo

83 Ideo modica quidem castigatio in seruum licet, quando operas, ex pacto debitas, contumaciter negat.

84 Hac enim seruus male moratus adigi potest, ut poenae metu faciat officium, quod amore uirtutis facere recusat.

85 At uitae necisque potestatem minime habet dominus, quippe societatis herilis rationi plane aduersam.

86 Praeterquam enim, quod seruus in uitam suam nec concedere possit ius domino, nec debeat, nullus etiam operae quotidianae defectus uitae aequiparari potest.

87 Accedit, quod ipsius etiam domini uita uix secura foret, si seruo propter operarum neglectiorem extrema ab iracundo, uel saeuio, domino essent metuenda.

88 Cum enim quacunque ratione suam quisque uitam tueri studeat, credibile est, seruum, mortis metu, id daturum fore operam, ut dominus potius, quam ipse, pereat.

89 Coërceri ergo potest seruus, imo, si nulla emendationis spes appareat, e familia eiici.

90 At occidere ipsum nefas est, nisi hostis euadat, ipsi domino uim extremam afferens, eundemque ad uiolentam sui defensionem adducens.

91 Neque enim dubium est, quin seruo, si praeter meritum seuerius tractetur, aut morti subiiciatur, iniuria possit fieri, quicquid in contrariam disputet partem Hobbefius.

92 Quippe, ut supra docuimus, seruitus neutiquam obstat, quominus seruus aequae maneat homo, ac dominus, hocque nomine ita haberi debeat, prout aequalis humanitatis ratio deposcit.

93 Praesertim cum quilibet seruus in domini potestatem ideo se tradere credatur, ut hic illi pro seruitio uitae sustentationem praestet, non uitam eius suo subiiciat arbitrio.

94 Quocirca, etiamsi Romani perinde, atque alii populi, ius uitae ac necis in seruos, ueluti quadrupedes, aliquando habuerint, id tamen Imperatoris, Antonini, instituto fuit mutatum.

95 Ira, ut, qui seruum occiderit, aequae, ac alius homicida, poenae esset subiectus, l. 1. §. 2. ff. ad l. Corn. de sicar.

96 Proinde ne captiuus quidem seruus sine causa grauiori est necandus,

candus, quamvis caeteroquin plus in talem licere uideatur, quam in alios.

97 Nam, captiuo semel in seruitutem recepto, statum ipsius ex pacto mutasse, et iure eundem occidendi cessasse creditur uictor.

98 Ita, ut eundem praeter meritum interficiens, fidem frangat, adeoque naturalem utique legem uiolet.

99 Falsa igitur est opinio illa, qua, sine uitae necisque potestate nullum consistere posse imperium, statuit Hornius.

100 Talis quippe potestas ad consequendum imperii finem, ad eo non necessaria est, ut potius ei plerumque contraria sit habenda.

101 Nec uendi, seu distrahi, posse seruum, existimauerim, praesertim ubi acerbior saeuiorque metuendus sit dominus.

102 Satiuse enim putauerim, carere seruitutis fructu, aut obtinendo ex alienatione commodo, quam hominem, pecudis instar, uenundare, atque infelici mancipare seruitio.

103 At uero bonis alteri conditionibus serui operas aliquamdiu locare, illicitum cenferi nequit, nisi aliter inter dominum et seruum conuenerit.

104 Quod si igitur leges Romanae non adeo aequae semper in seruos uideantur, causa huius existimanda est malitia seruorum, seuiore utique modo coercenda.

105 Naturali autem iure res omnis, pro ratione finis, pacto est metienda, unde etiam de potestate in bona, a seruis acquisita, quae apud Romanos domino omnino cedebant, iudicari oportet.

106 Quin imo ex eodem fonte omne id ducendum est, quod dominus seruo praestare debet.

107 Scilicet generale quidem officium postulat, ut, si seruus pacto conuenienter agit, dominus uicissim data a se fidem liberet.

108 Speciatim uero dominus seruo exhibere debet alimenta, et, si qua promissa est, mercedem, moderatos ipsi labores imponere, infirmitatem eius aequo ferre animo, eumque in omnibus rebus humanitus tractare.

109 Requirit haec omnia natura serui, utpote qui, propter seruitutem, quam sustinet, conditionem, non definit esse homo, sed homo utique manet, humanaeque societatis membrum.

110 Er-

110 Ergo hoc etiam nomine, quicquid homo homini, tum ratione humanitatis, tum ex pacto et instituto, legibus naturae conuenienter, debet, a domino exigere potest.

111 Ratione serui, subiunctionem inducit seruitus, eamque talem, quae potestati, qualicunque pacto a domino acquisitae, respondeat.

112 Cum enim relata dicantur se mutuo definire, talis utique serui est conditio, qualis domini est potestas.

113 Vnde et officia serui erga dominum possunt cognosci.

114 Debet nimirum seruus hero praestare honorem, obsequium, ac fidem, adeoque honesta eius mandata promte, diligenter et sine contradictione exequi, operas quotidianas pro parte sua uirili perficere, et quicquid lucri, aut commodi, inde prouenerit, pro ratione pacti, domino fideliter consignare.

115 Quae quidem officia lepida serui imagine expressisse fertur Apelles, dum ita seruum depinxerit, ut aures habuerit asininas, nares suillas, manus omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, macilentum uentrem, pedes ceruinos, e. s. teste Guil. Grotii commentatore, Müllero.

116 IV. *Axiomata* sunt: (1) Certe, tam necessaria est seruitus in humana societate, ut sine ea uix ulla uitae commoditas suppetat.

117 (2) Proinde alterum alteri seruire, etiam inter Christianos, tam parum humanae contrariatur dignationi, quam manus ac pedes uentri praestare seruitium, turpe est habendum.

118 (3) Modo temperata sit seruitus, ex necessitate, uitae sustentandae causa, cum iusto proboque domino pacta.

119 (4) Quemcunque igitur seruitio ueluti addixit fortuna infestior, is sortem hanc aequo ferat animo, eandemque honestati suae ne quicquam detrahere, existimet.

120 (5) Quin potius perpendat, satius esse, honestas praestando operas, tenuem sibi uictum parare, quam in flagitioso uitae genere opes exitiosas quaerere.

121 (6) Imo eiusmodi seruitute turpior quodammodo cenferi debet illa, quam Principes, aliis regendis dati, sustinent, quando ministrorum suorum arbitrio sunt subiecti.

122 (7) Ecquid enim indignius haberi potest literis illis, quas Phi-

P p p

lippus

lippus III. a deambulatione domum redux, in conclavi suo reperit?

123 (8) Quippe sic inscriptæ erant, Philippo III. Regi Hispaniarum, nunc in seruitio Ducis de Lerma exilienti, ex narratione P. Mathæi, Euphormionis, f. Barclaii, Berneggeri, Röseri aliorumq;.

124 9) Meminerint ergo Principes, sibi in primis conuenire, ut, si quidem tot alius infra se hominibus imperare debent, etiam infra seruos habeant ingenium, quod in Nerone laudat Tacitus.

125 (10) Nam minus, quam seruus, est dominus, qui seruum timet, nec indignius quippiam Principibus esse potest, quam si seruorum suorum infamia se faciunt mancipia, cum cæteroquin inflatos ambitione spiritus habere soleant, iudice Förstnero.

INSPECTIO IV.

DE

I. N. CIRCA FAMILIAS CONIUNCTAS.

I. Indoles familiar. II. Officia. III. Cognatum. IV. Axiomata.

EL.

Indolens familiar cogniturus, nosse ante omnia debet uocem familiar, utpote quæ in uario apud scriptores occurrit sensu.

2 Scilicet proprie dicitur de seruis ac seruorum coetu, siquidem in lingua Olcorum seruus uocatur famul, ut adeo familia sit quasi famulia, quemadmodum hodieque famulus dicitur, qui seruit, uel honestiores saltem operas præstat.

3 Eamque significationem I Ctis Romanis non esse incognitam, multis declarat exemplis Hornius, eiusque commentator, Kuchenbeckerus.

4 Quod quidem sensu etiam accipi uidetur familia latronum in l. 2. C. quibus ad libert. proclam. non lic. quanquam nonnulli uocem familiar ibi explicare malunt per factionem, coetum, aut sectam.

5 Porro sumitur de facultatibus, seu bonis, e.g. quando dicitur familia erciscunda, familiar emptor, res familiar, e. f. in legibus Romanorum.

6 Alia familiar acceptio est, qua certam gentem ab una descendente stirpe denotat, e. g. familia Corneliorum, Iuliorum, uid. l. 195. §. 2. ff. de V. S. et l. 5. C. de uerb. et rer. signif.

7 Quales quidem familiar ut conseruentur, Reipublicæ omnino interesse, probat Besoldus.

8 Hoc

8 Hoc loco specialiter nobis est consociatio plurium personarum, ex diuersis societatibus simplicibus sub unius potestate, uel natura, uel pacto, diuersa tamen ratione, in quotidianum uitae commodum, deuinctarum.

9 Personae itaque, familiam constituentes, sunt illae, quibus simplices, quas proxime exposuimus, societates constant, nimirum maritus et uxor, parentes ac liberi, domini ac serui.

10 Quot autem personae ad constituendam familiam requirantur, non adeo certe definiri potest, cum modo plures, modo pauciores familia postulet, prout ea uel amplior fuerit, uel angustior.

11 Cum enim, e. g. multiplicata prole, uel aucta bonorum accessionibus familia, usus quotidianus multum operarum exigat, pluribus etiam personis tum opus est, quam alias.

12 Caeterum tres saltem diuersarum societatum personas ad constituendam familiam requiri, ipsa familiae natura docet, quippe quae maior est societas, adeoque ex pluribus etiam societatibus simplicibus composita esse debet.

13 Ex quibus autem societatibus personae tales necessario esse debeant, incertum pariter est, cum neutra societas ita semper ad familiam requiratur, ut sine ea haec consistere non possit.

14 Quamuis enim perfectior existat familia, quae ex omnibus tribus istis, quae simplices dicuntur, societatibus est conflata, nihil tamen obstat, quo minus et duae familiam constituere possint, quaecunque demum illae fuerint.

15 Quippe, ratione societatis coniugalis, alter coniugum deficere potest, salua nihilominus familia.

16 Quod ad liberos attinet, hi quidem pars familiae existere possunt, et plerumque existunt, attamen etiam sine liberis familiam permanere, ecquis negauerit?

17 De seruo denique et ancillis certum est, iis carere utique posse familiam, in qua partim coniuges ipsi, partim liberi operas perficiunt, seruis ancillisue alioquin imponi solitas.

18 At tale in omni familia requiritur caput, quod caeteris, qualiacunque fuerint, membris praesit, eorumque actiones ita dirigat, prout finis familiae tulerit, h. e. utilitas eius et conseruatio.

19 Quo quidem sine singulae, quibus familia constat, personae metiri debent officia, sibi inuicem praestanda, quae caeteroquin eadem sunt in societate composita, atque in simplicibus.

20 Ius autem domesticum, quod pater familias habet, pro diuersitate tum personarum, familiam constituentium, tum status naturalis et ciuilis, diuersum utique est, ut docta hoc commentatione exposuit Ludouici.

21 Praecipua eiusmodi iuris domestici pars est iudicium morum, moderatam castigationem complectens, de quo in erudita pariter dissertatione egit Cocceius.

22 Quemadmodum uero familia quaeuis proprium habet caput, ita et singulae seorsim quidem res suas habere, h. e. separatim ab aliis uiuere, possunt.

23 Verumtamen, cum, gliscente hominum malitia, et uno alterum inuadente, uaria timenda sint mala, coniunctis utique uiribus ad ea propulsanda opus est.

24 Hæc sine dubio causa fuit, cur familiae plures coire, adeoque societates maiores, sine ullo tamen imperio ciuili, conflare coeperint.

25 Hinc ortus est uicus, seu pagus, qui proinde nihil aliud est, quam societas plurium familiarum, sine uinculo ciuili, solius securitatis mutuaeue defensionis causa, coniunctarum.

26 Equidem uicus et pagus a se inuicem differre uulgo dicuntur.

27 Quippe pagum modo societatem, ex pluribus uicibus compositam, seu certum ciuitatis districtum, modo coetum hominum, agrum et rem pecuariam colentium, denotare, aiunt.

28 Vicus autem modo plateam, seu locum publicum, utrinque aedificiis cinctum, et instar uiae incolis transeuntibus patentem, modo consociationem opificum et mercatorum, in uno loco habitantium, significare dicitur.

29 Verum synonyma hic nobis uocabula sunt uicus et pagus, uel saltem non aliter a se inuicem distincta, nisi quod maior hominum coetus fortasse pagus, minor autem uicus uocari possit.

30 Proinde specialis illa uici et pagi notio, partim Latinis antiquioribus, praesertim historicis, usitata, partim uulgari hodie usu recepta, tam parum hic attenditur, quam numerus familiarum, uicum, seu pagum, constituentium.

31 Pro-

31 Prout enim familiae tales uel, nullo necessitudinis uinculo coniunctae, ex diuersis conueniunt locis, uel, suis demum propinquis in unum locum congregatis, coalescunt, amplior etiam, uel angustior euadere potest societas.

32 Quippe centum fere domorum pagum, in quo omnes a fene quodam, eodemque adhuc uiuente, descenderint, ita, ut etiam nomina ad discernendos natu minores defuissent, in Hispania se uidisse, memorat Ludouicus Viues.

33 Hoc tantum monere operae pretium est, ut, quibus et quocunque demum familiis maior eiusmodi societas constet, id unice curent agantque omnes, quod suarum esse partium, norunt.

34 II. *Officia* igitur familiarum, ita coniunctarum, complectuntur mutuum pacis, concordiae, amicitiae, aequalitatisque studium.

35 Hoc quippe primarius consociationis finis postulat.

36 Cum enim ad tuendam mutuo auxilio salutem, uitamq; feliciter agendam, sese coniungant, ipsas pacem inter se colere oportet, utpote sine qua interna omnium beatitudo consistere non potest.

37 Nec minus concordia opus est, si commune, quod intentari possit, periculum consociatis uiribus auertere, suamque adeo securitatem seruare uelint.

38 Amicitia uero mutuumque inseruendi studium ad conciliandos sibi inuicem animos, prouehendasque mutuo utilitates, facit.

39 Aequalitas denique obseruanda est, ne spargendis suspicionibus, concipiendis odiis, ciendisque turbis detur materia.

40 Quare, cum aequali omnes iure gaudeant, nullus singularem in alterum potestatem in eiusmodi familiis sibi arrogare debet.

41 Neque adeo imperium affectare debet is, cui uel grauitas aetatis, uel prudentiae opinio, uel fama uirtutis, quandam prae aliis auctoritatem peperit.

42 Quod si, ingruente hostium ui, ducem aliquem elegerint socii, is quidem suadendi hortandique magis, quam cogendi, facultatem habere censetur, eamque talem, quae statim, ut periculum fuerit depulsum, expiret.

43 Quanquam haec aliaeque plura pactione, saltem ad certum tempus, pro necessitate finis, ita possunt definiri, ut modo amplior existat auctoritas, modo restrictior.

Ppp 3

44 Nec

44 Nec dubium est, quin eadem uia conueniri possit, ut maiori familiarum parti decernere, et reliquas, ut ratum habeant decretum, compellere liceat.

45 Alioqui nullum componendi dissensus suppeteret remedium, nec ullum fortassis negotium obtinendo fini conuenienter expediri posset.

46 Sic enim hic fere res comparata est, quemadmodum in uniuerſitatibus, seu collegiis, peculiarem pariter societatem ob certum finem constituentibus.

47 III. *Cognatum* igitur familiarum eiusmodi coniunctarum est uniuerſitas, seu collegium, h. e. coniunctio plurium personarum, eandem uiuendi rationem, eandemue artem, ad commune aliquod bonum consequendum, aut conseruandum, certis institutis iuribusque congruenter, exercentium.

48 Dicitur talis societas alio nomine corpus, nec non systema, quanquam haec nomina latius pateant, cum perinde ciuitati, imo et familiae, tribui possint, atque collegio.

49 Membra eius æquali pariter conditione gaudent, adeoque æqualitiam communicatione rerum, operarum ac iurium frui debent.

50 Iura in eo itidem consistunt, ut per modum pacti de rebus collegii possint statuere, adeoque omnia, quae decus, ordo, bonumque commune postulauerit, sancire.

51 Talia fere sunt, numerum et qualitatem membrorum collegii definire, certam in uiolatores statutorum poenam praescribere, et illos, qui eisdem sese submittere nolint, e collegio dimouere.

52 Quae quidem omnia ut tanto ordinatius fieri possint, integrum ipsis est, non tantum arca communi, acriore, scriba et syndico uti, sed etiam praesidem sibi constituere, qui, pro ea, qua polleat, auctoritate, et dirigere queat collegium, et eius commodis prouidere.

53 Nec inconsultum haberi debet, si stato quotannis tempore conueniant, et parata communi sumtu conuiuia celebrent.

54 Talia enim conuiuia tum iungendis conseruandisque amicitijs, tum ineundis rerum uariarum rationibus maxime inſeruiunt.

55 Quapropter et ueteres Christiani eiusmodi instituebant conuiuia, ob mutuum, cuius documenta erant, amorem, agaparum nomine

mine insignita, de quibus prae aliis legi meretur Hoornbeekius.

56 Hinc apparet, quod huius generis societates, quam diu debitos obseruant fines, tam intra, quam extra ciuitatem, seu rem publicam, locum habere possint.

57 Praesertim cum magistratus omnia singularum artium momenta uel non intelligat semper, uel propter negotiorum multitudinem expedire non possit.

58 At simul ac periculi quicquam, aut detrimenti, Reipublicae afferre uidentur, Imperantis est, suam interponere autoritatem, uel prohibendo plane collegia, et noua instituendo, uel certam eis normam praescribendo.

59 Neque enim ignotum est, opificum collegia, dum res, Magistratus arbitrio relinquendas, decidendo, tyrones suos plus quam seruili obruendo conditione, inordinatosque laepe conuentus habendo, nimium sibi tribuunt, et suspecta Reipublicae euadere, et grauias, teste inter alios Besoldo.

60 Quae etiam causa fuit, cur Hanseaticarum, ut dicuntur, ciuitatum societas Imperatori, Carolo V. tam inuisa extiterit, de qua sigillatim legi possunt Hagemeyerus, Werdenhagen et Lambecius.

61 IV. *Asiomatica* sunt: (1) Familia non modo omnium, quae simplices uocari solent, societatum complexus est, sed ipsius etiam ciuitatis quandam refert speciem.

62 (2) Ideo et tanto plura sapientissimae ordinationis diuinae documenta in ea nobis se conspicienda sistunt.

63 (3) Mas et foemina de naturali testantur amore, quem sexui erga sexum ad praestantissimos fines prouidum indidit Numen.

64 (4) Parentes et liberi docent, quanto opere humani conseruationem generis curari, uelit optimus rerum Parens.

65 (5) Domini ac serui ancillaeque monere nos debent, quam salutariter mutuae hominum necessitati diuinitus sit prospectum.

66 (6) Integrarum denique familiarum coniunctio perinde, atque constituta rite ciuitas, securitatis praesidium, diuino beneficio introductum, existimanda est.

67 (7) Ergo grata haec omnia mente agnoscere debemus, idque curare sedulo, ut, debitum pro cuiusque statu officium peragendo, diuinae uoluntati respondeamus.

SECTIO

SECTIO IV.

DE

I. N. HABITO RESPECTV INFRA NOS.

Infra nos, siue infra sortem humanam, sunt corpora defunctorum, et creaturae inferioris naturae, partim animatae, partim inanimatae.

MEMBRUM I.

DE

I. N. CIRCA CORPORA DEFUNCTORVM.

I. Officia. II. Contraria. III. Axiomata.

II. Fundamentum. I. I.

Officia erga mortuos in honesta eorum sepultura potissimum consistunt, unde ius sepulturae, ius exequiarum, atque ius supremum complecti dicuntur.

2 Est autem sepultura actus, quo corpus humanum, uere mortuum, certis ritibus elatum, in certo loco terrestri reconditur, adeoque tum hominum, tum ferarum iniuriis, humanae, quam defunctus seruauit, dignationi conuenienter, subducitur.

3 Corpus itaque sepeliendum uere mortuum esse debet, h. e. tale, ex quo anima reali separatione discessit.

4 Quae separatio ut certo constet, probe considerata sunt signa, qualia habentur motus, calor, et respiratio.

5 His deficientibus, naturaliter existit corporis putrefactio, quae adeo certissimum mortis indicium esse potest, quam difficilis alioquin iudicetur uitae mortisque probatio.

6 Vnde et factum, ut corpora, peste, apoplexia, syncope, suffocatione uterî, aliisque uiolentis symptomatibus correpta, et manifestis uitae signis ad tempus destituta, pro mortuis fuerint elata.

7 Qualia quidem exempla praeter alios afferunt Ernestus, Schmidius, Kornmannus, et Stypmannus.

8 Qua propter ad certum utique tempus differenda est mortuorum humatio, saltem ad trium dierum, aut septuaginta duarum horarum, spatium, utpote intra quod, Medicorum iudicio, omnium humorum motus absoluitur.

9 Quae

9 Quae etiam caussa fuit, cur apud Romanos octauo demum die elatum fuerit funus, calida ablutum aqua, et semel iterumque conclamatum, teste Kirchmanno.

10 Quanquam, grassante inter homines peste, non consultum est, tam anxie haec obseruare, cum statim a morte serpat contagio, et adstantibus labem inferat.

11 Vnde et consuetudo hominum, peste infectorum, aedes claudendi inualuit, de qua dissertationem scripsit Salzmannus.

12 Sigillatim de grauidis notandum est foeminis, eas non prius sepeliendas esse, quam partus fuerit editus, uel excisus, de quo eruditae prostant commentationes Nymmanni et Vateri.

13 Ideo Lex Regia negat, mulierem, quae praegnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur, ita, ut, qui contra fecerit, spem animantis cum grauida peremisse uideatur l. 2. ff. de mort. inf.

14 Dicimus, sepeliendum esse corpus, certis ritibus elatum, non quasi ad ipsam sepulturam necessarii sint ritus, sed quia honestatis caussa plerumque adhiberi soleant.

15 Neque adeo certi quicquam Ius naturae hic praescribit, sed hominum arbitrio rem omnem relinquit, modo decori ubiuis habeatur ratio, et luxus euitetur ac uanitas.

16 Proinde diuersi apud diuersos populos existunt ritus, de quibus prae aliis legi possunt Alexander ab Alexandro, Rosinus, Dempsterus, Panuinius, Gyraldus, Bulengerus, Kirchmannus, Gutherius, Perrucius, Kornmannus, Hildebrandus, Quenstedius, Francisci, Knichen, Stypmannus, Medices.

17 Ipsa autem sepultura in eo consistit, quod corpus mortuum, rite elatum, in certo loco terrestri reconditur, ibique ab hominum pariter, ac ferarum iniuriis immune asseruatur.

18 Certus requiritur locus, siue intra ciuitatem fuerit, siue extra.

19 Neque enim hic aliud iuris naturalis praeceptum datur, nisi quod honestatis, necessitatis utilitatisque ratio pariter sit habenda.

20 Honestus quidem locus esse debet, h. e. talis, qui nullum mortuo dedecus, saltem hominum opinione, adspargere iudicetur.

21 Proinde pius fortassis, sed indiscretus, fuit zelus Arbogasti, Argentinenfis Episcopi, qui iuxta patibulum, in recordationem

Seruatoris, simili loco passi ac defuncti, sepeliri uoluit, commemorantibus Bruschio et Balaco.

22 Rideri pariter meretur Richardus, Normanniae Dux, quod corpus suum, ut hominum pedibus conculcari, et stillicidiis, e tecto dilabentibus, infestari possit, ante ostium templi sepeliri, praecepit, teste Reinhardo.

23 Necessitati autem in destinando mortuis loco nonnunquam parendum est, quando scilicet per calamitatem, aut infortunium, soliti copiam sepulcreti habere non licet.

24 Utilitas denique spectanda est, prout consultius uidetur extra, quam intra ciuitates, aut urbes, sepelire mortuos.

25 Quocirca nullum est dubium, quin naturali rationi magis conueniat, in remotis ab urbe locis, quam in aedibus templisue, habere sepulcra.

26 Quippe foetidi squalores, noxiique humores, uerno maxime tempore, inde surgentes, uariis morbis, saltem horroribus ac nau-
seis, materiam praebere possunt.

27 Praesertim ubi nimium multa fuerint conditoria, nec satis terra superingesta, aut impositis saxis, obstructa.

28 Taceo; quod sepulcra, extra urbem posita, commovere possint homines, egressos ex terrestri ciuitate defunctos, in coelestem migrasse patriam, aliamque mortuorum esse mansionem, ac uiuorum.

29 Quapropter Romanis perinde, atque aliis populis, intra ciuitatem sepultura seuerè fuit interdicta, ut prolixè inter alios doceat Stypmannus, Sahmius, Bohnius, Zieglerus.

30 Ipsi etiam Christiani martyrum duntaxat corpora olim in templis humarunt, ut, conspectis eorum monumentis, Christianae constantiae pariter, ac mortalitatis admonerentur.

31 Caeterum dormitoria sua extra urbem primum exstruxerunt, deinde, religione quadam moti, sepulcra tamdiu circum templa sbeciarunt, donec non minus intra, quam extra urbem, coemeteria habendi consuetudo inualuit.

32 Ideo forsitan, quod tranquilliorē corporum quietem ibi sperauerint, uno alteroue primatum praecedente, caeterisque eundem postea honorem ambientibus.

33 Dico;

33 Dico, honorem, cum superstitioni mox sese adiunxerit arrogantia et uanitas, qua homines, siue illustriores, siue opulentiores, singularem sibi dignitatem et famam parare creduntur, si sepulcra ac monumenta in locis sanctioribus habere liceat.

34 Et talis hodieque causa esse uidetur, cur sepultura in templo caeteris, quas uulgares dicunt, sepeliendi rationibus honoratior haberi soleat.

35 Quapropter certa etiam pecunia pro ea plerumque soluitur.

36 Quaesiquidem ad pias, ut uocant, causas, destinatur, facile eundem inuenit fauorem, atque alia instituta, etiam non adeo pia, de quibus erudita prostat commentatio inauguralis excellentissimi nostri Icti, Wernheri.

37 Nihilominus tamen hunc intra urbem sepeliendi morem reiciunt, et tantum non iuri naturali plane contrarium pronunciant CL. uiri, uti Riuetus et Thomafius.

38 Porro terrestrem sepulturae locum requiri, dicimus.

39 Ergo damnanda utique est consuetudo eorum, qui corpora mortuorum ex arboribus suspenderunt, prout de Tabarenis aliisque populis commemorat Kirchmannus.

40 Iaciusmodi loco terrestri deponendum est corpus, ne uel hominum, uel bestiarum iniuriis pateat.

41 Proinde uix homine, nedum philosopho, dignum fuit postulatum, quo Diogenes Cynicus, cadauer suum in campos apricos eiici, uoluit, non multum interresse, ratus, ferarum uentre, an terra recondatur corpus, sensibus destitutum.

42 Nos potius humari, seu terra condi, humanae, quam defunctus seruauerit, dignationi, h. e. naturali hominis honestati, conueniens existimamus.

43 II. *Fundamentum* itaque sepulturae honestae, defunctis concedendae, est natura corporis humani.

44 Hoc quippe domicilium est nobilissimi praestantissimique spiritus, animae, arctissimaque cum hac coniunctione creaturam excellentissimam constituit.

45 Est ergo corpus pars hominis essentialis, ad dignissimae substantiae perfectionem diuinitus ordinata.

46 Est illa pars, quam homo uiuus, suae memor dignationis, ex naturali quodam instinctu, amare solet, et reuerenter habere.

47 Haec igitur corporis humani *ὁπρὸς*, haec excellentia ac dignitas, non patitur, ut ipsum, instar cadaueris beluini, aliusque rei uilioris, post mortem proiici, aut inhoneste tractari possit.

48 Quin potius, quemadmodum id uiuens prae omnium animantium corporibus singularem habuit eminentiam, sic honesta etiam sepultura mortuum ab illis distingui, fas est.

49 Palatia, siquidem summorum Principum habitationi sunt consecrata, aedibus aliis dignitate ac sanctitate longissime praeferruntur, notum est.

50 Ob eamque causam non tantum sanctuaria, sacra palatia, domus augustae, diuinae, sanctae, dominicae, consecratae, uocantur, sed etiam splendidius meliusque caeteris haberi solent, ut ex instituto hoc docent Struuius, Stryckius, et Treiberus.

51 Quod si ergo palatia, lignis caementisque ab hominibus exstructa, propter mortalis habitationem Principis, tantam sustinere possunt dignitatem, quidni corpus humanum singularem mereatur praerogatiuam?

52 Nonne hoc spiritus immortalis, diuinitus dati, augustum est domicilium, idemque ab ipso rerum omnium architecto, Deo, affabre formatum, ad constituendam hominis, caeterarum creaturarum domini, essentiam?

53 Certe regia haec coelestis animae sedes, nisi criminibus, humanae dignationi contrariis, fuerit polluta, tam absente, quam praesente suo hospite, naturalem quandam praestantiam retinet.

54 Hinc firma sequitur conclusio, hominis defuncti corpus eo ipso, quod humanum, non beluinum, est corpus, ea dignandum esse sepultura, quam homini conuenire, Ratio dictitat.

55 Talis autem est humatio, quippe qua corpus exanime, cum terra sit, terrae redditur, et, ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur, ut ait Cicero.

56 Sic essentialis hominis portio, ab ipso, cum uiueret, tenerime amata, et reuerenter habita, modo locoque apto reconditur.

57 Non enim, tanquam res uilis et abiecta, humi iacens, in omni-

um

um conspectu diffluit, omniumque oculis ea conspicienda prae-
bet, quae uiui, honestam corporis curam habentes, solícite occul-
tare solent.

58 Neque aëre exsiccatum, aut sole tostum, aut pluuiâ corru-
ptum, aut bestiarum dentibus laceratum, foede interit.

59 Sed, humo obiectum, ab omni tutum iniuria, quiescit, et, na-
turali resolutum putredine, in ea paulatim elementa redit, ex qui-
bus coaluit.

60 Id quod perpetuae, quam natura amat, ἀνακυκλώσει, adeoque
ordini naturali, ipsiusque corporis humani naturae ac dignationi
omnino congruit.

61 Quod autem ungi quandoque soleant corpora, uariisque aro-
matibus condiri, id quidem, dummodo luxus absit et uanitas, iure
naturali utique licitum haberi potest.

62 Praeterquam enim, quod talis conditura supremæ interdum
pietatis sit testimonium, ea neuiquam impedit, quo minus corpus
ad ortum, quem uocant, materialem redire possit, retardata licet
aliquantisper corruptione.

63 Quare antiquus ille Aegyptiorum mos balsamo, succo cedri-
no, aliisque, quorum copia maxime abundant, oleis corpora de-
functorum ita perungendi, ut infinitos fere annos integra mane-
ant, minime improbandus est.

64 Quin potius et physicum, et politicum, et theologicum u-
sum habere condituram, peculiari tractatu docuit Sebizius.

65 Et de medicatis eiusmodi corporibus, siue, ut uulgo uocari
solent, mumiiis, siue gabbaris, praeter itinerariorum scriptores, legi
possunt Struppius, Zachias, Aringus, Stypmannus et alii.

66 Verum ob stare hic uidetur crematio, quam plurimae gentes
nostro, quem adeo commendauimus, sepeliendi modo praeferen-
dam esse, duxerunt.

67 Scilicet uariæ eiusmodi νεκροανυσίας causæ uulgo afferuntur.

68 Alii, eandem ideo receptam fuisse, arbitrantur, ut corpora,
combustioni data, subito post mortem ad commune rerum natu-
ralium principium redirent, quod, ex certorum Philosophorum
opinione, ignem esse, crediderunt.

69 Nonnulli contra originem eius inde repetunt, quod hominum cadauera, uelut impura, igne purganda esse, putauerint.

70 Multi denique hanc eius causam existimant, quod homines cauere uoluerint, ne iniuriae quicquam corporibus afferri posset.

71 Saltem apud Romanos comburendi morem ideo inolenisse, putant, quod Sylla, cum mortuorum cadauera, e sepulcris eruta, in fluuium demergi saepe iussisset, idem ab hoste ludibrium suspicatus, testamento cauerit, ut post mortem corpus suum cremaretur.

72 Ipsam uero combustionem tam apud Romanos, quam alios populos, imo ueteres etiam Germanos, multis uariisque, pro mortuorum dignitate, caerimoniis fuisse peractam, adeoque honorificam omnino extitisse, constat.

73 Et nobilissimos quosque uiros in rogis, pretiose exstructis, concrematis, imo ipsos Imperatores inter diuos hoc modo relictos, combustorum uero ossa una cum cineribus, ex iisdem decussis, in aureas argenteasue urnas coniecta fuisse, quis ignorat?

74 Hanc quippe concremandi assensu etque mortuorum corpora consuetudinem innumeri prope scriptores memoriae prodiderunt.

75 Tales sunt e. g. Seruius, Panuinius, Meursius, Gyraldus, Porcacchius, Guichardus, Kirchmannus, Baysius, Menckenius, Nunningius, Büchnerus, Stieuius, Ankiel, Balduinus.

76 Praetermitto eos, qui, exemplo Cnorrii, numismata, consecrationem, aliasque huius ritus solemnitates, illustrantia, collegerunt, quorum sat magnum quoque numerum possidet urbis nostrae Senator, ut prudentissimus et integerrimus, ita rei numariae et antiquitatum curiosissimus, Ludouicus.

77 Enimuero ex quacunque demum causa, et quibuscunque solemnitatibus usitata fuerit concrematio, humandi tamen ritus et longe antiquior ea habendus est, et multo dignior.

78 Quippe Romanos etiam ab ortu urbis sat diu defunctorum corpora humo condere, non cremare, consueuisse, ex eo utique, quod Numae Pompilii corpus in arca lapidea post multa secula a Cn. Terentio in ianiculo inuentum fuit, colligendum est, ut recte existimat Hochstetterus,

79 Neque, introducta crematione, humandi mos exoleuit, sed perinde in usu mansit, cum integrum cuius fuerit, humare suorum cadauera, uel comburere, teste Kirchmanno:

80 Crematione autem tanto dignior censenda est humatio, quanto praestat, corpus, sicuti naturali animae separatione uiuere definit, ita et naturali potius resolutione interire, quam flammis uiolentis, hominum manu accensis, in nihilum recidere.

81 Cum enim homo, quamdiu honestatis probitatisque leges obseruat, nec uiuus, nec mortuus, ita alterius potestati sit subiectus, ut quacunque uiolentia ab eo possit destrui, etiam a combustione mortui abstinendum esse, apparet.

82 Ea quippe talis est destruendi modus, quo cadauer humanum intra pauca fere momenta uiolentissime consumitur, ac, ueluti res solo indigna, ita tollitur, ut paucissimae cinerum ossiumque particulae remaneant.

83 Sic ergo tantum abest, ut hominum defunctorum corpora quandam praecaliis rebus praerogatiuam habeant, ut potius eodem pereant modo, atque resturpissimae infestissimaeque.

84 Etenim non solum hostes resque hostiles igne deleri, sed etiam facinorosos, resque, maleficio adhibitas, aut saltem refricandae eius memoriae obnoxias, comburi, quis ignorat?

85 Omitto, quod ligna resque illae omnes, quibus exstruendi sunt rogi, ad alium plane usum retineri possint, quam ut flammis, defunctorum corpora foetide destruentibus, subiiciantur.

86 Propterea Antoninum, Caesarem, sublato combustionis abusu, humationem corporum mortuorum Romanis ordinasse, inter alios memorat Besoldus.

87 Et Christianos cremationem, quippe a paganis introductam, plane damnasse, refert Macrobius.

88 Imo, si quis corpus defuncti hominis, secundum ritum paganorum, flammis consumi fecerit, et ossa eius ad cinerem redegerit, eum capite puniendum esse, Saxones Caroli V. capitularibus monentur, teste Hochstettero:

89 Manet itaque humatio dignissimus sepeliendi mos, quicquid a nonnullis obiiciatur.

90 Neque

90 Neque enim attendi merentur anthropophagi, qui, alios irridentes populos, intra suos demum ventres mortuis optimam se concedere sepulturam, gloriantur.

91 Quippe nihil foedius excogitari potest, quam hominem homine, ferinae instar carnis, uesci, crudasque corporis partes non in suum, quod aiunt, et sanguinem conuertere, sed per aluum eiicere.

92 Certe Cyclopus hoc esse ac Lestrigonum, quorum numero Virgilianus ille Polyphemus, miserorum uisceribus, et atro uescens sanguine, fuerit, recte cum Bruyerino iudicat modo excitatus Hochstetterus.

93 Quapropter ipse etiam Aristoteles inter habitus ferinos (*θηρώδεις ἥξεις*) refert, quod quaedam Ponti nationes humanis uesci carnibus soleant.

94 Vnde, quo loco haberi debeat factum Artemisiae, Cariae Reginae, quae Mausoli, combusti sui mariti, cineres, potulento inspersos, bibit, facile liquet.

95 Neque obscurum nunc esse potest, quod humatio sit genus sepulturae, ut corporis humani excellentiae, ita et naturali rationi hoc magis conueniens, quod eius exemplum etiam bruta quaedam, ex naturae instinctu, praebere dicuntur, prout referunt Bodinus et Bohnius.

96 Ergo frustra sunt, qui, Grotium secuti, fundamentum eius in iure Gentium uoluntario, h. e. moribus et rationabili consuetudine, quaerunt.

97 Equidem corpora defunctorum terra condere, antiquissimum esse morem, ac ueluti ius patrium, quo, teste inter alios Tullio, pleraeque utantur gentes, facile largior.

98 Verumtamen, cum cremationem apud plurimos perinde populos usitatam fuisse, et fortassis etiam nunc esse, ex iis, quae paulo ante diximus, constet, non gentium demum institutis, sed naturae dictatis, aestimanda est humatio.

99 Quo respicere uidentur ii, qui saltem inter humanitatis, aut innoxiae utilitatis, officia talem sepeliendi modum referunt cum Pufendorfio, Kulpisio, Buddeo et aliis.

100 Ideo scilicet, quoniam ab humanitate uideatur alienum, corpus

pus humanum, nobilissimi spiritus quondam domicilium, abuce-
re, eique talem negare actum, qui praestantem non adeo grauet,
accipienti uero, uel petenti, utique profit.

101 Obeamque causam officium tale modo mansuetudinem,
modo misericordiam et religionem, modo pietatem, modo cle-
mentiam, modo opus benignum et charitatis uocari, docet Styp-
mannus.

102 Nec aliud sibi uelle uidentur ii, qui officii huius fontem con-
stituunt decorum, h. e. id, quod consentaneum sit hominis excel-
lentiae, in eo, quo natura eius a reliquis animantibus differat.

103 Quanquam non desunt, qui, utramque sententiam obscuri-
tatis arguentes, ex uiuorum potius utilitate sepeliendi necessita-
tem, cum Seneca, aliisque, Stoicae praesertim Philosophiae addi-
ctis, deriuare malint, conf. l. 43. ff. de religios. et sumt. fun.

104 Quae quidem utilitas, ut supra docuimus, in sepeliendis
mortuorum corporibus utique est obseruanda, sed quale humati-
onis demum fundamentum praebeat, non uideo.

105 Quippe uariae dantur uiae defunctorum corpora amouen-
di delendiue, adeoque noxam, quam fortassis eorum foeditas affer-
re possit, simul auerendi.

106 Ergo non humatio duntaxat necessaria, sed uel crematio, uel
demersio, uel dilaniatio, uel alia destruendi tollendique ratio et-
iam licita uideri posset.

107 Siquidem uarias etiam consuetudines gentium hic occurre-
re, ex iis, quae supra attulimus, apparet.

108 Itaque nos, ei, quo omnis iustitia naturalis nititur, principio
inhaerentes, sepeliendi, seu humandi, obligationem ex ipsa cor-
poris humani natura deriuamus, adeoque eam naturali etiam iuri
conuenire, denuo concludimus.

109 Id ipsum sensisse uidentur ii, qui eiusmodi sepulturam siue
communis naturae praeceptum, siue commune hominum debi-
tum, siue iustitiam ac Deorum legem nominarunt.

110 Eadem quoque mente, ob pietatem et humanae conditionis
memoriam sepeliri mortuos, dixerunt l. Cti in l. 14. §. 7. et 8. ff. de
religios. et sumt. fun. et l. 27. ff. de cond. instit.

Rrr

III Quo

111 Quo autem tempore, quoque modo efferri atque humari debeant mortui, id quidem ius naturae non definit, sed perinde, ac sepulcreti constitutionem, eatenus humano relinquit arbitrio, quoad honestatis, necessitatis, utilitatisue ratio habetur.

112 Romanos quidem tam noctu, quam interdum, aut saltem mane, tempore antelucano, exequias fecisse, uel ipsa funetis ac uestipilonis nomina indicant.

113 Dicitur quippe funus, ex sententia Festi, a funalibus accensis, et uestipillo a uespera, quoniam uespertino potissimum tempore in humandis mortuorum corporibus praestat officium, de quo erudita prostat dissertatio Willenbergii.

114 Varios etiam ritus, pro mortuorum conditione, funerumue diuersitate, in usu apud Romanos fuisse, ex scriptoribus, antea nominatis, constat.

115 Scilicet alios ante exequias, alios in ipsa funeris celebritate, alios post humationem peractam obseruare consueuerunt.

116 Ante solemnitatem funebrem, postquam cognati, quorum proximus moribundi spiritum, imposito ipsi ore, ueluti excipiebat, oculos defuncti clauferant, ea, quae sequuntur, fieri solebant.

117 (1) Corpus, cura propinquorum, a libitinariis, eorumque seruis pollinctoribus, siue etiam, si pauperior fuerat mortuus, a mulieribus, aqua calida ablutum, ungebatur.

118 (2) In humum, aut stratum, uel stragulam impositum, pro statu ac dignitate defuncti, ueste funebri, ab ipso plerumque mortuo, cum uiueret, confecta, inuoluebatur.

119 (3) In uestibulo domus ita collocabatur, ut facies cum pedibus uersus fores spectaret, adiuncto ex propinquis seniore, qui ueluti custos illius, esse debebat, capularis ideo dictus.

120 (4) Ad fores domus funestae signum funebre, cupressus, aut pinea, collocabatur, cui etiam capillos defuncti, foribus appensos, cum uasculo lustrali, aqua referto, additos fuisse, nonnulli aiunt.

121 (5) In funere indictiuo per praeconem mors defuncti indicabatur, prima quidem uice his tantum uerbis, Illius, uel Ollus Quiris leto datus est, secunda autem uice, pridie diei funebri, addito tempore, ita, Ad exequias cras, quibus commodum est.

122 Ipsa

122 Ipsa iustorum celebratio his potissimum caeremoniis fiebat.

123 (1) Funus, si indictium erat, tertia a pracone uice per totam urbem sic promulgabatur, Illius, uel Ollus Quiris leto datus est, ad exequias, quibus est commodum ire, iam tempus est, Ollus ex aedibus effertur.

124 (2) Processum funebrem dirigebat designator, legendo praesentium nomina e catalogo secundum ordinem, quo quisque incedere deberet.

125 (3) Funus, idemque ditioris et nobilioris mortui, lectica, modo aperta, modo tecta, per heredes, proximos, aut uiros primores sex, octo, aut plures, pauperioris uero, uilioris, aut odiosioris, per uespillones, aut seruos, sandapila, et sequiori tempore per lectuarios publicos (Copiatas et Decanos) praecuntibus praefica et quibusdam tibicinibus, efferebatur.

126 (4) Funeri, si defunctus fuerat nobilior, praeferebantur lecti, iidemque saepe innumeri, ideo, ut paternae maternaeque gentis imagines, ex cera factae, augendae pompae nobilitatisque ostentandae causa, in iis portarentur.

127 (5) Funus, propinquis, pro necessitudinis ratione, lugubri habitu, lacrymis, et planctu dolorem indicantibus, comitatum, per certas plateas in forum deducebatur, ibique, quoad oratio in circumfusa populi corona a proximo mortui cognato fiebat, pro rostris deponebatur.

128 (6) Peracta laudatione, pompa funebris per urbem extra portam ad locum, sepulturae destinatum, ducebatur, ubi cadauer consuetis caeremoniis humabatur, eoque facto, comites, praefica nouissimum uerbum, Illicet, exclamante, discedebant, defuncto, Salue et Vale, dicentes.

129 Post sepulturam, ita peractam, certa fiebant solemnia.

130 (1) Scilicet nouemdialia, denicalia, et feralia, seu parentalia, nec non epulae, ad placandos praecipue Manes, celebrabantur.

131 (2) In fronte tumuli a cognatis, amicis, uel obsequio deuinctis, inscriptiones, lapidibus potissimum insculptae, Ciceroni elogia dictae, ponebantur.

132 (3) Aliis insuper ornamentis, seu monumentis, sepulcra,

R r r 2

prac-

praesertim diuitem ac nobiliorum, condecorabantur, additis quandoque lucernis, perpetuo, uel saltem diutissime, ardentibus.

133 Sed maximam eiusmodi rituum partem in statu ciuili ea, qua diximus, ratione decernere, prudentis est Magistratus, prout sigillatim Principis Euangelici iura circa solemnita sepulturae erudite exposuit illustris Thomaeus.

134 Id tantummodo commendandum est, ut, siquidem, ex humana dignatione ius sepulturae ducendum esse, probauimus, talis etiam dignationis ratio potissimum habeatur.

135 Ita scilicet, ut, quo dignius humanae societatis membrum extiterit mortuus, quoque probiorem in corpore seruauerit animum, eo honestior etiam sepultura ipsi concedatur.

136 Ideo solemnes illae pompae, quae in efferendis summorum Principum illustriumque uirorum funeribus adhiberi solent, lure Naturali tum utique licent, si caetera sint paria.

137 Nec cenotaphiorum erectio, suspensio uexillorum, lapidum sepulcralium impositio, aliorumque monumentorum constructio improbari potest, dum modo luxus absit, utpote qui uiuis plerumque nocet, mortuis neutiquam prodest, ut recte iudicat Zieglerus.

138 Etiam laudationes funebres, siue concionibus, siue parentationibus, fiant, suam habent utilitatem, si defuncti respondeant meritis, non adulationem redoleant, quae stusue cupiditatem.

139 Quod uero a paucissimis hodie oratoribus obseruari, merito conqueruntur uiri cordati, uti Müllerus, Wilduogelius, Brücknerus, Hornius.

140 Contra, improbis ac sceleratis uel ignominiosam, uel nullam decerni sepulturam, nec naturalibus, nec caeteris legibus diuinis repugnat, quicquid Bodinus et alii in contrariam disputent partem.

141 Sicut enim homines tales propter crimina, in alios admissa, humana se confortione indignos reddunt, ita nec sepulturam, saltem non talem, merentur, quae hominibus, uita honestiore functis, debetur.

142 Quod si ergo quaedam ueluti poena in res inanimatas statui potest, etiam in maleficorum cadauera, tanquam instrumenta delictorum, licita haberi debet uindicta, ut recte docuerunt Cocceius,

ius, Schmidius, Zeibichius, Hahnus, Sahmius, Eschenbachius, Zieglerus, Kulpisius, Carpzouius, alique scriptores.

143 Praefertim cum eiusmodi poena etiam uiuorum caussa infligi soleat, ut scilicet, a malo deterri, honeste uiuere studeant.

144 Nam utile est Reipublicae, horrendis eiusmodi spectaculis alios a similibus delictis deterri, ut recte scribit Gerhardus. Conf. l. 28. §. 15. ff. de poen.

145 Quam quidem ob causam nec iniustum est sepultos effodere, meritamque in eos ignominiam statuere, sicuti Cromwello, caeterisque Regis Angliae occisoribus euenisse, historiae testantur.

146 Punitorum denique corpora anatomiae tradi, tanto minus illicitum censi debet, quanto magis publico inferuit commodo, prout inter alios docent Sahmius, Rangerus, et Zieglerus.

147 At, praeter has similesue causas, mortuos nulla dignari sepultura, uel sepulcrorum quietem turbare, nefas utique est.

148 III. *Contraria* itaque officii erga corpora defunctorum sunt sepulturae debitae negatio, indigna mortuorum tractatio, et sepulcrorum uiolatio.

149 Honesta quidem sepultura iure naturali uix hosti est deneganda, nedum aliis hominibus, nulla criminis infamia notatis.

150 Cum enim hostis, eo ipso, quo hostis est, h. e. iustum cum altero bellum, saltem ex persuasione sua, gerit, non desinat esse homo, eo magis communi dignandus est officio, quod morte omnia soluantur dissidia.

151 Idcirco omnibus fere gentibus dedecus semper uisum fuit, corpora hostium insepulta relinquere, prout exemplis sat multis docet modo nominatus Sahmius.

152 Quanquam sepulturae denegatio, nisi ex contemptu, cum manifesta iniuria coniuncto, proueniat, iustam belli causam haud praebet, ut recte, contra Stypmannum, Kulpisium, aliosque, sentiunt Zieglerus, Thomafus, et Gribnerus.

153 An uero obaeratis ac debitoribus, in obstagio mortuis, usurariis manifestis, autochiriae reis, alienae religioni addictis, eiusus generis hominibus aliis, deneganda sit sepultura honesta, idem disquirat Sahmius.

154 Quicum conferri possunt Stypmannus, Zieglerus, Bohnius, Bodinus, Brücknerus, aliique plures.

155 Equidem, ex arbitrio Magistratus multum hic pendere, existimauerim, utpote qui, prout necessitas utilitasque Reipublicae tulerit, de mortuorum sepultura statuere potest.

156 Vbiuis tamen, pro eo, ac Christianos maxime decet, et humanitatis, et aequitatis rationem esse habendam, serio monuerim,

157 Idcirco ne Ecclesiae quidem Ministri propter pecuniam, alias soluendam, sepulturam denegare possunt, ut in erudita hoc dissertatione probauit nominatus Brücknerus.

158 At illudere in mortuorum corpora, ea uerberibus caedere ac plagis, aliqua parte mutilare, alioque modo male et inhoneste habere, nefas utique censeri debet.

159 Si enim grauis aestimatur iniuria, statutam laedere, quidni indigna corporis mortui tractatio poenam mereretur, cum maius utique puniendum sit, ubi minus punitur, l. 21. ff. de R. I.

160 Imo et iis, qui furca suspensos, aut rotae impositos, siue uestibus, siue aliquo corporis membro spoliant, fustigationem aliamue poenam infligi, ex Carpzouio testatur Zieglerus.

161 Denique atrox committit crimen, qui sepulcrum uiolat, siue demolitione, siue inhabitatione, siue aliis modis, quos recenset idem Zieglerus.

162 Sepulcrum quippe domus est mortui, in qua tutus ab omni iniuria debet quiescere, unde et sacra defunctorum quies uocatur Cassiodoro.

163 At graui tenetur actione, qui domum alterius introiuerit, et poena arbitraria plectitur, qui domesticam uiolauerit securitatem, l. 23. ff. de iniur. l. 3. §. 6. et l. 11. pr. ff. ad leg. Iul. de ui publ.

164 Quippe nihil sanctius esse debet, quam domus unius cuiusque ciuis, inquit Cicero, et domus sua tutissimum cuique refugium praebere debet, iuxta l. 18. ff. de in ius uoc.

165 Ergo nefas utique censendum est, effringere, aut uiolenter aperire sepulcra, praesertim si spoliandi causa id fiat.

166 Ideoque uiolator talis non tantum infamia notatur, sed arbitraria etiam poena, pro grauitate delicti, afficitur, teste inter alios Carpzouio.

167 Cae-

167 Caeterum, quot sepulcrorum dentur genera, quoque sensu modo sacra, modo sancta, modo religiosa dicantur loca, praeter Interpretes iuris ciuilibus ad tit. de locis religiosis, exponunt Strymannus, Bohnius, Zieglerus.

168 Quidue praeterea, ratione mortuorum, obseruari soleat, aut debeat, id praeter scriptores, iam allegatos, fuisse tradunt Finckelthausius, Hoyerus, Rothius, et Stryckius.

169 IV. *Axiomata* sunt (1) Haec demum, sicuti ultima et certissima, ita communis hominum fors est, mori.

170 (2) Mors ergo finis est uitae, omnibus, qui uiuunt, ex uniuersali naturae lege, aliquando expectandus.

171 (3) At bona habentur omnia, ubi bonus fuerit finis.

172 (4) Ergo cogitemus semper de morte, ut nunquam ad moriendum simus imparati, uiuamusque ita, ut bene possimus mori.

173 (5) Moriendi ars et maxima merito censetur, et difficillima.

174 (6) Norunt hoc tum summi Principes, tum maximi Philosophi, qui partim uaria mortis symbola in quotidianam eius recollectionem sibi delegerunt, partim omne sapientiae studium in ea rite contemplanda collocarunt.

175 (7) Est autem bona mors ea, qua hominis anima, post beatum ex mundo discessum, coelo recipitur, corpus autem honesta sepultura mandatur terrae.

MEMBRUM II.

DE

I. N. CIRCA CREATURAS INFERIORIS NATURAE.

I. *Officium*. II. *Oppositum*. III. *Axiomata*.

II.

O*fficium*, hic obseruandum, nihil aliud est, quam complexus earum actionum omnium, quas homo erga res huius uniuersi inferiores, ex uoluntate Dei, naturae ipsarum conuenienter, exercere debet.

2 Dicimus, ex uoluntate Dei, seu praescriptione legis naturalis, prout nimirum ea, secundum principium nostrum, ex facto, h. e. ipsa

ipsa rerum natura, qualis a Deo est condita, in relatione ad hominem apparet.

3 Res ergo non effectiue hic considerantur, sed obiectiue, h. e. non quasi quandam nobis obligationem ipsae possint iniungere, sed quatenus certum erga illas officium ex uoluntate Dei est perficiendum.

4 Dicuntur autem res tales ideo inferiores, seu inferioris naturae, item subiectae, quoniam infra humanam existunt sortem, hominumque dominio subsunt.

5 Nam homini quandam in res inferiores potestatem a Deo esse concessam, ex natura earum, et humanae conseruationis necessitate supra demonstrauius in Inspect. III. p. 410.

6 Scilicet cum ita comparatae sint res, ut hominis siue necessitati, siue utilitati, siue commoditati, aut iucunditati, inseruire possint, eas ad tales utrique fines a Deo esse destinatas, iudicandum est.

7 Neque enim Creator hic sapientissimus frustra quid condit.

8 Humana autem uita caeterarum, quas Deus produxit, rerum subsidiis carere nequit, adeoque homo etiam iis ad uitam debite conseruandam utendi ius habeat, necesse est.

9 Nam posito fine, ponenda sunt media ad finem necessaria.

10 Hinc etiam patet, quale sit illud dominium, quod homini in res inferiores diuinitus est concessum.

11 Nimirum tale, quod utendi fruendique facultatem, eamque ad certos duntaxat fines restrictam, complectitur.

12 Praecipuus quidem, idemque ultimus, finis est gloria Dei, bonorum omnium datoris, summiq; rerum, a se conditarum, domini.

13 Proximus autem ab isto hoc est conseruatio hominis, utpote cuius gratia res caeteras esse creatas, supra docuimus.

14 Officium itaque generale, inde promanans, consistit in tali rerum inferiorum usu, qualem natura earum, pro uitae humanae necessitate, utilitate, et commoditate, ad conseruationem hominis, Deique gloriam, permittit.

15 Generale hoc dicimus officium, quia erga res quascunque praestari debet, siue animatae sint, siue inanimatae.

16 His enim omnibus peraeque utendum est, ita uidelicet, prout necessarii, quos diximus, fines tulerint.

17 Ne-

17 Neque enim una alteraue, quam uilis caeteroquin fuerit, pro arbitrio, uti ab utique potest homo, sed unamquamque, pro eius natura, ad iustum perinde usum referre debet.

18 Sic ergo instar boni se gerere debet usufructuarii, qui re concessa non aliter utitur fruiturque, quam eius natura, ex directi uoluntate domini, permittit.

19 Ea uero rerum omnium natura est censenda, ut illae homini non praeue, sed recte, sentiendi agendique materiam praebere, adeoque non corruptionis et perditionis, sed perfectionis et conseruationis, instrumenta existere possint.

20 Scilicet, quicquid in uasto hoc uniuerso homini est obuium, id perinde immateriali, seu rationali, eius uitae, ac materiali, seu sensitiuae ac uegetatiuae, quodammodo prodesse potest.

21 Hoc est, res fere omnes ita sunt comparatae, ut non modo ad conseruandum ornandumue corpus aliquid conferre, sed etiam animo, doctrinis salutaribus erudiendo, bonisque uirtutibus imbuendo, inferuire queant.

22 Tum nempe, si diligens et accurata earum fiat contemplatio, utpote sine qua nullum officium rite perfici potest.

23 Cum autem, uti iam innuimus, res omnes duorum praecipue sint generum, aliae animatae, aliae inanimatae, sigillatim nunc consideremus, quid erga utrasque homini conueniat.

24 Officium igitur speciale erga animantia est, (a) bruta agnoscere pro creaturis, quae Ratione quidem destituantur, sic tamen magnam partem ex naturali agant instinctu, ut hominibus exempla praebere possint.

25 Rationem nulli bestiarum generi posse tribui, in Ethica docuimus, at quasdam earum, actibus suis, sola duce natura, susceptis, uirtutis quasi simulacra referre, hominemque ad uerae uirtutis studium incitare posse, certum est.

26 Annon ipsa Scriptura sacra modo ciconiae, turturis, et hirundinis attentionem, modo formicae industriam, modo serpentis prudentiam, et columbae simplicitatem, hominibus imitandam, proponit?

27 Scilicet ad classem inferiorem, h. e. ad brutorum scholam ab-

S s s

legari

legari merentur, qui in Dei schola non profecerunt, ut pie atque ingeniose loquitur Bochartus.

28 Nec unquam defuerunt doctores, qui hominibus bruta identidem contemplari, et horum exempla sequi, suaserunt.

29 Inter gentiles quidem, sapiens morum magister, Seneca, apes imitari iubet, quae, hinc inde uagantes, flores ad mel faciendum idoneos carpant, et, quicquid attulerint, per fauos apte disponant.

30 Ex Christianis autem, uirtutes, quarum quaedam uelut imagines in brutis appareant, secundum ordinem alphabeticum recensitas, in erudita de brutis, hominum doctoribus, dissertatione exhibuit Schmidius.

31 (3) Bruta particulari quidem dominio, quoad in statu ciuili licuerit, subiicere, uariis operis, imo et exercitiis, adhibere, ob eamque causam, si fera fuerint, etiam ui adhibita, mansuefacere, attamen necessariis alimentis sustentare, bene moderateque habere, et, si forte affligantur, ope ac remedio subleuare.

32 Fuit hoc officium ex ipsa brutorum natura, ad hominem relata.

33 Cum enim uniuersale in bruta dominium diuinitus sit concessum, licitum utique est, ea particulari cuiusque potestati subiicere.

34 Siquidem uero hominibus, siue ad necessitatem, siue ad utilitatem, siue ad commoditatem, prodesse debent, iis etiam operis ea adhibere fas est, unde usus fructusue quicquam ad hominem redire possit.

35 Nec iniustum est, in eis mansuefaciendis talem subinde uim exercere, qualem expellenda eorum feritas postulat.

36 At sicuti, qui fructum ex aliqua re percipere cupit, necessarias quoque impensas ferre debet, ita brutis etiam, utilem homini operam praestantibus, alimenta porrigi, aequum est.

37 Pariter moderatione uti aduersus bestias, praesertim cicures, tum ipsarum natura, tum dominii ratio deponit.

38 Cum enim sensum duntaxat et motum habant, idque natura appetant instinctu, quod ipsis salutare uidetur, fugiantque contra, quod noxium sibi, aut aduersum, sentiunt, dominorum suorum uoluntatem nec norunt recte, nec malitiose contemnunt.

39 Qua-

39 Quapropter iniustum perinde, atque absurdum est, easdem, quasi dolo, uel culpa, peccare possint, affligere, et quasi poenis coercere, quicquid de bestiali hic iure nonnulli nugentur cum Lederer.

40 Dominium uero, homini in bestias concessum, utile tantum est, h. e. certum, qualem pro sua quaeque natura praestare potest, usum complectens, ultra quem progredi non licet.

41 (γ) Bruta, siquidem mortua quocunque modo homini prodesse possint, sine cruciatu, quam celerrime fieri potest, mactare et occidere.

42 Dominium, in animalia datum, ad necem usque extendi posse, ex fine eiusdem, usu nimirum ac fructu, liquido patet.

43 Quoties ergo bestia non, nisi mortua, uitae humanae necessitati, utilitati, aut commoditati inservire potest, eam necare utique licet.

44 Concesso enim fine, concessa etiam censentur media, ad obtinendum finem necessaria, cum frustra foret concedere unum, nisi etiam concederetur alterum, sine quo id, quod concessum esset, obtineri nequiret.

45 Idcirco tantum abest, ut animalium caedes ea intermittenda sit religione, qua non tantum ueteres quidam Philosophi, sed hodieque Indiae Orientalis habitatores uilissimas etiam bestiolas occidere uerentur, memorante id inter alios Hardio.

46 Potius, reiecta tali superstitione, credendum est, omnis generis bruta tuto posse interfici, dum debito id fiat modo, iustamque ob causam.

47 Modus in celeriori, ut diximus, occisione consistit.

48 Cum enim mors uiolenta per se sat grauis existat, nec sine dolore fieri possit, cruciatus ei per moram addere, tanto iniquius habendum est, quanto magis et innocentiae brutorum, et fini occisionis aduersatur.

49 Est enim finis non punitio delicti, quod, prout maius fuerit, uel minus, alioquin in humanis acerbiores quoque, uel mitiores, meretur mortem, sed usus, ab occiso demum animali expectandus.

50 Iusta igitur causa bestias necandi est bonum, inde in homi-

nem manifesto redundans, siue priuatiuum fuerit, siue positiuum.

51 Priuatiuum quidem, seu negatiuum, bonum dicitur, quod, sublata, quam belua afferre poterat, noxa, uel molestia, homini obtingit, etiamsi ad nihil amplius proficit cadauer.

52 Et tales fere bestiae sunt insecta arque animalia quaedam uenenata, de quibus tamen diuersae sunt medicorum opiniones.

53 Positiuum uero bonum est illud, quod, occiso demum animante, homo percipit, siue carne eius ad comedendum, siue corio, aut pelle, ad uestiendum, siue adipe ad medendum utendo.

54 Imo utriusque generis bonum ex una saepe bestia prouenire, experientia testatur.

55 Licere autem carnibus, quin et sanguine, brutorum uesci, ex eo, quod homini concessum esse, diximus, dominio, haud difficulter apparet, quicquid in contrariam disputent partem Plutarchus, Pythagoras, Gassendi, Antonius leGrand, alique, allegati a Pufendorfio et Heshusio.

56 Hos quippe tam parum moramur, quam operae pretium ducimus, originem huius esus altius hic indagare, et, utrum ante, an post diluuium demum usitatus fuerit hominibus, disquirere, cum Heideggero, Curcellaeo, aliisque.

57 Sufficit, quod omni omnino tempore animantia in cibum adhibere iure naturali licuerit, ut recte, cum citatis supra Omeisio et Erasmo, existimat Hardius.

58 An uero carnis sanguinisque esus homini magis conducatur, quam alia ciborum genera, quaestio est, medicorum disceptationi relinquenda, ut supra monuimus Sect. II. Memb. II. p. 283. pos. 253.

59 Saltem necessarius uidetur talis esus ideo, quia, si solis frugibus, herbis, plantis, similibusque rebus inaninatis, se sustentare deberent tot, quibus iam mundus abundat, homines, aut fame illis esset pereundum, aut in se ipsos saeuendum.

60 Accedit, quod nimia bestiarum copia, nisi e medio tolleretur, non solum hominibus uictum praereptura esset, sed etiam uniuersas tandem terras sic impletura, ut difficillima, ne dicam periculosa, hominibus foret habitatio.

61 Caeterum animantia etiam uiua anatomiae posse subiici, lubentes.

bentes quidem iis largimur, qui licentiae anatomicae patrocinium suscipiunt cum Schwendendorfero.

62 Eiusmodi tamen dissectionem omni, qua fieri possit, celeritate finiendam esse, adeoque debitam omnino misericordiam innocentis bestiolae exhibendam, censemus.

63 Officium erga res inanimas uix aliud complectitur, quam talem moderationem, qualem generatim in quacunque re utenda ab hominibus, tanquam usufructuariis, ad reddendam Deo, domino suo, rationem obstrictis, adhiberi oportere, supra diximus.

64 II. *Oppositum* igitur generalem officii erga res animatas perinde, atque inanimatas, est abusus earum, siue ad crudelitatem, siue ad auaritiam, siue ad luxum, siue ad uanitatem.

65 Ad crudelitatem rebus abutuntur, qui, odio et uindicta incensi, animalia trucidant, resque suas, uel alienas, perdunt, ne usum cuiuspiam praestare possint.

66 Quam quidem saeuitiam maxime detestatur benignissimum Numen, ideoque tempore obsidionis res innoxias destruere, ac singillatim fructuosas excindere arbores, aut fruges destruere, seuere prohibuit, ut fuse exponit Iosephus, et ex eo Schickardus.

67 Imo nec Regum deuictorum equos, in bello adhiberi solitos, occidere, sed eos, incisis tantum suffraginibus, eneruare, caetera uero animalia, puta asinos, camelos, sine laesione ad necessarios reseruare usus, licuit, teste eodem.

68 Ad auaritiam abusus rerum fieri potest, quoties uel bruta ad corradendas opes nimio onerantur labore, uel res, humano duntaxat usui destinatae, insano amore, sola habendi cupiditate, coaceruantur, ac, ueluti perpetuis inclusae carceribus, retinentur.

69 Hic sane abusus, uti pessimus est, planeque stolidus, ita hominem pestifera quadam labe inquinat, et Deo perinde, atque hominibus, detestabilem reddit, ut uiuis auarum coloribus praeter alios depingunt Ernesti et Fritschius.

70 Ad luxum uero creaturis abutuntur homines, libidini, superbiae, intemperantiae, aliisque uitiiis dediti.

71 Dum scilicet modo bestiarum carnes, aut exuias, ad nutriendum seruandumue corpus concessas, epulando uestiendoque lu-

xuriose consumunt, modo res caeteras, e. g. gemmas, aurum, argentum, aliaque metalla, imo et fruges, ligna, ac lateres, in uoluptatis fastusque instrumenta impie conuertunt.

72 Quae quidem libido tanto detestabilior censi debet, quanto maiore cum uolentia coniuncta est, e. g. si quis uerubus ignitis porcum iugulet, ut delicatorem reddat carnem, quale factum ueteres etiam philosophos damnassee, refert Schilterus.

73 Ad uanitatem denique abusus creaturarum uariis ac pene innumeris fit modis.

74 Sigillatim huc pertinet stolidi illa *ἡγεφιλία*, seu amicitia cum brutis, de qua erudita prostat commentatio Springeri.

75 Quando nimirum homines, nescio, qua uanitate capti, certas bestias, e. g. canes, equos, elephantes, simias, psittacos, adeo amant, ut eas non solum delicatioribus cibis, stratisque mollioribus, sed etiam complexibus, osculis, aliisque amoris uesani signis, imo et sepultura mortuas, dignari haud dubitent.

76 Canes non tantum ab Aegyptiis olim permagni fuisse aestimatos, sed hodieque a Germanis aliisque populis, opulentioribus praesertim hominibus, mirum in modum amari, innumera docent exempla.

77 Sic nimium canis amorem cognatae suae in epistolis identidem exprobrauit Gueuarra.

78 Imo Andream Doriā, Ducem Genuensem, cani suo, nomine Roldae, ultra quingentos coronatos, annui prouentus loco, assignasse, cibosque lautissimos in argenteis patinis per duos famulos quotidie porrexisse, refert Kluuerus.

79 Equos in maximo pariter amore multis fuisse, Alexandri, Iulii Caesaris, Antonini Veri, Neronis, Caligulae, aliorumque Principum exempla docent.

80 Quid? quod diues quidam Italus equo suo aegro aureum puluinar et lectum sericum substernere, eundemque quotidie, cum podagra laboraret, lectica portatus, uisitare, multisque lamentationibus dolorem suum testatus, alloqui et consolari non erubuit, teste Antonio a Burgundia.

81 Quam cari Regibus Siam identidem extiterint elephantes,
Schou-

Schoutenius, alique regni istius scriptores passim commemorant.

82 Nec defuerunt, qui simias, caeteroquin deforme bestiarum genus, tantum non eodem dignati sunt amore, quem erga simium suum demortuum lugubri oratione, a Dornauio exhibita, declarasse dicitur Plautinus Maronius.

83 Psittacos denique a multis, ditioribus maxime hominibus, iusto carius haberi, notum est.

84 Fortassis et Beza, mollioris Poëtae, Ouidii, exemplo, psittaci sui mortem, scripto eidem epitaphio, secus, quam hominem grauem decet, luxit, uel saltem se lugere, simulauit.

85 Plura eiusmodi exempla qui desiderat, is, praeter scriptores, iam adductos, legere potest Camerarium, Hardium, Schmidium, Schickardum, Kirchmannum et Ferrerium.

86 Verum, siquidem omnis amicitiae, cultus, et honoris fundamentum debet esse singularis quaedam praestantia, uirtus ac bonitas, ecquis eiusmodi *ἡεροφιλίας* indignitatem non uidet?

87 Nec absurdissimae huic uanitati obtendi potest uel innoxiae delectationis licentia, uel ingenii exercendi studium.

88 Praeterquam enim quod talis delectatio, quippe nimia plerumque et affectata, raro sit innoxia, in aliis sane rebus honesta quaedam recreatio haberi potest.

89 Pariter ad exercendas ingenii uires homini pie docto longe dignior suppetit materia, quam cadauer beluae, confictis demum laudibus efferendae.

90 III. *Axiomata* sunt: (1) Ex dominio quidem, homini in res inferiores diuinitus concesso, magnam et praestantiam eius, et felicitatem elucere, supra diximus.

91 (2) At talis etiam domini abusus deploranda, qua homines laborant, corruptionis manifestum est documentum.

92 (3) Res quippe, in diuinae materiam gloriae creatas, uanitati subiicere, quaeque amplissima existere debebant subsidia, in perniciem conuertere, id sane maximam arguit miseriam.

93 (4) Quid igitur mirum, si, paucissimos hominum sua intelligere bona, iam olim conquestus est Lucianus?

94 (5) Si enim talia nossent, iisdemque, recte utendis, curam adhibe-

hiberent, et operam, res etiam minima ad beatitudinem multum conferret.

95 (6) Scilicet res mundi uniuersas, ex ipsa earundem natura, in hominis bonum quodammodo ordinauit optimus rerum parens, Deus.

96 (7) Quicumque ergo rebus contra naturam abutitur, is legem naturae, h. e. sanctissimam Dei uoluntatem, uiolat, adeoque malum, quod inde sentit, sibi imputare debet.

67 (8) Neque enim Deus, pro sanctitate et iustitia sua, impune fieri patitur abusum rerum, ad certos duntaxat fines concessarum.

98 (9) Si homo ab homine rationem reposcit administrationis, secus, ac par erat, factae, quidni Deus bonorum, male collocatorum, culpam coargueret?

99 (10) Non, nisi dispensatores, siue oeconomi, sumus, eorum, quae summus hic Dominus, non magis in necessitatis nostrae subsidium, quam uoluntatis suae obsequium, nobis concedidit.

100 (11) Vae igitur nobis, si, sine hoc temere neglecto, bonisue turpiter dissipatis, ratio non constat!

101 (12) Luxum egestate, auaritiam miseria, uanitatem dedecore, saeuitiam dolore tum lui oportet.

102 (13) Quid, quaeso, aliud, nisi creaturarum abusus, fons est tantarum, quibus homines subinde affliguntur, calamitatum, famis, uastitatis, pestis?

103 (14) Scilicet, ut gratus bonorum usus largitione augetur, sic turpis eorum abusus iactura punitur.

T A N T V M!

SCIENTIAE
DE
PRVDENTIA MORALI
VNIVERSA
PARS III.

IVS GENTIVM

SEV
PRVDENTIA IVRIS GENTIVM

DE EO
QVOD CIRCA MORES HOMINVM QVATENVS
SVNT GENTES IN STATV NATVRALI AD SE
INVICEM SPECTATAE IVSTVM VEL
INIVSTVM EST.

IOANNES FRIDERICVS HORNIVS
lib. II. architect. de ciuit. cap. II.
§. VI. n. IV. p. 263. ed. Lugdun.
Batau. 1699.

*Sicut Ius Naturæ est, quod homines instruit et
dirigit, Ius Ciuile, quod ciues et subditos deuincit, ita
Ius Genium dicendum erit, quod plures populos in
commerciis ligat.*

INTRODVCTIO.

Quid homines, ut singuli, in statu naturali considerati, præter leges positivas, sibi inuicem præstare debeant, ex iuris Naturalis prudentia proxime cognouimus.

2 Postulat nunc ordo, ut id consideremus, ad quod homines, ut uniuerſi, seu gentes, h. e. coetus integri, in certas Respublicas distincti, nulloque inter se nexu civili coniuncti, obstringuntur.

3 Gentes igitur aequæ, atque homines singuli, certa quadam societate se coniungere debent, si saluæ esse uelint ac felices.

4 Societas talis publicum complectitur commercium, actusque plane peculiare, certa etiam ac peculiari norma dirigendos.

5 Peculiaris hæc norma est Ius Gentium, sigillatim nunc explicandum.

6 De tali autem iure ante omnia doceri oportet, an, quid, unde et quale sit, quæ eiusdem extent scriptores.

7 Proinde duæ in parte præliminari occurrunt Sectiones, una de Natura et indole I. G. nimirum (α) de Existentiâ I. G. Memb. I. (β) de Essentiâ I. G. Memb. II. (γ) de Obligatione I. G. Memb. III. (δ) de Modo probandi I. G. Memb. IV. altera de Scriptoribus ac Doctoribus I. G.

8 Deinde plenior eius tractatio institui potest ratione obiecti, quod sunt actus Gentium, iidemque partim generales, partim speciales.

9 Hinc partis principalis duæ pariter nascuntur Sectiones, una de I. G. circa actus earundem generales, altera de I. G. circa actus earundem speciales.

10 Prior, habita potissimum ratione personarum ac rerum in genere, exhibet tum I. G. circa conseruandam Personarum humanitatem, Memb. I. tum I. G. circa tuendam Rerum proprietatem, Memb. II.

11 Posterior respicit tam certum nexum, quam certum statum,

T t t 2

adeoque

adeoque tradit (α) I. G. circa actus, certum Nexum respicientes, Memb. I. (β) I. G. circa actus, certum Statum respicientes, Memb. II.

12 Certus gentium nexus nititur uel necessitudine, uel pacto, uel controuersia, unde Artic. I. de I. G. circa Necessitudinem, Art. II. de I. G. circa Pactum, uel Foedus, Artic. III. de I. G. circa Controuersias.

13 Cum autem controuersiae bifariam spectari possint, uel generatim, uel speciatim, duae hinc oriuntur inspectiones, I. de I. G. circa Controuersias in genere, et II. de I. G. circa Controuersias in specie.

14 Specialia controuersiarum obiecta potissimum sunt limites et praecedentia, unde Discurs. I. de I. G. circa Limites, et Discurs. II. de I. G. circa Praecedentiam.

15 Status Gentium, prout uel belli est, uel, quae bello intendi debet, pacis, duos parit articulos, I. de I. G. in statu Belli, et II. de I. G. in statu Pacis.

16 Bellum spectari potest ratione (α) ingressus (β) progressus (γ) egressus, adeoque agi oportet (α) de I. G. circa Bellum suscipiendum, Inspect. I. (β) de I. G. circa Bellum agendum, Inspect. II. et (γ) de I. G. circa Bellum finiendum, Inspect. III.

17 Belli suscipiendi duplex est consideratio, generalis et specialis, unde Discurs. I. de Bello, generatim considerato, Discurs. II. de Bello, speciatim considerato, ratione Indictionis.

18 Circa bellum agendum occurrunt (α) Personae bellantes, Discurs. I. (β) Res bellantium, Discurs. II. (γ) Modus bellandi, Discurs. III. (δ) Effecta belli, Discurs. IV. (ε) Status, bello contradistinctus, seu Neutralitas, Discurs. V.

19 Belli finiendi occasio esse possunt uel ultima Victoria, Discurs. I. uel antegressae Induciae, Discurs. II. uel Transactio uoluntaria, Discurs. III. eademque facta siue interpositione Mediatorum, Discurs. IV. siue opera Legatorum, Discurs. V. siue promissione Sponsorum, Discurs. VI.

20 Pax; bello parata, primum generaliter consideratur, Inspect. I. deinde specialiter, Inspect. II. scilicet ratione tum Mediorum pacem confirmandi, Discurs. I. tum Mediorum pacem conseruandi, Discurs. II.

PAR-

PARTIS PRAELIMINARIS

S E C T I O I.

DE

NATURA ET INDOLE IURIS GENTIUM.

AD noscendam Iuris Gentium naturam et indolem, considerari debent (1) Existentia I. G. (2) Essentia eius, (3) Obligatio, (4) Modus probandi.

MEMBRUM I.

DE

EXISTENTIA IURIS GENTIUM.

I. *Acceptio*. II. *Probatio*. III. *Obiectiones*. IV. *Responsio*. V. *Axiomata*.

I.

A *Cceptio* uocis Iuris Gentium uel impropria est, uel propria. 2 Improprie sumitur modo pro certis gentium moribus et institutis, modo pro iure civili plurium populorum, modo pro I. N. 3 In posteriori quidam sensu a ueteribus potissimum Ictis usurpatur, e.g. §. 1. et n. l. de R. D. §. 1. l. de I. N. G. et C. l. 9. ff. de I. et l. 4 Imò ipsum ius Iustinianeuum ideo, quod magnam partem ex praeceptis naturalibus sit collectum, et apud plurimas passim gentes, saltem in certis materiis, receptum, commune gentium ius nonnullis dicitur.

5 Maxime in eo totus fuit Arthur Duck, Anglus, ut Iuri Romano, libris Iustinianeis comprehenso, apud omnes pene gentes summam et dignitatem, et auctoritatem, uindictet.

6 Ut ramen saluum maneat ius naturae, proprie dictum, inuenta est distinctio inter ius gentium primæuum, seu primarium, et secundarium, uniuersale et particulare, antiquum et recentius internum, l. connatum, et externum, seu constitutum, aut uoluntarium.

7 Proprie autem denotat normam, seu regulam, publicos gentium actus dirigentem, adeoque ius inter naturale et positium, l. civile, medium.

8 Tale quidem ius gentium a multis negatur, existimantibus, easdem esse leges, quae coetibus hominum integris agendi rationem praescribant, et quae singulorum officia hominum declarent,

9 Hac mente Hobbesius Ius naturæ partitur in ius naturale hominum et ciuitatum, h.e. gentium, prout nimirum circa regendas harum actiones uersetur.

10 Quem illustris etiam secutus uidetur Pufendorfius, et hunc postea plures, uti Thomafius, Becmannus, Boeclerus, Hedingerus, et Gribnerus.

11 Nos, aliorum, nec minus præstantium, uirorum sententiæ accedentes, ius gentium a iure naturæ utique distinctum, adeoque proprium ac peculiare, admittimus.

12 II. *Probatio* autem existentiae huius iuris haec esto.

13(1) Gentes, quæ tales, societatem peculiarem, ab uniuerfali hominum consortione, aequæ ac ciuili, distinctam, formant.

14 Adeoque actus, ad communem huius societatis finem, mutuum scilicet incolumitatem, spectantes, maximam etiam partem peculiare sunt, ac gentibus proprii.

15 Atqui tales gentium actus nec solo iure naturæ, quippe nimirum generali, nec iure Romano, utpote nimium speciat, in certis tantum ciuitatibus, ad priuatum magis, quam publicum, usum recepto, formari possunt.

16 Ergo necesse est, ut peculiare quoddam ius existat, idemque tale, quod omnes peraeque gentes obstringat, mutuumque earum commercium certa, eademque constanti, ratione dirigat.

17(2) Gentes tum in propriis, tum in aliorum populorum, actibus ad singularia identidem iura, e.g. ius legationis, belli, prouocant.

18 At eiusmodi iura nec naturali, nec ciuili, nituntur iure.

19 Non hoc, quippe quod priuatum, ut diximus, magis est, quam publicum, adeoque gentibus, publica inter se negotia tractantibus, nullam agendi normam præscribere potest.

20 Non illo, utpote quod publicorum eiusmodi actuum rationem prorsus singularem, seu specialem, pro simplicitate sua, determinare nequit.

21 Ergo aliud quoddam ius requiritur, idque ius gentium est proprium, eorum, ad quæ toties appellari solet, iurium complexus.

22(3) Gentes maximam partem tales inter se exercent actus, quorum moralitas, h.e. honestas, uel turpitudine, non naturali demum iure, sed peculiari prorsus ratione, nititur.

23 Scilli-

23 Scilicet ius naturae, uti nos quidem in parte proxima demonstrauimus, conuenientiam actus cum natura obiecti, ad hominem relati, tanquam unicum, uerum, idemque uniuersalissimum, fundamentum, respicit.

24 At uero ius gentium praecipit, e.g. ut legatus, etiamsi alios laedat, non laedatur, ut hostis hostem conductis percussoribus, armis uenenatis, aliisue modis non interficiat.

25 Hæc sane ad illud iuris naturæ principium haud possunt reduci.

26 Nam tantum abest, ut ius naturæ laedentem uicissim lædere, et hostem, extrema quæque audentem, ueneno, aut immisso occifore, tollere prohibeat.

27 Potius naturali conuenit rationi, idem in alterum ius statuere, quod sibi arrogat, et naturaliter perinde est hostem, siquidem iuste occidi potest, ueneno interimere, ac ferro.

28 Et posito, quod aliqua etiam ratio naturalis hic afferri possit, id tamen probatu manet difficile, ex naturali demum iure hanc inter gentes prohibitionem esse ortam.

29 Praefertim cum multa sint, quæ, quamuis eadem fere ratione niti uideantur, non tamen perinde licita, aut illicita, iure gentium censeantur.

30 Aliud est iuri naturæ non repugnare, aliud de iure naturæ esse.

31 E.g. constitutio regis non est de iure naturæ, ita, ut suam inde originem proxime trahat, neque tamen iuri naturæ aduersatur.

32 Sic plurima iuris gentium decreta cum I. N. admodum congruunt, seu naturali nituntur ratione, neque tamen eorum, sanctio iuri naturali potest adscribi.

33 Saltem specialis multorum actuum determinatio, aut, si ita loqui liceat, modificatio, ex iure gentium, non naturali, existit.

34 Haud secus, ac multa iuris ciuilibus praecepta, prout honestati aequitati, utilitatiq. humanæ inseruiunt, cum legibus naturæ probe concordant, ideo tamen non Deum, sed hominem, proximum sui habent auctorem.

35 Scilicet probe discernendum est formale actus a materiali.

36 Quam plurimi actus, materialiter, h. e. in se et abso'lute, sine speciali aliqua determinatione, considerati, naturalis utique iuris esse

esse possunt, at formaliter, seu respectiue, ratione certi modi, spectati, ad ius gentium, uel civile pertinent.

37 III. *Obiectiones* contra existentiam iuris gentium hae fere sunt.

38 (1) Quod omne ius requirat superiorem, qui obligandi potestatem habeat, gentes autem inter se sint aequales.

39 (2) Quod, si qua obligatio, praeter legem naturae, inter gentes existat, ea consensu, uel expresse, uel tacito, niti debeat, qualis autem inter gentes non detur.

40 (3) Quod gentes, etiam qua tales, in naturali uiuant statu, adeoque actus suos, recte perficiendos, aequae, atque homines singuli, ad leges naturae accommodare debeant.

41 Sed facilis harum obiectionum suppetit solutio.

42 IV. *Responderi* nimirum potest ad (1) non omnia iura obligandi uim immediate superioritati debere, sed liberae etiam conventioni, ius et obligationem inter aequales, ad instar legis, parienti, e.g. leges fundamentales imperii.

43 Ad (2) Dari omnino consensum inter gentes circa actus, ad mutuum incolumitatem instituendos, talem scilicet, qui inuitabili necessitate, constanti exercitio, et actuum contrariorum improbatione nitatur, adeoque non magis ex uerbis, quam factis, colligi debeat.

44 Ad (3) Legem naturae actus gentium dirigere generatim, non speciatim, h. e. prout ad communes iustitiae naturalis regulas sint conformandi, non in publico gentium commercio, pro ratione obiectorum specialium, instituendi.

45 V *Axiomata* sunt (1) Postulat paedia, seu accurata docendi dispendique ratio, ut iura distincta distinctis etiam notentur nominibus.

46 (2) At distinctum utique manet a iure naturae ius gentium, etiam si multa, ut diximus, praecepta ab eo recipiat.

47 (3) Idcirco non tantum actus generales a specialibus, et communes a propriis, sed actuum quoque formale a materiali, seu modum ab a. tu ipso, discerni oportet.

MEMBRUM II.

DE

ESSENTIA IURIS GENTIUM.

I. *Definitio* II. *Explicatio* III. *Diuisio*, IV. *Axiomata*.

I. *Defi.*

I L

Definiri potest I. G. quod sit regula, ex gentium consensu, immutabili necessitate, seu iure, sub publica fide, ita recepta et introducta, ut publicos earundem actus ad mutuam incommunitatem dirigat, hocque nomine gentes mutuo obliget.

2. Quae definitio ut naturam et indolem I. G. melius declarare possit, secundum singula, quibus constat, membra explicari meretur.

3. II. ~~Explicatio~~ autem apte fieri potest, si considerentur subiectum, causa efficiens, ratio, seu causa impulsiva, finis, obiectum, forma, effectus, et affectiones.

4. Subiectum suat gentes, h. e. integri hominum coetus, in certas Respublicas distincti, nullo inter se vinculo civili coniuncti, adeoque liberi, aequales, et soli Deo subiecti.

5. Denotat igitur hic nomen gentis non familiam, seu complexum personarum, cognatione et affinitate coniectarum, sed populum liberum, in peculiari Republica constitutum.

6. Qualis scilicet olim erat gens Ebraea, Graeca, et Romana, hodie Europaea potissimum existit.

7. Dicimus, liberas esse gentes, habito nimirum ad se invicem respectu, prout nulla ex alterius imperio pendet, sed proprium quaeque regimen habet, summaeque potestatis iura in territorio suo exercet.

8. Quo etiam nomine aequales iudicari debent, quamvis una alteram vel antiquitate, vel gloria, vel potentia antecellat.

9. Tales autem gentes, sicuti mutuo inter se commercio carere non possunt, ita et normam, quae publicos in eiusmodi commercio actus dirigat, constituendam sibi duxerunt.

10. Causa igitur efficiens, seu constituens, iuris gentium proxima sunt gentes, utpote quae mutuo consensu exinevitabili, quam Ratio suggerit, necessitate talem inter se regulam receperunt.

11. Id quod in sequenti de obligatione membro explanabitur.

12. Dicimus autem, gentes proximam iuris gentium esse causam, ideo, quod Deus pro remota habendus sit causa, utpote qui gentibus non modo originem dat, sed etiam sui conservationem, mutuaque adeo socialitatem, certa norma dirigendam, praecipit.

13. Et multa iuris gentium instituta, materialiter, ut diximus, con-

V u u

siderata

fiderata, ad diuinam illam generalissimamque regulam, ius naturae, referri possunt.

14 Saltem id, quod gentes ad constituendam taleius adduxit, diuinitus ipsis fuit suggestum.

15 Causa nimirum impulsua, seu mouens, est moralis illa necessitas, qua gentes propter intimum rerum publicarum nexum atque contextum, adeoque utilitatem mutuam, ad certa quaedam iura inter se seruanda, obstringuntur, ut infra circa obligationem I. G. demonstrabimus.

16 Hinc etiam, cur constitutum sit Ius Gentium, liquido patet.

17 Finis scilicet, idemque ultimus, est communis gentium salus, in honesta et amica confociatione, statu tranquillo, rerumque omnium incolumitate consistens.

18 Intermedius autem est directio gentium in actibus publicis, iuste et bene influendis.

19 Obiectum igitur iuris gentium sunt actus gentium publici, ad mutuam incolumitatem belli pacisue tempore dirigendi.

20 Dicuntur publici, quoniam in publico, non privato, commercio genti cum gente, qua tali, adeoque ueluti personae publicae cum persona, intercedunt.

21 Quippe gens persona composita, seu moralis, pariter, atque corpus morale, uel artificiale, uocari solet.

22 Hoc nimirum sensu, quod quaelibet gens, h. e. certa hominum multitudo, in aliqua Republica certis sociata pactis, eodem modo, et intelligendi, et uolendi facultatem exerit, ac persona una physica, ut infra docebitur in Politica.

23 Itaque gentes in mutua ad se inuicem relatione hic spectantur, prout una cum altera actus, ad mutuum Rerum publicarum nexum pertinentes, exercet.

24 Sed eiusmodi actus etiam liberi esse debent, h. e. tales, quorum suscipiendorum facultas gentibus suppetit, siue quos gentes, saluis legibus diuinis, suscipere possunt.

25 Ita scilicet, ut eos, pro publicae necessitatis utilitatisue ratione, modo iuri naturali neuitquam aduerso, h. e. honesto et licito, certe definire ac statuere queant.

26 Tale

26 Tale igitur obiectum est materia, circa quam ius naturæ uersatur, adeoque probe discerni debet a materia, ex qua I. G. constat.

27 Haec enim partim ipsae leges naturales sunt, certo a gentibus modo determinatae, partim gentium instituta ad instar legum unanimes consensu, propter mutua, eamque inuitabilem, necessitatem, recepta.

28 Vnde apparet, formam I. G. consistere in ordinatione eiusmodi decretorum, aut institutorum, quae gentes ob publicum mutuumque bonum obseruanda, adeoque communi etiam consensu, necessario recipienda, introducenda ac retinenda esse, agnoscunt.

29 Dicuntur haec decreta aliis propositiones practicae, ex communis utilitatis respectu, tacito gentium consensu elicita, adeoque uoluntati diuinæ conuenienter receptae.

30 Aliis dicamina Nationis, quae gentibus, tanquam media, ad mutuae incolumitatis felicitatisque conseruationem necessaria, mutua consensione et obligatione, recipienda, publicis que suis negotiis, instar regulae ac normae, adhibenda uideantur.

31 Effectus itaque formalis est obligatio, siue uis obligandi, quae ius gentium non minus, quam alia iura, pollere dicendum est.

32 Huius autem considerationi cum paulisper immorari opere omnino sit pretium, in sequenti eam tractatione sigillatim instituamus, potiores tantum affectiones, seu proprietates, iuris gentium hic addideri.

33 II. *Affectiones* tales sunt amplitudo, immutabilitas, usus, cognitio cum aliis disciplinis, et differentia ab iis.

34 Amplitudo iuris gentium ex iis, quae haecenus sunt dicta, satis elucet.

35 Cum enim amplissimum habeat finem, communem omnium gentium utilitatem, amplissimam materiam, nempe publicos omnium gentium actus, amplissimum denique officium, puta salutarem sanctissimorum institutorum ordinationem, ipsum sane amplissimum sit, necesse est.

36 Immutabilitas inuitabili Rerum publicarum necessitate nititur.

37 Scilicet, quamdiu gentes existunt, mutuaque inter se societate constant, tamdiu ius quoque gentium durare, oportet.

38 Nam ipsa socialis ratio et intima rerum publicarum natura sanctum eiusmodi arctissimumque uinculum inducit, quod nulla gens sine alterius iniuria uiolare, aut soluere, potest.

39 Ex tali igitur iuris gentium habitu facile colligi potest, quantum eiusdem ubique situlus.

40 Nimirum latissime patet utilitas tum theoretica, tum practica.

41 Theoretica quidem sese exerit in diiudicandis summorum imperantium factis, adeoque legendis cum iudicio historis, intelligendisque iuris publici Germanici materiis quam plurimis.

42 Practica autem consistit in publicis gentium actibus, ad debitum finem dirigendis, mutuisque earum commerciis rite exercendis.

43 Cognatio, quae iuris gentium prudentiae cum aliis disciplinis intercedit, haec potissimum est.

44 (1) Ex Ethica honesti et decori regulis, gentium actionibus, ut formaliter rectae euadant, applicandas, praerequirat.

45 (2) Ex Iure naturae generalia iuste uiuendi praecepta, speciali modo definita, sub humana etiam obligatione recipit.

46 (3) Ex Politica nexum inter imperantes et subditos in plurimis materiis respicit, ac fundamenti loco habet.

47 (4) Ex Historia exempla et iudicia meliorum gentium probatorumque scriptorum depromit, eademque in demonstrandis suis institutis adhibet.

48 Differentia autem iuris gentium ab aliis scientiis practicis, ac figillatim a ceteris iuribus, tum causarum, tum effectorum, nec non adiunctorum, diuersitate nititur.

49 Nam e.g. causa constituens iuris gentium proxima est uoluntas gentium, mutuae utilitatis necessitate subnixae, ceterorum uero iurium est uel sola uoluntas Dei, uel hominum imperantium, aut superiorum.

50 Item, subiectum iuris gentium sunt gentes, quae tales, h. e. liberi hominum coetus, in certas distinctasque ciuitates dispersi, ceterorum uero iurium uel homines, in uniuersum omnes, quae tales, uel certae Reipublicae cines.

51 Porro obiectum iuris gentium sunt actus earundem publici, in publico scilicet commercio ad mutuam integritatem dirigendi, ceterorum uero iurium sunt actus hominum, uel omnium, naturae.

rae rerum conformandi, uel quorundam, in ciuitate sub imperio
~~dogentium~~, ad salutem ciuitatis formandi.

52 Denique finis iuris gentium est confociatio atque incolumi-
 tas gentium, ad gentes, qua tales, relatarum, h. e. prout publicum
 inter se commercium exercent, ceterorum uero iurium uel iustitia
 ac felicitas hominis cuiusque, in ordine ad Deum, se ipsum, et crea-
 turas alias spectati, uel certorum duntaxat hominum institutio.

53 Cum autem ius gentium in uaria sese diffundat obiecta, uari-
 isque se exerat modis, non unius etiam generis esse dicitur.

54 Hl. *Diuisio* itaque diuersa admodum apud scriptores occurrit.

55 Quo sensu ius gentium aliud dicatur primum, aliud secun-
 darium, quoddam antiquius, quoddam recentius, aliquod inter-
 num, aliquod externum, supra diximus.

56 Sed praeter hanc partitionem aliae dantur, e.g. in I.G. diuinum
 et humanum, publicum et priuatum, uniuersale et particulare.

57 De quibus quid habendum sit, ingenue docet Mullerus.

58 Nos, repudiata hac diuidendi ratione, ius gentium, in se u-
 num ac totum, pro diuerso, in quo gentes considerari debent,
 statu, in togatum ac sagatum partimur.

59 Sagatum est, quod gentibus in statu belli agendi rationem
 praeforibit, togatum, quod gentes in statu pacis dirigit, tum gene-
 ratim, tum speciatim, prout actus earum uel generales sunt, uel
 speciales.

60 Utrumque ratione formae internae haud secus, atque alia in-
 ra, uel praeceptum est, uel concessum, seu permissum.

61 Praeceptum est, quod moralem agendi, uel non agendi, ne-
 cessitatem gentibus iniungit, concessum, s. permissum, quod a-
 gendi, uel non agendi, habendi, uel non habendi facultatem tribuit.

62 IV. *Axiomata* sunt (1) Certe non ingeniosum doctorum, aut po-
 liticorum, commentum est ius gentium, sed sanctissima agendi
 norma ac regula, necessaria gentes obligatione constringens.

63 (2) Quare merito dicitur lex gentium publica, ius omnium po-
 pulorum commune, publica gentium praescriptio, ac sanctionis
 necessitudinis vinculum.

64 (3) Neque enim ex mero gentium arbitrio ita pendet, ut mu-
 tari subinde possit, aut impune negligi. Vuu 3 65 (4)

- 65 (4) Intimo ipsarum rerum publicarum contextu nititur.
- 66 (5) Quippe, posito gentium statu, in mutua incolumitate certis conferuando legibus, ponitur certum gentium ius, mutationi haud obnoxium.
- 67 (6) Ipso nimirum iure naturali postulante, ut generalia sua praecepta in communi gentium societate perinde, atque in aliis, speciali modo ad mutuam determinantur salutem.
- 68 (7) Proinde Deus etiam, ut autor et stator iuris gentium summus, ita seuerus eiusdem custos ac uindex est.
- 69 (8) Caueant igitur gentes, ne admissa in leges haec delicta apud Deum inulta abire putent, si forte ab hominibus, uindicari non possint.
- 70 (9) Non enim patitur iuris gentium sanctitas, ut capillationibus, nedum laesionibus, locus sit.
- 71 (10) Ac proinde perperam agunt, qui priuilegium publica latrocinia et pessima quaeque scelera impune perpetrandi ius gentium esse, docent.
- 72 (11) Equidem auctoritati ipsius nequicquam detrahitur, quando gens una, uel altera, proteruo in illud ausu inuolat.
- 73 (12) Uniuersale manet ius, omnes omnino gentes obligans, non secus, ac ualidum manet ius naturae, sancteque ab omnibus obseruandum, etiam si id temere multi uiolent.
- 74 (13) Nimirum probe hic discernenda est fundamenti et obligandirationis a ratione usus et exercitii.
- 75 (14) Attamen, cum mala exempla malos plerumque mores pariant, id potius curare debent gentes, ut, quam fieri potest, minime laedatur sancta ipsorum regula, toleranturue perpetrata aduersus eam facinora.
- 76 (15) Imo, si, urgente publica necessitate, faciendum sit quidpiam, quod iuri huic aduersum uideri posset, id modo quam optime expediri oportet.
- 77 (16) Nec ulla gens a iuris huius communione excludi debet.
- 78 (17) Palis enim, ut diximus, omnium est aequalitas, ut nec morum barbaries, nec uirium infirmitas, nec dignitatis disparitas, nec religionis diversitas, nec imperium limitatum, nec annua pensio eandem tollat.
- 79 (18)

-179- (18) Impium igitur iudicari debet axioma illud, Satius est regna perdi, quam haereticos in iis tolerari.

200 (19) Potius gentes cunctae, etiam barbarae, aequaliter sunt habendae, nec quicquam admittendum est, quod alterius dignitatem laedere, et querelis coram mundo materiam praebere possit.

MEMBRUM III.

OBLIGATIONE IURIS GENTIVM.

I. *Necessitas*. II. *Demonstratio*. III. *Causa*. IV. *Medium*. V. *Fundamentum*. VI. *Divisio*. VII. *Contrarium*. VIII. *Axiomata*.

I. I.

Necessitas afferendae iuris gentium obligationis, h. e. iuris moralis, gentium libertatem agendi, uel non agendi, circa publicos ipsarum actus, certo modo restringentis, ex ipsa iuris huius indole patet.

2 Scilicet cum certa decreta, aut instituta, habito necessitatis utilitatisue respectu, gentium consensu elicitata, praescribat, hunc utique effectum formalem, seu consecutivum hoc formale, habere debet, ut gentes ad instituta illa sequenda obliget.

3 Et inanis foret omnis de iure gentium disceptatio, nisi eius observandi necessitate gentes essent obstrictae.

4 Cum enim gentes aequae, atque homines singuli, naturali gaudeant facultate agendi, uel non agendi, morali certe uinculo opus est, si libertas talis ad certum agendi modum determinari debet.

5 Quale uinculum quandoquidem non solum, ut diximus, ius naturae esse potest, novum utique, ius gentium scilicet, in subsidium uocetur, necesse est.

6 Hoc itaque ius, quoniam colendae inter gentes socialitatis praecepta definite exhibet, eoque nomine sub publica etiam fide, communi obligatione, receptum atque introductum est, non potest non obligandi vim habere.

7 II. *Demonstratio* autem uberior sic potissimum fieri potest.

8 (1) Gentes in publicis suis actibus, ad certam aliquam normam instituendis, hoc maxime ius urgent.

9 Ergo ius tale obligandi etiam vi pollere oportet.

10 (2) Gen-

10 (2) Gentes, iustitiam, uel iniustitiam, actuum suorum ostenturæ, cum effectu morali ad idem ius prouocant.

11 Ergo moralem iuris huius seruandi necessitatem agnoscunt.

12 (3) Gentes facinoræ, aduersus communem hanc regulam admissa, uelut iniusta ac turpia, coram mundo damnant.

13 Ergo regulæ talis obligationi se subtrahere nefas ducunt.

14 (4) Gentes temerarios iuris huius uiolatores grauissima uindicta dignos pronuntiant.

15 Ergo eosdem iure hoc obstrictos teneri, declarant.

16 (5) Gentes secundum iustale facta sua publica a scriptoribus æquisue rerum aestimatoribus examinari, permittunt.

17 Ergo pro norma actuum suorum tale se ius habere, testantur.

18 Illi *Causa* huius obligationis, alio nomine principium essendi dicta, uel remota est, uel proxima.

19 Remota est uoluntas Dei, ipso iure naturali, tanquam regula actuum humanorum communissima, uti honestatis ac iustitiæ, ita socialitatis studium, præcipientis.

20 Proxima est uoluntas gentium, quæ, diuinæ huic uoluntati obsequentes, partim generales honestatis socialitatisque leges, pro peculiari status sui ratione, peculiari etiam norma, sub communi obligatione, definiunt, partim noua iisdem instituta, ob mutuam incolumitatem necessaria, eadem ratione superaddunt.

21 IV *Medium* uero introducendæ huius obligationis est mutus gentium consensus, ineuitabili, quam ipsa Ratio suggerit, necessitate elicitus, ipsisque identidem factis declaratus.

22 Scilicet intellexerunt gentes, (1) ad obtinendum commune bonum communi quoque concordia et societate opus esse.

23 (2) Concordiæ et societati, rite seruandæ, certum, idoneum, ac sufficiens quaerendum esse medium.

24 (3) Tale oportere esse ius aliquod proprium, ac iure naturali specialius, h. e. regulam, publicos gentium actus dirigentem.

25 (4) Proprium eiusmodi ius non posse introduci per modum iusli superioris, cum gentes, quæ tales, inter se sint pares.

26 (5) Recipiendum igitur esse per modum conventionis, ex mutua incolumitatis necessitate, mutuo consensu initæ.

27 (6) Mu-

27 (6) Mutuum uero consensum praeter uerba melius declarari non posse, quam per facta et non facta.

28 (7) Puta actiones et omissiones, ex aequo et bono probatas, continuo exercitio frequentatas, summoque studio obseruatas.

29 (8) Quicquid ergo eiusmodi factis, uel non factis, mutuo fuerit declaratum, id pacti loco esse habendum.

30 (9) Pacto hoc gentem unamquamque, siquidem publicum cum aliis commercium habere uelit, adstringi.

31 (10) At nullam existere gentem, quae, ubi commodis suis consulere cupiat, omni prorsus commercio cum aliis carere possit.

32 (11) Ergo nullam quoque esse, quae, si socialis esse uelit ac salua, a iure, ob moralem eiusmodi necessitatem, pactione introducto, sese eximere possit.

33 *V Fundamentum* itaque huius obligationis, ac ueluti mensura, est mutua gentium incolumitas et conseruatio, omnium quippe actionum finis.

34 Huius enim necessitas, uti per ipsum Rationis dictamen gentibus facienda et omittenda suggerit, ita mutuam quoque obligationem ei conuenienter agendi, normamque ideo receptam sequendi, iniungit.

35 Proinde communis hæc obligatio ab efficaci quidem gentium uoluntate, ut principio suo proximo, pendet, at mutua earum salute, ex diuino praecepto conseruanda, ut fundamento, nititur.

36 Adeoque non nudae conuentionis, sed legis, proprie dictae, uim complectitur, propter moralem agendi necessitatem, scilicet propter commune gentium bonum, ipso iure naturali praecipiente, ab omnibus et singulis sedulo curandum.

37 Haud fecus, ac leges fundamentales in Republica non ideo tantum obseruari debent, quia per modum pacti, aut conuentionis, humana uoluntate sunt receptae, sed quia intima status ciuilis ratio ac mutua omnium incolumitas iis innititur.

38 Talem uero incolumitatem ullo modo, nedum legum fundamentalium uiolatione, labefactare idem illud ius naturae prohibet, quod et mutuam semper salutem curare, et ordinationem, prouido Numine, factam, tueri iubet.

39 Quae admodum itaque omnes, qui ciuilis eiusmodi societa-

33 membra existere, mutuamq; , qualis in illa obtineri potest, securitatem ac felicitatem consequi cupiunt, institutis, quocumq; modo in ea receptis, ex morali necessitate conuenienter agere debent.

40 Ita gentes, siquidem communem inter se societatem participare uelint, iuri Gentium, qualicunque uia introducto, publicos suos actus conformare, ipso iure naturali iubentur.

41 Neq; alia constituendi iuris gentium causa fuit, quam utilitas.

42 Cum enim omnes homines ad incolumitatis felicitatisq; suae appetitum natura ferantur, etiam gentes eius studio duci creduntur.

43 Atqui in mutuo demum commercio, rationaliter ac socialiter instituto, certa earundem salus atque incolumitas est posita.

44 Ergo communi quadam necessitate ad ineundum eiusmodi commercium, eamque simul regulam, quae illud dirigit, obseruandam incitantur.

45 Et, siquidem omnes rationales ac sociales sunt, etiam non, nisi rationalia ac socialia, quibus mutua ipsarum honestas ac felicitas constat, uelle censentur.

46 Nec obstat, quod non eandem omnes attentionem in actibus suis, rationaliter ac socialiter, adeoque gentium iuri congruenter, instituendis, adhibere uideantur.

47 Nam unum alterumue factum, iuri huic contrarium, non magis communem eius obligationem tollit, quam peruersa unus alteriusue ciuis actio legum civilium ualori detrahit.

48 Facti, non iuris, existimandum est, quicquid una, uel altera gens quocumq; modo contra sanctissimas gentium leges agit.

49 Et firmum nihilofecius, ut supra diximus, manet ius gentium, quippe ad quod ferissimas etiam gentes subinde prouocare, exemplis sat multis testatur Zentgraeuius.

50 Quapropter ad omnes omnino gentes uniuersalis huius iuris obligatio sese extendit, quamuis, pro diuersitate circumstantiarum, diuersa admodum existat.

51 VI. *Diuidi* quippe potest obligatio, ratione obiecti, principii ac fundamenti, in absolutam et respectiuam, perfectam et imperfectam.

52 Absoluta est, quae, citra ullum respectum peculiarem, in quouis rerum statu uim suam exercit.

53 Respe-

53 Respectiva, seu hypothetica, est, quae, ratione certi demum status, certae conditionis, certarumque circumstantiarum, obtinet.

54 Perfecta est, quae perfecto nititur debito, h. e. tali, quod et poscendae et cogendi facultatem complectitur.

55 Imperfecta est, quae ex imperfecto oritur debito, uti humanitate, civilitate, aut officiositate.

56 VII. *Contrarium* denique eiusmodi obligationis est violatio iuris gentium, seu eorum, quae iure gentium fieri debebant, ommissio, et eorum, quae fieri non debebant, commissio.

57 Scilicet quantacunque iuris huius est sanctimonia, impedire tamen non potest, quo minus homines, uel affectuum cupiditate, uel morum ferocia, uel superstitionis zelo, abrepti, illud subinde perfringant.

58 Neque enim ius gentium meliorem experitur sortem, quam alia iura, ipsaque lex naturae, diuina illa, sanctissima, ac perinde universalissima actionum humanarum regula.

59 Quemadmodum uero ex omni delicto nascitur obligatio ad satisdandum, ita iuris quoque gentium uiolatores eadem tenentur.

60 Quapropter et culpam deprecari, et damnum refarcire, et, ubi opus fuerit, de non amplius laedendo cautionem praestare debent, nisi laesae uindictam gentis subire uelint.

61 Quamuis enim obligatio iuris gentium directiua tantum sit, non coactiua, adeoque nulla proprie poenae iungentes cadat, iniuria tamen, contra ius gentium facta, uindicari utique potest.

62 Idcirco gladius, ad uolendam reparandamque laesionem deductus, probe discerni debet a gladio, in puniendos legum, a superiore latarum, uiolatores districto.

63 Hic enim ad rectorium pertinet ius, ille ad aequatorium.

64 VIII. *Axiomata sunt*: (1) Quae praecepta iuris gentium sunt mutua, mutuaque gentium incolumitatem respiciunt, ea mutuo quoque nexu gentes obligant.

65 (2) Pariter, quae absolute gentibus praecepta, uel prohibita, sunt, ea absolute etiam gentes obligant, et secus, quae secus.

66 (3) Pro ut ius gentis aduersus gentem perfectum est, uel imperfectum, obligatio etiam perfecta est, uel imperfecta.

XXX 2

67 (4) Quae

67 (4) Quae imperfecte debentur, ex libera concedentis uoluntate pendent, uarieque limitari, restringi ac determinari possunt.

68 (5) Proinde certi dantur obligationum gradus, cum perfecta ex praeceptis imperfectae ex concessis, antiquior recentiori, ad pacem pertinens ei, quae belli statum respicit, cedat.

69 (6) Singulae autem gentium partes, seu personae subiectae, perinde iure gentium obligantur, ac gentes integrae.

70 (7) Quocirca gentium rectores de ciuium suorum delictis, contra ius gentium admissis, tum utique tenentur, si scientes non prohibent, quod prohibere possunt ac debent.

71 (8) Quo quidem casu non minus parti laesae danda est satisfactio, quam si ipsae gentes laesionem fecerint, quoniam par est delinquere, et delinquentem non prohibere, iudice Zouchaco.

72 (9) Intereff enim confociationis gentium, communi uinculo, alterius cuiuspiam factis rupto, suam restitui integritatem.

73 (10) Et melius est, delinquentem in ius gentium satisfaciendo uindictae se subtrahere, quam extrema quaeque expectare.

74 (11) Quod si tamen sumenda est uindicta, in eos tantum statui debet, qui quocunque modo deliquerunt.

75 (12) Violationem uero iuris gentium uindicaturus, considerare debet, utrum ex obligatione perfecta, an imperfecta, id quod, negatum est, debeat.

76 (13) Praeterea liberum genti est, qualem orationem ab altera exigere uelit.

77 (14) At pignone eam utique extorquenda est a populo, qui, subleste fidei haud suspectus, ad reparandum damnum fidemque iurandam ultro sese offert.

78 (15) Contra populus, canillando adfuetus, non, nisi praefixa cautione idonea, in amicitiam recipiendus est.

79 (16) Ceterum ius gentium iura Regum, qualia quidem summa ipsorum potestas complectitur, per se haud imminuit.

MEMBRUM IV.

DE

MODO PROBANDI IUS GENTIUM.

I. Ratio

I. *Ratio tractationis.* II. *Opiniones aliorum.* III. *Obiectiones contra eas.*
IV. *Sententia certior.* V. *Axiomata.*

I. L.

Ratio tractationis, hic suscipiendae, est, quoniam ius gentium, nisi instituta eius ex certis ducantur principiis, uel dubium foret, uel merum plane figmentum uideretur, saltem liberioris uitae hominibus.

2 Praesertim cum tanta opinionum diuersitas hic occurrat, ut siue firma probandi ratione inde sese extricare per sit difficile.

3 II. *Opiniones* autem tales ad duas potissimum reduci possunt.

4 Una est eorum, qui statuunt, id demum ius gentium esse, quod inter gentes plerasque, saltem moratiores, usu sit receptum, quamuis ratio eius non adeo pateat.

5 Cum enim ius tale nullo gentium consensu dicatur introductum, consensus autem factis duntaxat declarari possit, id etiam maxime attendendum esse, putant, quod gentes, saltem meliores, continuum quodam alio obseruare soleant.

6 Altera est talis, quae, quicquid pro defensione iuris naturalis sit, sine medio civili, id ius gentium esse, creditur.

7 Ideo nempe, quod omnis actuum honestas, aut turpitudine, non usu demum, aut recepta agendi ratione, sed iure naturali, tanquam communi regula, sit metienda.

8 Sed neutra harum opinionum sat firmo stat fundamento.

9 III. *Obiici* enim potest contra primam, quod gentium certarum consuetudines, plurimue populorum instituta cum iure gentium male sic confundantur.

10 Quippe ius gentium, proprie dictum, non ea statim constituant, quae certas inter gentes usu inualuerunt.

11 Alteri uero opinioni obstat, quod multa sint, ac prope infinita, quae ius gentium esse dicantur, neque tamen ad ius naturae referri, nedum pro defensione eiusdem stare possint.

12 Cum enim, e. g. iuris sui consequendi, aut tuendi, publicaeque tranquillitatis stabiliendae, aut conseruandae, necessitas duriora saepe remedia postulet, id sane ius gentium nefas haberi non debet, quod naturali fortassis iure tale uideri possit.

Xxx 3

13 Itaque

13 Itaque, missis haece opinionibus, de certiore dispiciemus sententia.

14 IV. *Sententia certior* est eorum, qui omnia iuris gentium instituta ex domestico, seu proprio, eius principio nobis cum deriuant.

15 Hoc autem principium, ut supra diximus, est mutua gentium consensio in eam actuum publicorum normam, quam ineuitabilis quaedam mutuae necessitatis utilitatisque ratio efflagitare uisa est, sub publica fide et obligatione, aequabili constantique exercitio ita recipiendam, ut nulla gens, salua honestate et incolumitate, ab ea recedere possit.

16 Ergo uniuersalem isthanc normam introduxit gentium consensus, idemque non in mero arbitrio, aut placito, sed in rationali commercio, adeoque communi quadam necessitate, fundatus, et actuum frequentatorum, acceptatorum, probatorumque exercitio declaratus.

17 Hinc sane quid iuris gentium sit, facile potest cognosci.

18 Nimirum quicquid a gentibus, habito mutuae necessitatis utilitatisque respectu, in publico inuicem commercio tam belli, quam pacis, ueluti ex condicto, constanter et aequabiliter obseruatur, et contra secus agentes, cum effectu morali, urgetur, neque tamen, saltem formaliter, seu ratione specialis definitionis, proxime ex iure naturae demonstrari potest, id I. G. esse existimandum est.

19 Haec fundamentalis, eademque generalis, iuris gentium cognoscendi est regula, tam certa, tamque firma, ut non magis a quopiam conuelli possit, quam ea, quae hactenus de natura et indole iuris gentium explanauimus.

20 Dico, generalem hanc iuris gentium intelligendi esse regulam.

21 Cum autem ius gentium, in se alioquin unum, pro uarietate circumstantiarum, praesertim materiae, tum circa quam, tum ex qua, uariis se exerat modis, ad specialem eius cognitionem etiam specialibus aliquot regulis opus est.

22 Tales, eademque fere praecipuae, haberi possunt sequentes.

23 (I) Quaecumque gentium instituta cum iure naturae plane conueniunt, et tamen iuris gentium esse dicuntur, illa ideo talia, h. e. iuris gentium decreta, existimari debent, quoniam uel uberius sunt decla-

declarata, uel specialius descripta, uel saltem sub humana et externa, adeoque firmiore ac pleniore, obligatione recepta.

24 Scilicet eodem fere modo hic comparatum est, atque in iure civili, ubi quam plurima quidem praecepta legibus naturae accepta referuntur, nihilominus tamen eo, quo diximus, respectu iuris civilis esse dicuntur.

25 (2) Quaecunque gentium instituta iuri naturae quodammodo aduersari, uel saltem exteriorem obligandi uim in foro gentium detrahere uidentur, et tamen iuris gentium esse dicuntur, illa ex inuitabili quadam necessitate, boni publici, alia uia non obtinendi, causa, saltem in certis casibus, gentium consensione, ac mundi approbatione, introducta, hocque nomine iure gentium utique licita censeri debent.

26 Nimirum hand secus, atque ipso iure naturae multa, tam in naturali, quam civili statu, ob necessitatem licent, quae alias licere non uidentur.

27 (3) Quaecunque gentium instituta ita comparata sunt, ut iuris gentium quidem esse dicantur, attamen, deficiente uel communis rationis euidentiâ, uel actuum similium frequentatione, uel alio iuris gentium caractere, difficillimae sint probationis, illa naturalaequitate, aut iuris quadam analogia, niti existimanda sunt.

28 Cum enim tot tamq; uariae rerum humanarum circumstantiae occurrant, ut nec desiniri omnes, nec perinde aestimari possint, ad aequitatem subinde recurrendum est.

29 (4) Quaecunque gentium instituta mutuam rerum publicae incolumitatem non attingunt, ad certum tamen commodum spectant, illa eatenus iuris gentium concessui, seu permissui, esse dicuntur, quoad in alius iniuriam, aut damnum, non tendunt, nec paritati, aut libertati, gentium quicquam detrahunt.

30 Quippe ius gentium singulis quidem gentibus suam quaerere utilitatem, permittit, id tamen cum alterius cuiuspiam detrimento fieri, non magis approbat, quam ea, quae sola consuetudine et impune agendi licentia prolicitis habentur.

31 V. Axiomata sunt: (1) Interest prudentiae iuris gentium, ut perinde, ac disciplinae aliae, ex certo demonstretur principio.

32 (2)

32 (2) Cum enim scientia sit, nobilissimam Philosophiae morales partem constituens, indignum sane foret, si sui cultores perpetuo fluctuare sineret.

33 (3) Neque enim ratio ullibi constaret, nisi ea, quae iuris gentium esse dicuntur, ad certam veluti amussim exigi possent.

34 (4) Confunduntur naturae leges cum gentium institutis, ubi, quid iuris gentium sit, ignoratur.

35 (5) Imo tantum abest, ut praecepta a permixtis, aut consuetudines a legibus discernantur, ut pessimae etiam licentiae speciosum iuris gentium nomen obtendatur.

SECTIO II.

DE

SCRIPTORIBVS AC DOCTORIBVS IURIS GENTIUM.

I. Antiquiores. II. Recentiores. III. Axiomata.

I. I.

Antiquiores iuris Gentium scriptores ac doctores varii quidem sunt, praecipui tamen existimari possunt sequentes.

2 (1) Philosophi, qui sparsim et confuse iuris gentium perinde, ac naturae, praecepta scriptis suis tradiderunt.

3 E.g. Plato et Aristoteles, quorum ille ea, quae gentes decere videantur, passim libris suis insperfit, hic autem unum alterumque opus, huc pertinens, scripsisse fertur.

4 Nimirum non solum praecepta bellorum (δικαιώματα πολέμων) consignasse, sed barbararum quoque gentium mores et instituta (νόμιμα βαρβαρίων) integro volumine collegisse dicitur Apollonio et Varroni.

5 His quodammodo annumerari possunt Demosthenes ac Cicero, quippe non minores Philosophi, quam Oratores, quorum uterque id subinde, quod inter gentes iustum censeretur, scriptis suis attigit.

6 (2) Icti veteres, qui uti iuris naturae, ita et iuris gentium, instituta suis de iure civili commentationibus immiscuerunt.

7 Quos uero, murem, farina adpersum, pro pistrini domino habentes,

bentes, quorundam duntaxat populorum consuetudines iuris gentium nomine crebro appellasse, recte iudicat Müllerus.

8(3) Summi istae, qui summas casuum conscientiae conscripserunt, maximam partem recensiti ab eodem Müllerero.

9 Verum, neque hi amplissimum argumentum plane et ordinate pertractarunt, sed, materiis plane alienis in unum quasi chaos confusis, hinc inde quicquam delibarunt.

10 His affines sunt omnes fere scholastici, utpote qui, eandem ingressi viam, iuris gentium praecepta pariter, ac disciplinas ceteras, suis inuoluerunt triticis.

11 Proinde misera eorum methodus merito uocatur a uiris cor-
tationibus, supra in tractatione de historia iuris naturae adductis.

12 (4) Scriptores de bello, quorum praecipuos pariter nominauit saepius excitatus Müllerus.

13 Sed, quamuis eorum aliqui non inutilem nauauerint operam, uberrimam tamen materiam minime exhauserunt, neque adeo indagando iuri gentium proprio sufficere possunt, ut recte iudicat idem Müllerus.

14 II. *Recentiores* iuris gentium scriptores diuersi pariter existunt.

15 Alii enim ius gentium et ius naturae plane pro synonymis habent, alii quidem inter praecepta iuris gentium, et iuris naturae, stricte accepti, distinguunt, attamen ex eodem ea fonte in solidum deriuant, alii denique ius gentium pro diuersa plane specie, eaque inter ius naturae et ciuile media, habent.

16 Primi generis doctores maximam complectuntur partem eorum, qui iuris naturalis dogmata tradiderunt, et supra citatam loco a nobis sunt adducti.

17 E. g. Pufendorfius, Thomasius, Buddeus, Gundlingius, Groeningius, Placcius, quique horum uestigiis insistant, plurimi.

18 Inter eos, qui media incedunt uia, atque ius gentium, tanquam subspeciem iuris naturae, tractant, praecipui uidentur sequentes.

19 (1) Rachelius, qui quidem in sua de iure gentium dissertatione aliquam inter ius naturae et ius gentium distinctionem statuere uidetur, utriusque tamen praecepta in multis capitibus confundit.

20 (2) Textor, qui pariter in ea, quam scripsit, iuris gentium syn-

opli quam plurima, in certis praesertim materiis, exhibet, quae meri iuris naturalis sunt.

21 (3) Meuius, qui, etiam si prae aliis iuris naturae et gentium differentiam primum in prodromo, deinde in nucleo I. N. et G. exponere ingressus sit, utriusque tamen iuris limites non seruat.

22 (4) Gribnerus, qui, sicuti in quadripartito suo de principiis I. N. tractatu, ceteroqui non incondito, ius naturae, maximam partem sub nouis, quae genio seculi arrident, nominibus, ad quosuis hominum status transfert, et, quamquam sine principio certo, atque identidem Socraticae more Academiae, applicat, ita eodem iure, tanquam unica norma, gentium iura in solidum metitur.

23 Posterioris denique generis doctores, h. e. qui ius gentium plane a iure naturae secernunt, potissimum sunt sequentes.

24 (1) Zouchæus, qui in sua, ut librum inscripsit, iuris et iudicii fecialis inter gentes explicatione ea, quae ad pacem et bellum spectant, ex gentium institutis tradit, et historiarum monumentis illustrat.

25 (2) Praschius, qui in disquisitione de iure gentium, maxime Christianorum, uero et ficto ex diuersis quidem a iure naturae principiis ius gentium ducere uidetur, sed imperfecte omnia tradit, et pro more suo Rationem cum Reuelatione perperam confundit.

26 (3) Zentgraetius, qui in commentatione de origine, ueritate, et obligatione iuris gentium satis distincte et erudite, adductis ubique testimoniis et exemplis, ius gentium exposuit, quamquam ceteroquin scholasticis admodum faueat.

27 (4) Müllerus, qui in institutionibus iuris prudentiae gentium bipartitis, Grotii principia secutus, gentium iura, noua, eademque non inconcinna, etiam si philosophica, methodo tradit.

28 (5) Lübeckius, qui in meditationibus de iure gentium naturam et indolem huius iuris et distincte exposuit, et nonnullis etiam exemplis belle illustrauit.

29 De quibus, doctoribus, ultimo solum excepto, uaria legi possunt iudicia in scriptoribus historiae iuris naturalis, supra in medium productis, nominatim Buddeo et Ludonico.

30 III. *Axiomata* sunt: (1) Caueat prudentiae iuris gentium studiosus, ne tempus et operam in tales infumat libros, qui ad discendam

dam nobilissimam hanc disciplinam parum prodesse possunt.

31 (2) Exacte etiam in lectione scriptorum iuris gentium discernat ea, quae naturalis tantum iuris sunt, ab iis, quae iuri gentium uidentur propria.

32 (3) Nec solis doctorum praeceptionibus se contineat, sed historiarum monumenta, et acta gentium publica perlustret.

33 (4) Ceterum firmiter sibi persuadeat, tum demum rectam I. G. cognitionem intelligentiamque fore, si certo nitatur principio.

34 (5) Quid enim aliud est scire, quam ita rem nosse, aut cognitam habere, ut eandem possimus demonstrare?

35 (6) Quid uero est demonstrare, quam ex claro luculentoque aliquo principio ita rem ducere ac declamare, ut non, nisi praestante, ab aliis negari possit?

36 (7) Proinde, qui resolueret omnia genera ad unum idemque principium, et ex eo iterum componere possit, eum et sapientissimum et uerissimum pronunciauit antiquissimus apud Stobaeum Pythagoricus, Pericles.

PARS PRINCIPALIS.

Complectitur haec duas potissimum sectiones, unam de iure gentium circa actus earundem generales, alteram de iure gentium circa actus earundem speciales.

SECTIO I.

DE IVRE GENTIUM CIRCA ACTVS EARVND- DEM GENERALES.

Siquidem actus gentium generales considerari possunt, tum ratione personarum, tum ratione rerum, pro ut nimirum uel ad conseruandam personarum humanitatem, uel ad tuendam rerum proprietatem iure gentium sunt dirigendi, duo hinc sequuntur membra.

Yyy 2

MEM.

MEMBRUM I.

DE

I. G. CIRCA CONSERVANDAM PERSONARVM HVMANITATEM.

I. Officia. II. Fundamentum. III. Axiomata.

I I.

Officia, ad conseruandam personarum humanitatem, h. e. gentium, quas morales esse personas, diximus, mutua amicitiam et beneuolentiam, ex iure gentium praestanda, uel generalia sunt, uel specialia.

2 Generalia complectuntur mutua cuiuscunque laesionis omissionem, et rerum necessariarum utiliumque praestationem.

3 Laesio hic denotat cuiusuis generis iniuriam, quae pacem inter gentes turbare, adeoque belli causam praebere potest.

4 Hanc igitur gentes omni cura euitare debent, si sociales esse uelint, ac saluae.

5 Cum autem ad mutua gentium studia non satis sit, si una alteram non laedat, sed mutua insuper beneficentia, certis actibus exhibenda, requiratur, hanc utique genti a gente praestari, fas est.

6 Scilicet hic pariter, atque inter homines singulos, duo officiorum genera obtinent, alterum negatiuum, alterum positium, ut et supra in Iure Naturae uocauimus.

7 Illud, ut diximus, in omissione laesionis, seu iniuriae, consistit, hoc in praestatione eorum actuum, qui specialia comprehendunt officia.

8 Eiusmodi sunt (1) Receptio peregrinorum, seu hospitalitas.

9 Quippe publicum inter gentes commercium consistere nequiret, nisi populus populum, amice affectum, hospitio exciperet.

10 Idcirco tam sanctum ius hospitii ueteribus fuit habitum, ut hospitem peregrinum laedere graue existimauerint scelus.

11 Ob eamque causam Stephanus, Hungariae Rex, hospitum, Regis salutandi causa aduectorum, uiolatores ad omnes regni aditus crucibus affigi, iussit, ut liberum peregrinis iter in Pannoniam hospitabilem fore, significaret, teste Bonfinio.

12 Nec, nisi barbari planeque ferini censendi sunt populi Carazani,

razani, qui nobiles etiam hospites obtruncarunt, felicissimam putantes domum, in qua praestantium uirorum animae uagarentur.

13 Contra laudes merentur Chineses, qui hospites benigno excipiunt animo, iisque et uenientibus, et abeuntibus potum Theae, ut dicitur, in hospitalitatis symbolum, praebere solent.

14 Quod utrumque exemplum in concinna de moribus gentium indecoris dissertatione ex probatis autoribus refert Fuchsius.

15 Ne tamen id, quod innoxiae utilitatis esse debet, danti, uel praestanti, noceat, prudentia utique opus est.

16 Tum maxime, si ignotus sit hospes, adeoque non constet, utrum amicus sit, an inimicus, exploratoremne, an fidelem inquilinum agere uelit, num contagii aliquid secum ferat, nec ne.

17 Cuius enim hospitis sit, nullum ciuitati peregrinae detrimentum afferre, et praeter suum negotium, ut Cicero ait, nihil agere, nihil de alio inquirere, minimeque in alia Republica esse curiosum, is admitti non debet, qui secus facere uideatur.

18 Imo nimis hominum confluxus, sicubi suspectus esse uideatur, ac molestus, instam arcendi a se peregrinos causam dare potest, ut nonnullis hoc exemplis declarauit Hopferus.

19 Plura, eaque satis notabilia, de iure hospitii in duabus dissertationibus, super hoc argumento scriptis, habet Schilterus.

20 (2) Pactio matrimoniorum cum exteris.

21 Cum enim necessitudo, nuptiis contracta, ad mutuam gentium utilitatem maximum momentum afferre possit, ea non facile est respuenda.

22 Dico, non facile, adeoque graues excipio causas, propter quas populus alterius connubia iuste deterrectare possit.

23 Eiusmodi causae sunt e. g. Religio falsa eridolatrica, improba uiuendi ratio, aut mores honesto coniugio aduersi.

24 Ac proinde nuptiarum denegatio eo minus iustam belli causam praebere potest, quod earum concessio, ueluti merum humanitatis officium, permissiui tantum sit iuris, et imperfecta nitatur obligatione, adeoque, pro circumstantiarum ratione, modo praestari possit, modo intermitteri.

25 (3) Permissio commercii, ac sigillatim navigationis liberae.

26 Hac enim uia gens cum gente res atque operas communicare, adeoque mutua commoda procurare potest.

27 Pertinent huic exscensionis maritimæ, de quibus scripsit Crusius.

28 Inter pacatas etiam gentes liber debet esse literarum commercium, de quo eruditam concinnauit dissertationem Hertius.

29 Possunt autem hic pariter tales euenire circumstantiæ, propter quas libertas hæc, saluo et naturali et gentium iure, restringi possit.

30 (4) Concessio transitus innoxii per terram et mare.

31 Hic enim ad tuendam gentium salutem iuriumque incolumitatem tam necessarius sæpe est, ut sine uiolatione iuris gentium negari haud possit.

32 Adeoque fundamentum huius concessionis non tam uisum publicarum commodum est, quam necessitatis utilitatisque innoxie ratio.

33 Requiritur autem, ut (1) decenter et tempestiue postuletur, (2) cum molesta et diuturna commoratione non sit coniunctus, (3) nullum periculi, aut damni, metum afferat.

34 Quocirca iustæ denegandi causæ habentur, (1) si degens postulatio fuerit neglecta, (2) si belli, dominio territorii, aut eiusdem amicis ac sociis, inferendi, suspicio subsit, (3) si hostes in confortio transeant.

35 Mala uero, hinc timenda, cauere potest permittens, (1) obfides ac fideiussores de indemnitate ac securitate poscendos, (2) exercitum non totum simul, sed ex parte transire, permittendo, (3) commissarium fidelem rei que militaris peritum adiungendo.

36 Quibus rite obseruatis, non attendi debent obiectiones, quas contra transeundi licentiam partim a periclitante imperiorum securitate, partim a detrimento, principis auctoritati hinc nascente, partim a metuenda ciuium corruptione, uulgo desumunt.

37 Quippe facile solui possunt, si distinguatur inter transitum promiscuum, et ad certum duntaxat tempus, per certa loca, sub certa conditione, concessum, adeoque inter ius perpetuum, et usum temporarium, nec non inter transitum per se, et ex accidenti innoxium.

38 Hinc etiam patet, quid respondendum sit ad quaestionem, an transitus innoxii denegatio armis iuste uindictari possit?

38 Scili-

39 Scilicet, cum concessio talis, nisi ex conuentione debeatur, imperfecto tantum iure nitatur, cedatque adeo ei, quod dominus territorii habet, ut et armis extorqueri non potest.

40 Dummodo ne alteri, summa necessitate laboranti, ex hostili animo, aut partium studio, post factam rite denuntiationem, negetur.

41 Quod si enim uni genti concedatur transitus, alteri, sine iniuria, adeoque uindictae periculo, uix denegari potest.

42 Non itaque simpliciter uerum est, quod Gustaphus Adolphus, Suecorum Rex, Pomerani Principis legatis, transitum deprecantibus, dixit, transitum apud omnes gentes semper fuisse liberum, eiusque denegationem diuino humanoque iure iustissimam belli causam haberi.

43 Quamquam eandem fere sententiam complecti uidentur Grotius, Kulpicius, Boxhornius, Conringius, Reinkingius, Scharrockius, aliique iuris naturae et gentium scriptores.

44 A quibus omnino dissentiunt Ziglerus, Oslander, Pufendorfius, Strauchius, Gundlingius.

45 Ex instituto autem peculiare de hoc argumento dissertationes scripserunt Stryckius, Beierus, Müllerus, Roeferus, Ziegra, et Zollius.

46 (5) Intercessio pro gente afflictâ, aut male habitâ.

47 Postulat enim humanitatis socialis atque amor, ut gens gentis, miseria oppressae, aut iniuriosius tractatae, uicem doleat, eique ferat suppetias.

48 Illatam uero aliis iniuriam proprio nomine ulcisci uelle, id quidem gentium, quae talium, aequalitati repugnat.

49 Quippe, ut supra monuimus, ius Gentium aequatorium ius est, non rectorium, adeoque nec uindictam, per modum poenae, admittit.

50 (6) Susceptio muneris conciliandi pacem.

51 Nam interest gentis, gentem, praesertim uicinam, sociam et amicam, pace ac securitate frui.

52 Quapropter munus mediatoris inter praestantissimum merito officia habetur, ut infra docebimus.

53 (7) Spon-

- 53 (7) Sponsio ac fideiussio pro pace.
- 54 Hac enim conservari potest pax, inter gentes reducta, hominumque, in arma temere prorumpentium, impetus coercens.
- 55 Scilicet parum est, pacem inter bellantes restituere, nisi et via restitutam denuo rumpendi intercludatur.
- 56 (8) Approbatio iuris, inter subditos statuti.
- 57 Nam mutua gentium dignitas et amicitia uigere nequit, nisi una alterius iudicium de subditis ratum habere velit.
- 58 Scilicet, sprete gentis unius potestate ac dignitate, alterius quoque maiestas euilescit, eoque mutua simul salus et incolamitas labefactatur.
- 59 Quamuis igitur gentis unius decreta perinde, ac beneficia, intra territorium duntaxat, seu ditionem, ualeant, aliqua tamen eisdem uis tribuenda est ab aliis, si idem uicissim expectare uelint.
- 60 Ac proinde, qui ab una Republica nobilitate, siue maiori, siue minori, decoratus, honoris, aut officii, insignioris titulo auctus, neque non famae restitutus est, is ab aliis etiam, pro tali est habendus.
- 61 Ne multa, talis quisque ab omnibus censeri debet, qualem sua ipsam ciuitas declarare uoluit.
- 62 Excipi tamen oportet exules fidei socios, h. e. tales, quos aliqua forte Respublica pro haereticis, aut falsae religioni addictis, habet, hocque nomine ex terris suis eiecit.
- 63 His enim receptum dare, naturalis utique charitas, ne dicam, spiritualis cognatio, deposcit, ut erudita hoc dissertatione probauit Becmannus.
- 64 Imo tantum abest, ut iniquae eiusmodi sententiae accedere debeat gens altera, ut potius tales fidei socios, etiam in alterius ditione existentes, protegere possit.
- 65 Praesertim si, contra foederis, pacti, legisque fundamentalis rationem, liberum religionis exercitium quocunque modo iniuste turbetur.
- 66 Quae etiam causa fuit, cur Reformatorum, ut uocantur, in Palatinatu afflictorum, partes non ita pridem sustinuerit Rex Borussiae, et iniqui, quod dixit, iuris retorsione, ut eosdem pristino statui restitueret Elector Palatinus, laudabiliter connisus sit.

67 Quo-

67 Quomodo Elisabetha, Angliae Regina, Belgarum, ab Hispanis propter Religionem iniustissime oppressorum, patrocini-um palam suscepit, ex Camdeno exposuit Zouchaeus.

68 Scilicet ad pacem, concordiam, incolumitatemque Reipublicae maximum utique momentum affert Religionis libertas.

69 II. *Fundamentum* ergo generale officiorum eiusmodi omnium est mutua gentium salus, quae non patitur, ut una ab altera sine causa laedatur, sed potius mutuum inseruiendi studium deposcit.

70 Praesertim cum inter gentes, quae tales, naturalis quaedam intercedat cognatio et aequalitas, cui omnis laesio repugnat.

71 Quippe ne quidem omnes in singulas potestatem habent, nedum una in alteram, sed singulae, solius Dei imperio subiectae, ac solo iuris gentium uinculo cum ceteris colligatae, res suas propria auctoritate gerunt.

72 Ita scilicet, ut nemini, nisi Deo, ad rationem reddendam sint obstrictae, adeoque, quamdiu iuris gentium instituta obseruant, nec aliis iniuriam faciunt, aequaliter ab omnibus tractari debeant.

73 Indicat hanc paritatem nomen fratris, quo non solum Imperatores et Reges, sed integras etiam gentes, maxime foederatas, se inuicem compellare, permultis exemplis testatur Franckensteinus.

74 Nec gentes barbarae, ut supra monuimus, impares censi debent, praesertim cum melior saepe indoles in illis insit, quam in moratoribus, ut docta hoc dissertatione probauit Zieroldus.

75 Immo, si qua gens grauiora forte scelera perpetret, ceterae, quibus nulla inde laesio accidit, non magis puniendi gentem istam, aut armis inuadendi, ius habent, quam litem, inter duas pluresue ortam, ipsis inuitis, dirimere possunt.

76 Proinde frustra sunt, qui punitium aliquod, seu poenale, affirmant bellum, h. e. tale, quo summi Principes, aut iisdem pares, extraneorum, nec sibi subiectorum, delicta, contra I. N. et G. admissa, etiamsi nec ipsi, nec eorum subditi, uel socii, ab eis fuerint laesi, nec a laesis in subsidium uocati, punire et uindicare possint.

77 Quale quidem bellum, ab Appiano, Grotio et nonnullis eius commentatoribus assertum, ex instituto confutauit Schmidius.

78 Grauius etiam falluntur, qui, nescio, utrum Hobbesium, an

Zzz

alium,

alium secuti, statum gentium esse bellum omnium in omnes, et gentes inter se, tanquam hostes cum hostibus agere, contendunt.

79 Equidem nemo negauerit, quod naturalis gentium status, quippe libertatem et aequalitatem complexus, turbis bellisue excitandis occasionem eo ampliorem dare possit, quo prouiores plerumque homines, tum naturali nocendi studio, tum uirium fiducia, ad lites et discordias existunt.

80 Attamen ex eo haud sequitur, omnes gentes eodem affectas esse animo, adeoque nihil, nisi hostilia, anhelare.

81 Tantum profecto abest, ut gentes, sibi suisque consulturae, perpetua cum aliis bella quaerant, ut saepe etiam pacem non adeo aequam dubio praeferant bello.

82 Ob eamque causam nequidem aduersus Turcum, ceteroquin insensissimum nominis Christiani hostem, bellum semper probatur, quicquid de utilitate eius disputent Imhofius, Lauterbachius, alique scriptores, collecti a Conringio.

83 III. *Axiomata* sunt: (1) Gentes, siquidem unius societatis membra, et quodammodo fratres existunt, sociali quoque et fraterno sese amore iungere debent.

84 (2) Et, quemadmodum una gentium Ratio est practica, officia socialia suggerens, sic una quoque omnium debet esse honestas, utilitas ac salus.

85 (3) Quin tanti habenda est gentium dignitas, ut uictores etiam a uictri populorum Rectoris caede, Maiestatis reuerentia, abstinere debeant.

86 (4) Facessant igitur omnes laesiones et iniuriae, quibus, nisi amicis componantur rationibus, querelae et bella excitantur.

87 (5) Comiter potius gens gentem tractet, et una alterius utilitatem perinde, ac suam, curae cordique habeat.

88 (6) Nec, nisi graui de causa, res innoxiae utilitatis, uti transitum, alteri denegat.

89 (7) Inter iustissimas uero denegandi causas censeri debet par in possidendo necessitas, et metuendum ex concessione periculum.

90 (8) Vfus enim rei, ab altera gente expetitus, cedit usui, quo ipse dominus indiget.

91 (9) Gens

91 (9) Gens igitur ex beneficio ordinis alterius securitati, utilitati ac dignitati suam praeferre potest.

92 (10). Quin imo in praestandis ex humanitate officiis genti moratiori barbaram, notæ ignotiorem, uicinae remotiorem, et foederatarum uni alteram postponere licet, ut mox dicemus.

93 (11) Neque innoxiae etiam utilitatis res, nisi cum circumspiciatione ac discrimine, aliis sunt concedendae.

94 (12) Ne scilicet inconsulta noceat humanitas, praesertim cum parum tuta sit gentium diuersarum amicitia, atque una alteram, data occasione, euertere non dubitet.

95 (13) Quemadmodum uero optime cogitata pessime saepius cadunt, ita transitus quoque ex accidenti noxius fieri potest.

96 (14) Quo quidem casu opera est danda, ut modo, quam fieri potest, optimo laesio repareretur, uindicandique auertatur necessitas.

97 (15) Quod enim lenioribus declinari potest remediis, id sane tutissimum haberi debet.

98 (16) Quippe certissima gentium omnium tutela est concordia.

99 (17) Ideoque nemo de genere humano praeclearius mereri potest eo, qui pacis conciliandae munera in se recipit.

MEMBRVM II.

DE

I. G. CIRCA TVENDAM RERVM PROPRIETATEM.

I. *Necessitas dominii.* II. *Probatio eius.* III. *Effecta.* IV. *Contrarium.* V. *Axiomata.*

I L

Necessitas dominii, gentibus asserendi, ex eo prouenit, quod aliqui nec paci gentium, aut concordiae, nec indigentiae, nec aequitati consuli possent.

2 Scilicet perpetuae inter populos agerentur controuersiae, nisi iusta rerum et bonorum diuisione proprietates constituerentur.

3 Imo bonorum possessiones, inter gentium diuersarum ciues uiolatas, repressaliis bellisque atrocioribus ansam dedisse, constat.

4 Quocirca perperam agunt, qui, Bynckershoeckii Philosophiam secuti, gentes in communione rerum adhuc esse, adeoque nulla, nisi foederatarum, dominia agnoscere, sed pro lubitu omnia posse occupare, docent.

Zzz 2

5 Hinc

5 Hinc enim migrationes gentium, deuastationes, latrocinia et bella iniustissima existunt.

6 Quae quidem mala ut euitentur, rerum dominiis utique standum est, prout ea inter gentes perinde, atque homines singulos, sunt recepta.

7 II. *Probari* autem certum inter gentes dominium facile potest.

8 Nam (1) Gentes certas tenent possessiones, quas ratas inter se habent, adeoque turbare nefas ducunt.

9 Scilicet haud secus, atque inter priuatos possidens in pari causa melioris est conditionis, hactenus, ut eo ipso, quod possidet, salua securitate communi, adeoque lege naturali, in possessione turbari non possit.

10 (2) Gentes circa ditionum suarum limites certa ineunt pacta, non minus, quam alia, sancte seruanda.

11 Adeoque certa agnoscunt dominia, iustasque rerum possessiones, saltem mutuae incolumitatis causa unicuique asserendas.

12 (3) Gentes dominia et imperia, occupatione aliisue modis acquisita, immemoriali tuentur praescriptione.

13 Talem quippe praescriptionem, cum, tacito innixa consensu, tituli loco habeatur, etiam inter gentes obtinere, supra demonstrauimus p. 417 pos. 150.

14 Quod si igitur gentes bonorum ditionumque certa habent dominia, ea etiam erga se inuicem obseruare debent, quæ domini ratio complectitur.

15 III. *Effecta* autem domini praecipua cenferi possunt haec.

16 (1) Vt res dominio subiectae, uel possessae, genti certae ita sint propriae, ut ceterae nullum in easdem ius habeant.

17 Ergo nulla etiam gens sibi potestatis quicquam in alterius proprietatem, seu possessionem, arrogare debet.

18 (2) Vt intra cuiusque gentis ditionem huiusque fines etiam iura et imperia terminentur.

19 Ergo gens in alterius territorio, nec pacis, nec belli tempore, inuito domino, quicquam disponere debet.

20 (3) Vt ea, quae semel particulari cesserunt dominio, citra eorum mutationem, communia haberi non possint.

21 Ergo

21 Ergo reuiuiscens, ut uocant, communio rebus certae genti propriis, in alienum usum adhibendis, obtendi haud debet.

22 IV. *Contrarium*, igitur dominii est communio, quae olim quidem late patuisse censetur, hodie autem in paucis superest reliquis.

23 Tales sunt illae, de quibus supra in Iure naturae diximus.

24 Nimirum terrae incognitae, incultae, necdum occupatae, quippe quae, cum nullius sint, omnibus existimantur esse communes.

25 Item oceanus, qui, licet ex parte sit occupatus, integer tamen gentium omnium usui patet, ut recte hoc contra Mendozam, Hispaniae legatum, asseruit Angliae Regina, Elisabetha, apud Camdenum.

26 V. *Axiomata sunt*: (1) Dominiorum incertitudo perinde inter gentes, atque homines singulos, malorum plurimorum mater merito censetur.

27 (2) Quare tranquillitatis plurimum interest, distincta et inuiolata rerum dominia genti cuilibet relinqui.

28 (3) Nec una alteram inuadendi occasionem ex eo captare debet, si forte minus certa uideatur rerum acquisitarum causa.

29 (4) Nam eadem ratione gentes sua tueri possunt dominia, atque homines priuati.

30 (5) Et dudum inter gentes obtinuit consuetudo possessiones longaeuas, nec interruptas, ut titulum iuris, allegandi.

31 (6) At terrarum peregrinarum et incultarum occupatio sola dominium non tribuit, nisi uel consensus, uel foedus, uel praescriptio immemoralis accesserit.

32 (7) Nec oceanus uniuersus occupari potest, nisi ab orbis uniuersi domino, pars uero cuius, quod ambit, territorio, uelut accessio suo principali, cedit.

33 (8) Occupata tamen parte ita quoque utendum est, ut humanitas simul et socialitas salua maneat.

S E C T I O II.

I. G. CIRCA ACTVS EARVNDDEM SPECIALES.

Actus gentium speciales respiciunt uel certum nexum, uel certum statum.

Zzz 3

MEM-

MEMBRUM I.

DE

I. G. CIRCA ACTVS, CERTVM NEXVM
RESPICIENTES.

Certus inter gentes nexus nititur uel necessitudine,
uel pacto, seu foedere, uel controuersia.

ARTICVLVS I.

DE

I. G. CIRCA NECESSITVDINEM.

I. *Acceptio.* II. *Genera.* III. *Officium.* IV. *Axiomata.*

I. I.

Accipitur uox necessitudinis in duplici potissimum sensu.
2 Vnus est, quo necessitatem denotat, siue uim, h. e. maioris rei
impetum, qui repelli non potest, et hominem ad agendum cogit.

3 Quo sensu Ciceroni dicitur necessitudo, cui nulla ui resisti
potest, et Salustio rerum necessitudo, qua quis coactus armis cer-
tare statuit.

4 Dicitur etiam quis ultro reuersus, non cum necessitudine, l. 5.
ff. de re militar.

5 Alter est, quo propinquitatem, seu coniunctionem sanguinis,
aut affinitatem, nec non uinculum peculiari nomine, puta meri-
torum, fidei, societatis, aut amicitiae, contractum.

6 Oritur hinc ius cognationis, tum propriae, tum impropriae.
7 II. *Genera* scilicet necessitudinis potissimum sunt duo, alterum
naturale, seu proprium, alterum morale, seu improprium.

8 Naturalis necessitudo ex consanguinitate et affinitate oritur,
diciturq; communi nomine propinquitas, cuius supra meminimus.

9 Moralis alia est profana, seu ciuilis, alia sacra, seu spiritualis.

10 Illa existit inter unius ciuitatis membra, uel inter respublicas,
foedere coniunctas, aut peculiare inter se commercium habentes,
eademque sequentes instituta, quales fere sunt gentes Europaeae.

11 Haec inter eiusdem religionis, seu fidei, socios intercedit.

12 III. *Officium*, utroque nomine praestandum, in eo consistit, ut,
quo

quo arctiore gens gentem necessitudine attingat, eo firmiorem etiam societatem una cum altera colat, eoque promptiora una alteri studia praestet.

13 Quod quidem officium iis, quae sequuntur, axiomatibus paulo uberius declaratum imus.

14 IV. *Axiomata* igitur sunt: (1) Quemadmodum inter homines priuatos certi charitatis ac beneficentiae dantur gradus, ita gentes etiam in praestandis sibi inuicem officiis certum obseruare debent ordinem.

15 (2) Quocirca peregrinis foederati, foederatis propinqui, diuersa sacra sequentibus socii religionis praeferri debent.

16 (3) Imo inter hos omnes certum pariter ordinem teneri oportet, non secus, atque in successione regnorum Princeps prior genitus, ipsis etiam gentium institutis, ius potius habere censetur.

17 (4) Scilicet, qui propiore consanguinitatis affinitatisue gradu alterum attingit, is priore etiam loco habendus est, ubi de ferendis forte suppetiis agitur.

18 (5) Nec foederatis debitum praestari potest auxilium, si domestica id retinet necessitas.

19 (6) Coniunctorum enim, aut membrorum, mala et pericula pro suis malis ac periculis habere debet ciuitas.

20 (7) Inter foederatos pariter tempore prior etiam iure prior censeretur, ita, ut nouum contra illum foedus iniri nequeat.

21 (8) Ex diuersae quidem religionis odio nullius hominis, nedum gentis integrae, odium proficisci debet.

22 (9) Singulari tamen ac sanctiore uinculo eiusdem religionis socii prae aliis coniunguntur.

23 (10) Ideo quisque etiam fidei consanguineos hoc nomine sibi propiores existimare debet, quam alios, religionis dissidio separatos, et communi tantum generis humani uinculo coniunctos.

24 (11) Ob eamque causam, ut supra monuimus, eundem est eis in subsidium, quoties, in religionis discrimen adducti, affliguntur.

25 (12) Nimirum, si nemo suos destituit domesticos, nec fidei sociis deesse potest, qui, siquidem purior eorum est religio, unius ueluti domus, sanctae Dei ecclesiae, membra existunt.

ARTI-

ARTICVLVS II.

DE

I. G. CIRCA PACTVM, VEL FOEDVS.

I. *Notatio uocis.* II. *Definitio.* III. *Diuisio.* IV. *Cautelae.* V. *Contrarium.*
VI. *Controuersiae.* VII. *Axiomata.*

I I.

Vox foederis, Gallis ligue, uel alliance, Italis liga, et lega, uel al-
lianza dicta, uarie a uariis auctoribus deriuatur.

2 Nonnulli eam ducunt a fide, unde fidus dicitur Varroni, et
feciales, quasi publicae fidei praefectos, dici, existimat Waremun-
dus ab Ehrenberg.

3 Alii a foedo, seu sanguine, foedus uocari, putant, quia sine san-
guine et uictimarum immolatione nullum ueteres iniuerint foe-
dus, seu pactum.

4 Quidam denique ab hoedo, mutata litera h. in f. foederis no-
men oriri, dicunt, quoniam in eo pangendo hostia fuerit necata.

5 Neque etiam in una semper significatione foedus accipitur,
sed modo improprie, modo proprie.

6 Improprie quidem denotat ordinem ac rationem, quae, ueluti
arcana quadam lege, in rebus inest, nec temere mutari potest.

7 Improprie autem sumitur uel generatim, uel speciatim.

8 Generatim pro quauis pactione, seu coniunctione, etiam inter
priuatos facta, e. g. quando dicitur foedus matrimonii, hospitii, etc.

9 Speciatim, sicque h. l. pro conuentione gentium publica.

10 II. *Definiri* itaque hoc sensu potest per pactionem publicam, in-
ter duas pluresue Respublicas, seu summos Imperantes, initam,
de certa re, necessitatis utilitatisue causa, sibi mutuo praestanda.

11 Publica dicitur pactio, habito respectu tum subiecti, tum ma-
teriae, tum effectus, tum finis.

12 Subiectum sunt personae publicae, h. e. rempublicam mo-
derantes, ac iura Reipublicae, h. e. maiestatem, seu summam po-
testatem, uel huic certe analogam, habentes, quacunque ceterum
forma imperii ac religione utantur.

13 Summam, dicimus, potestatem, uel saltem ei analogam, h. e.
suprematum, seu territorialem, ut uocant, superioritatem, qua-
lem

lem in Imperio Romano-Germanico Status habere dicuntur.

14 Ideo autem talis hic potestas requiritur, quoniam ius foederis comprehenditur iure belli et pacis, quod non, nisi in summam potestatem cadit.

15 Ergo foedera, speciatim sic dicta, locum non habent inter eos, qui eiusmodi potestate destituuntur, quales sunt alterius Reipublicae subditi, maxime rebelles, alieni imperii usurpator, nec non Principis filii, regnum iniuste inuadentes.

16 Ceterum non refert, utrum is, quicum alter paciscitur, cum alio iam foedus habeat, an prorsus sit liber, modo ne nouum, quod initur, foedus priori quid detrahat, fiatque in damnum, aut iniuriam, tertii.

17 Neque enim in concursu foederum posterius pactum, quam arcto etiam uinculo constet, prioris uim et obligationem in alterius praeiudicium infringere potest, ut recte contra Grotium statuit Buddeus.

18 Diximus etiam, nihil ad rem esse, quacunque imperii forma ac religione utantur paciscentes.

19 Quippe pactio est actus, quem perinde gentes, quae tales, atque homines singuli, ita perficere possunt, prout naturae ac gentium leges tulerint.

20 Quocirca nec imperii, nec religionis diuersitate impediri possunt foedera, modo recte se habeant circumstantiae, quas quidem hic observari, par est.

21 Scilicet si conditiones foederis nec iniustae fuerint, nec puriori religioni aduersae, e. g. de persequendis et opprimendis innocentibus, de propagando cultu idololatræ etc.

22 Proinde non magis subiectum, quam obiectum, hic attendi debet.

23 Materia igitur, seu obiectum, sunt certae praestationes, tum naturali, tum gentium iure ob publicam salutem licitæ, eaeque uel communes, uel singulares.

24 Communes sunt, quae ipso quidem iure naturae, ex humanitate, adeoque citra pactum, genti a gente debentur, maioris tamen certitudinis causa, foedere sanciantur.

Aaaa

25 Tales

25 Tales sunt, e. g. omissio laesionis, exercitium libertatis, transitus innoxius, propulsatio communis periculi.

26 Eiusmodi autem foedera gentibus cultioribus *putenda* dicit Pufendorfius, a quo tamen alii dissentiunt, nominatim Kulpisius, Hertius, quemque hi excitant, Obrechtus.

27 Singulares praestationes sunt, quae citra pactum vel plane non, vel saltem non eodem modo, debentur, adeoque ad publicum inter gentes commercium foedere definiuntur.

28 E. g. praestatio suppetiarum, coniunctio armorum, suppeditatio pecuniae, observatio status medii, seu neutralitatis.

29 Effectus ergo foederum, pro obiectorum diversitate, diversus admodum est.

30 Aliud quippe foedus ea, quae imperfecta tantum obligatione debentur, perfecte debita reddit, e. g. ius hospitii.

31 Aliud ea, quae nondum definita, sed liberae gentium voluntati relicta sunt, certo modo definit, e. g. exercitium commercii.

32 Aliud ea, quae summi alias imperii civilis iure licent, quodammodo suspendit, e. g. ius emigrationis, vel detractionis.

33 Aliud ea, quae inieterata consuetudine fuerunt introducta, tollit, e. g. tributum annuum, aut vectigal.

34 Aliud denique ea, quae gentes naturali libertate facere possunt, certo modo restringit, e. g. exstruere classes, facere munimenta, alere milites.

35 Nimirum talis est foederis effectus, qualis est eiusdem ratio, et talis debet esse ratio, qualem fert finis.

36 Finis foederum publica, eademque mutua, rerum publicarum incolumitas esse debet, quippe ad quam omnes gentium actus unice referri oportet.

37 Quodcunque ergo foedus mutuae gentium salutis officit, id iure gentium minime raturum haberi debet.

38 Hoc demum sine omni metiendum est pactum, cuiuscunque fuerit generis, h. e. a quibuscunque personis, circa quascunque res, et quocunque modo fuerit ictum.

39 Scilicet non unus generis, omnia sunt foedera, sed, pro varietate circumstantiarum, admodum varia.

40 III. *Dividi* autem possunt tum generaliter, tum specialiter.

41 Generaliter quidem, habito respectu duplicis gentium status, in foedera pacis, et foedera belli.

42 Specialiter autem, ratione obiecti, modi, et adiuncti, in infinita prope genera, quorum praecipua tamen videntur esse haec.

43 (1) Foedera commerciorum, suppetiarum, aut successionum.

44 Illa sunt, quae rerum, tum terra, tum mari exportandarum importandarumque, causa iniri solent.

45 Ista, quibus auxilium, siue copiis, siue armis, siue impensis ferendum, promittitur.

46 Haec, quae propter mutuam in regno, vel principatu, successionem, ex certo casu pendentem, fiunt.

47 Pertinet huc confraternitas (Erbuerbrüderung) h. e. pactum successionis reciprocae, in casu deficientium legitimorum heredum, inter personas illustres, splendoris familiarum conseruandi causa, initum, de quo multa habet supra citatus Franckensteinus.

48 Differt autem tale pactum ab eo, quod gentilium, s. confederationis hereditariae (Erbuereinigung) dicitur, h. e. foedus perpetuum, et ad omnes heredes transiens, de pace, concordia, atque incolumitate, mutuo conseruanda ac tuenda.

49 Ergo duo haec foedera male confundi, recte asserit Besoldus.

50 Affinitatem uero cum hoc pactorum genere habet pactum hereditatis conseruatiuum, de quo prostat dissertatio Donaueri.

51 (2) Foedera defensiuæ, et offensiuæ.

52 Illa sunt, quae propter bellum defensiuum ineuntur, h. e. quod aduersus inuadentem, se, suos, amicos, uel confoederatos, ui iniusta oppressos, defendendi animo, gerendum est.

53 Haec uero, quae propter bellum offensiuum, seu illatiuum, contrahuntur, h. e. quod laedenti et satisfactionem deneganti, reparandae iniuriae causa, inferendum est.

54 (3) Foedera aequalia, et inaequalia.

55 Illa sunt, quibus foederati ad aequalia sibi inuicem praestanda obstringuntur, siue praestatio in eadem re fiat, siue in simili, h. e. siue mutua praestetur defensio, siue pro defensione pecunia, aut commeatus.

56 Haec uero, quibus non tantum ab altera praestatur parte, quantum ab una.

57 Iniqua uocat eiusmodi foedera inaequalia Waremundus ab Ehrenberg, ideo, quia in illis aliquid subiectionis infit.

58 Cum autem inaequalia dicantur, non habito respectu ad iustitiam, sed propter obligationis imparitatem, quae per se nullam complectitur iniquitatem, recte idcirco dissentit Zieglerus.

59 Pertinet huc foedus clientelare, seu tutelare, nec non tributarium, seu pensionarium, alias miserabile dictum.

60 Clientelare foedus est, quod inter patronos, seu defensores, aut protectores, initur, et eorum clientes, h. e. tales, qui sui suorumque tutelam potentiori, sub certa conditione, committunt.

61 Eiusmodi quidem foedus Principe liberoue populo plane indignum pronuntiat Bodinus, ab omni tamen uitio id recte liberat Befoldus.

62 Tributarium, seu pensionarium, est, quo, saluis libertate ac iuribus, tributum annuum, seu certa pensio, constituitur.

63 Eo autem foedus tributarium a pensionario differre dicitur, quod illud plerumque inter uictores et uictos ineatur, hoc autem inter gentes liberas, quarum una ab altera certam praestationem pro certa pensione conducat.

64 (4) Foedera limitata, et illimitata.

65 Illa sunt, quibus certa aliqua praestatio determinata, seu restricta, promittitur, e. g. certum auxiliorum genus, contra certum hostem, in certo loco, certa ratione praestandum.

66 Haec uero, quae sine restrictione ad certas circumstantias feriuntur.

67 (5) Foedera realia, et personalia.

68 Illa sunt, quae ad integram pertinent rempublicam, et plerumque cum libero panguntur populo.

69 Haec uero, quae paciscentem duntaxat personam ad certum quid obligant.

70 Talia quidem foedera cum iis uulgo conuenire dicuntur, quae aeterna et temporaria, ut mox dicemus, uocantur.

71 At, si quidem populus liber perinde, ac persona singularis, ad cer-

certum tantummodo tempus sese obstringere possit, nec reale aeterno, nec personale temporario respondere censendum est.

72 (6) Foedera solemnia, et minus solemnia.

73 Illa sunt, quae certis ritibus, siue in maiorem rei promissae securitatem, siue ad externum duntaxat splendorem adhiberi solitis, fiunt.

74 Haec autem, quae sine caeremoniis simplici fide perficiuntur.

75 Eiusmodi quidem ritus, pro diuersitate populorum, diuersi admodum sunt, plerosque tamen cruentum fere modum, h. e., certam sanguinis profusionem uictimarumue immolationem esse complexos, historiae produnt.

76 Sigillatim Romani, mactato porco, sub certa imprecatione, foedus pangere consueuerunt, uti ex Livio constat.

77 Sal quoque et panem, tanquam foederis, firmiter obseruandi, symbola, nonnulli adhibuerunt, ideo, ut et necessitatem foederis pane, et perpetuitatem sale declararent.

78 Hodie foedera plerumque tabularum, quibus consignantur, subscriptione ac sigillorum appensione, a paciscentibus facta, adiectis interdum sponsoribus, uel pignoribus, imo iuramento interposito, et perceptione sacrae coenae confirmantur.

79 (7) Foedera aeterna, et temporaria.

80 Illa sunt, quae, nullo tempore definita, perpetuo durant, ideoque Ebraeis foedera salis dicuntur.

81 Haec uero, quae ad certum duntaxat tempus, e. g. ad uitam paciscentium, sunt restricta, adeoque renouatione indigent.

82 Cuiuscunque autem generis fuerint foedera, ita iniri debent, ut eum, quem supra proposuimus, finem consequi possint.

83 IV. *Cautelae* igitur, eam ob causam obseruandae, sunt potissimum sequentes.

84 (1) Cauendum, ne personae, sufficienti ad paciscendum facultate haud instructae, in pangendo foedere admittantur.

85 Hinc enim fieri potest, ut foedera uel difficulter concludantur, ac tarde, uel, ubi conclusa fuerint, minus rata habeantur.

86 Praesertim si alterutra paciscentium pars moram ideo captet, ut uires suas colligere possit, aliaue ratione rebus suis consulere.

87 Quocirca probe examinari oportet mandata, quibus legati, ad foederis negotium missi, fidem facere solent.

88 Ex iis quippe, an, et quomodo pacisci consultum sit, constare debet.

89 (2) Cauendum, ne scripta foederis consignatio, quaeque robur huic addere potest, partium subscriptio, ac sigillorum impressio, negligatur.

90 Equidem ad perficiendum rite foedus adeo non necessaria est scriptura, ut ea saepius, ne confoederationis capita diuulgentur, prorsus omitti possit.

91 Certioris tamen fidei causa, ut ne promissum possit negari, et captionibus forte, aut cancellationibus, locus sit, ea adhiberi debet.

92 (3) Cauendum, ne in contrahendo consignandoque foedere eorum quicquam omittatur, quibus certa rerum pactarum definitio niti possit.

93 Cum enim foedera sine dolo et deceptione (ἀνευ δόλου καὶ ἀπάτης) iniri debeant, omnis etiam ambiguitas et ratio incerta, quoad eius fieri potest, euitanda est.

94 Ita scilicet, ut tabulae foederis non tantum uerbis, clare et perspicue conceptis, constent, sed singula etiam capita, ratione materiae, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum, accurate definita, exhibeant.

95 Alioqui fraudi ac perfidiae uel specialis declarationis omissio, uel locutionum uocumque amphibolia praetendi potest, ut multis hoc exemplis docent historici.

96 (4) Cauendum, ne foedera facile fiant cum gentibus, uel nimium remotis ac dissitis, uel diuersa plane instituta tenentibus.

97 Ab his enim mores alieni patriisque aduersi adsciscuntur, quibus, degenerante a priscis institutis ciuitate, publica plerumque salus turbari solet.

98 Ob eamque causam gentis peregrinae mores ante, quam foedus cum ea feriat, cogniturus, per legatum, grauioris negotii praetextu missum, eosdem explorare debet, ita suadente Eberhardo a Weihe.

99 Ab illis autem promissum foedere auxilium non eo statim tem-

tempore haberi potest, quo quidem urgens id necessitas efflagitat.

100 Quamuis ergo locorum disiunctio amicitiae officia non dirimat, ea tamen ita interrumpit, ut, quod vulgari dicitur prouerbio, satius sit, amicum habere uicinum, quam fratrem remotum.

101 (5) Cauendum, ne foedera cum regnantis persona magis, quam cum regno eiusue ordinibus, aut ciuibus, iungantur.

102 Equidem foedera non semper paciscentium morte exspirant, sed, quoniam publico icta nomine censentur, quosunque etiam successores obstringunt, nisi uel legis fundamentalis, uel ipsius foederis ratio obstat.

103 Verumtamen cum, decedente Principe, etiam inita cum eo foedera suam plerumq; uim amittant, consulum utiq; est, ea cum regno potius ac principatu ferire, quam cum Rege, aut Principe.

104 (6) Cauendum, ne foedus clientelare perpetuum sit, aut tale, quod inferendo stabiliendoue imperio ansam dare possit.

105 Nam facile euenit, ut, qui perpetuam gentis alterius tutelam gerit, ipse tandem regni cupiditate incendatur, si uero, qui alterius Maiestatem diu sunt uenerati, paulatim obedire consueuant.

106 Romanum certe populum, defendendo socios, foederatosque, pene orbis terrarum esse potitum, historiae testantur.

107 Proinde patrocinia ad breue duntaxat tempus adstringantur, necesse est, quo, si graviora fuerint, mutari, sin aequiora, continuari possint.

108 Nec male cum clientibus agitur, si patrocini tabulis de conseruanda ipsorum libertate iuriumque maiestatis integritate caueatur.

109 Ob eamque causam minime permittendum est, ut patronus clientum arces, s. castella, militum suorum praesidiis firmata, teneat.

110 (7) Cauendum, ne foedus offensiuum ante feriat, quam de ratione belli illativi constet.

111 Cum enim dubia sit belli omnis alea, diligens omnino circumspectio adhibenda est, ne quis temere infesta se implicet societate.

112 Qua quidem de causa bene perpendi oportet tum iustitiam ac necessitatem, quae bellum nitatur, tum vires, an hosti sint pares, tum procerum agnatorumque consensum, num forte ad bellum, feliciter gerendum, sit necessarius, nec ne.

113 Plu-

113 Plura de foederibus monita inter alios habent Besoldus, Knichen, Zieglerus, Werlhofius, Eberts, Schubertus.

114 V. *Contrarium* foederis est solutio obligationis, ex eo natae.

115 Haec quidem variis contingit modis, e. g. dolo, perfidia, lapsu temporis, expiratione conditionum, foederi adiectarum, dissensu mutuo, ac denique morte, si personalis duntaxat obligatio fuerit.

116 Vix tamen diversum hic occurrit praeceptum ab iis, quae de pactis priuatorum observanda sunt.

117 Cum enim gentes ac Respublicae paciscentes priuatorum instar hominum se habeant, eadem ratione, quoad eius fieri potest, sua seruare debent foedera, ac privati suas conuentiones, ut singulari dissertatione docuit Bodinus.

118 Dico, quoad eius fieri potest, siquidem, quo magis priuatorum commoda communi Rerumpublicarum saluti cedunt, eo magis etiam, efflagitante publica necessitate, aliquid licere dicendum est, quod alias non licet.

119 VI. *Controuersiae* potiores, hic attingendae, sunt fere sequentes.

120 (1) An foedus cum Turcis inire liceat?

121 Sic quidem plerique existimant, distinguentes inter foedus theologicum ac politicum, inter id, quod, urgente necessitate, et id, quod ex odio et inuidia contrahitur, nec non inter foedus ipsum, et opinionem, foederatorum animis infidentem.

122 Verum, quamuis, ut supra diximus, religionis diuersitas societati politicae per se non officiat, uix tamen fieri potest, ut foedus cum infensissimo nominis Christiani hoste a Christiano aduersus Christianum licito ineatur modo, ut in peculiari de hoc argumento dissertatione docui.

123 Praeterquam enim, quod Turci, nullo cum Christianis foedere ita se obstringi, credant, quin, permittente Alcorano, ab eo recedere possint, plurima profecto mala iunctam cum infidelibus hisce societatem consequuntur.

124 Multa hominum millia in miserrimam abducuntur seruitutem, ita, ut, qui aere ex ea se liberare non possunt, Christianam potius fidem abnegare malint, quam eam tolerare.

125 Quapropter ipsis etiam paciscentibus, eorumque liberis extio-

tiosa semper fuisse talia foedera, Francisci I. aliorumque Principum exempla docent, de quibus, praeter dissertationem nostram, legi potest (schedulae Gallicae, de hoc argumento scriptae, confutatio.

126 (2) An auxilium contra foederatos iuste praestari possit?

127 In certis utique casibus, e.g. si foederatus alium iniuste opprimat, iustum esse eiusmodi auxilium, in erudita dissertatione probavit Menkenius.

128 (3) An firmandis foederibus matrimonia inseruiant?

129 Sic quidem Principibus multis uisum esse, eorum testantur exempla, qui, uixdum regno potiti, id ante omnia egerunt, ut alios affinitatum necessitudine sibi deuincirent, eorumque amicitiam matrimoniorum foedere pararent.

130 Verum, nec foedera, nuptiis contracta, firma semper esse, exemplis sat multis probant autores supra excitati p. 440. pos. 24.

131 (4) An foedera iurata iniuratis firmiora censerī debeant?

132 Iuramentum quidem tale est uinculum, quo promittens arctiori in conscientia ui utique constringitur, cum nemo tam improbus suaeque salutis negligens putetur, ut seueram Dei uindictam aduersus se prouocare auderet.

133 Inter summos tamen Principes populosque moratos iuramentum ad confirmanda foedera non adeo necessarium est, siquidem uerba eorum, ut uocantur, fidei, honoris, ac dignitatis iuramento aequiparari, supra docuimus p. 358. pos. 374.

134 VII. *Axiomata* sunt (1) Nulla gens tantae est potentiae tantaeque felicitatis, quin alterius indigeat foedere et auxilio.

135 (2) Imo, quo magis una alteram opulentia, principatu ac potestate excellit, eo minus amicis carere potest ac foederatis.

136 (3) Quippe non tantum uariis subiecta est uicissitudinibus, sed suos etiam aemulos habet, suosque inuidos, qui, labascente fortuna, nocendi occasionem facile captant.

137 (4) Quocirca uerissimum est, eos, qui in summo constituti sint fastigio, tot dolis et insidiis peti, ut aliorum amicitia maxime indigeant.

138 (5) Fruendae igitur amicitiae certissimum instrumentum est foedus.

Bbb b

139 Equi-

139 (6) Equidem iusta et necessaria agere, optimum firmissimum-que foedus pio animo existimauit certus quidam Comes Palatinus, ideo, quoniam talia agens ipsius Dei sit foederatus.

140 (7) Attamen, cum idem illud prouidentissimum Numen, quod homines sociales creauit, eorum quoque societatem maxime uelit, eam ob causam foedera utique intercedere debent.

141 (8) Quae promde cum debita in Deum fiducia bene consistere possunt, nec improbae securitatis praesidia uocari debent, nisi, posthabito Deo, omnis in iisdem spes collocetur.

142 (9) Sancte autem seruari oportet foedera, semel recte inita.

143 (10) Quo sanctior enim foederum fides habetur, eo longius a barbarorum moribus gens abesse, eoque felicius res suas gerere censenda est.

144 (11) Quam graui enim poena foederum uiolatores afficere soleat Deus, uel Vladislai, Hungariae Regis, exemplum testatur.

145 (12) Caueant ergo foederati, ne subdola hostium persuasione a se inuicem sese alienari, patiantur.

146 (13) Quippe, facta foederatorum diuisione, exultandi nocendique materia hostibus praebetur.

147 (14) Subortae autem de pacti interpretatione lites optime nouo tolluntur pacto, sicut ipsa pangendorum foederum libertas foedere circumscribi potest.

ARTICVLVS III.

DE

I. G. CIRCA CONTROVERSIAS.

Controuersiae inter gentes bifariam considerari possunt, uel generatim, uel speciatim.

INSPECTIO I.

DE

I. G. CIRCA CONTROVERSIAS IN GENERE.

I. *Occasio*. II. *Compositio*. III. *Axiomata*.

1 I.

Occasio controuersiarum, inter gentes existentium, est libertas illa, quam gentes, quippe in statu naturali uiuentes, tenent.

2 Quam-

2 Quamuis enim, ut supra diximus, status naturalis non sit bellum omnium in omnes, eum tamen turbis malisque plurimis materiam dare, palam est.

3 Scilicet gentes, aequalitatis libertatisque suae consciae, non modo minimam sui laesionem grauius ferunt, sed alienam quoque fortunam non aequo semper animo intuentur.

4 Hinc ergo uindicta, odium, ambitio, inuidia, aemulatio, nocendi studium, alique affectus nascuntur.

5 Praesertim cum tanta, quae homines inuasit, corruptio quotidie magis magisque gliscat.

6 Eiusmodi uero affectibus in actus externos erumpentibus, uariae inter gentes discordiae existant, necesse est.

7 Quae, nisi tempestiue componantur, bella pariunt, maximorum utique malorum fontes.

8 Idcirco mutuae gentium incolumitatis omnino interest, summa, qua fieri potest, celeritate lites decidi.

9 II. *Compositio* autem uariis fieri potest modis, quorum alii leniores censi debent, alii uiolentiores.

10 Modi leniores sunt amicorum interpositio, constitutio arbitratorum, prudentum diiudicatio, et electio sortis.

11 Amicos, sua interponendo officia, pacem et concordiam inter gentes, lite implicitas, conciliare posse, certum est.

12 Praesertim si mediatoribus aequitatis sinceritatisque fiducia habeatur, litigantes autem a periculosa belli alea abhorreant.

13 Nec requisiti tantum amici alienis se litibus interponere debent, sed etiam non rogati ultro conciliationem tentare possunt.

14 Cum enim beneficii ac meriti loco haberi oporteat, litis periculo alterum liberare, licitum utique censi debet, sua ideo officia sponte adhibere, suadendo nimirum, non cogendo.

15 Quod si uero controuertentes causam suam ad arbitros deferre uelint, liberum ipsis est, utrum absolute in eos compromittere, an eorum opera sub certa tantum conditione uti malint.

16 Priori casu arbitratorum officium est, ad aequitatem humanitatemque sententiam suam referre, cum ideo, deficiente foro ac iudicio, sumantur, prout in peculiari id dissertatione uberius exposuit Willenbergius.

B b b b 2

17 Nec

17 Nec inusitatum est, eo etiam loco, ubi res controuersa existit, uel factum aliquod admissum est, arbitrum constituere, ut exemplis hoc illustrat Zouchaeus.

18 Prudentum uero iudicio ac censurae controuersia saepe committi solet, quippe cum ii demum iura intelligere, eademque, modo partium absit studium, optime applicare posse, credantur.

19 Sorti denique controuersiam submittere, iis utique licitum est, qui fortunae potius, quam hominum iudicio stare malint.

20 Sortem enim diuinatoriam, quale quidem genus hic intelligimus, si debito modo sine temeritate ac superstitione in re graui et licita adhibeatur, nihil inhonesti continere, supra docuimus p. 397. pos. 52. seqq.

21 Quid autem de isthoc fortunae iudicio insuper obseruari debeat, peculiari dissertatione exposuit Ludouici.

22 Violentiores compositionis modi potissimum sunt monomachia, seu dimicatio singularis, et repressaliae.

23 De dimicatione singulari, h. e. duello, tam publico, quam priuato, quid censendum sit, supra exposuimus p. 272. pos. 79. seqq.

24 Scilicet ne decretorium quidem, seu decisorium, nisi in casu extremae necessitatis, licitum esse, docuimus, etsi eiusmodi certamen apud ueteres frequens admodum fuisse, testetur Becmannus.

25 Satius enim est, sine sanguine humano compromissa fieri, nec effusae tentandi Deum licentiae campum aperiri, ut loquitur idem Becmannus.

26 Nec Principum duella cum Maestate eorum ciuitatumque salute consistere, arbitramur, quaecunque demum exempla afferantur a Müllero, Zentgraeuio, Scheuzio, aliisque supra c. l. allegatis scriptoribus.

27 Repressaliae sunt detentio personarum, aut bonorum, propter debitum alienum, denegatae, uel protractae, iustitiae causa.

28 Quo quidem sensu generaliter sumuntur pro detentione rerum et personarum, non specialiter, pro prehensione rerum sola.

29 Originem huius uocis siue ab Italorum ripresa, unde ripresaglia, uel contracte presaglia, siue a Gallorum reprise, siue a Latinorum reprimendo, non autem a reprehendendo, nec repraesentando, aut repraedando, ducere conuenit.

30 Est

30 Est itaque talis detentio remedium extraordinarium, siue subsidarium, non, nisi in casu necessitatis, ubi alia litem dirimendi ratio non suppetit, adhibendum.

31 Adhiberi autem possunt repressalia a persona Maiestatem, uel saltem huic analogam, seu superioritatem territorialem, habente.

32 Vnde apparet, ius repressaliarum etiam Imperii nostri Principibus esse tribuendum, ut erudita hoc dissertatione probauit Excellentissimus noster Wernherus.

33 Obiectum uero sunt alterius Reipublicae personae et res, extra fines tertii, quocunque loco deprehensae.

34 Hinc duo existunt repressaliarum genera ἀνδροληψία, h. e. detentio personarum, s. repressaliae personales, et ἐνχυρεασμός, h. e. detentio rerum, s. repressaliae reales, quibus nonnulli addunt mixtas.

35 Prius quidem genus, h. e. detentionem personarum, multi reiiciunt, sed sine ratione, dummodo certae excipiantur personae, ut legati, clerici, studiosi, mercatores, e. s.

36 Finis, idemque proximus, est indemnitatis, iustitiaeue denegatae, atque in futurum praestandae, asscuratio, seu satisfactio pro laesione.

37 Haec quippe repressaliis obtineri potest, siue iustitia, ante denegata, administretur, siue res captae laeso addicantur, siue personae detentae satisfactionem, earumue amici solutionem, praestent.

38 Quem quidem in finem generatim ea omnia hic requiruntur, quae bellum alias iustum reddere debent.

39 Sigillatim uero (a) denegata pro laesione satisfactio, (3) debitum liquidum, (γ) necessitas inuitabilis, et (δ) modus aequitati consentaneus, ne scilicet ultra damnum datum quid exigatur.

40 Positis his requisitis, licitae omnino habendae sunt repressaliae.

41 Sic enim gens laesa, intermisso bello, multis periculis et incommodis defungi; suumque ius sine ciuitatis integrae damno persequi potest.

42 Nec iniuria fit ciuibus, erga quos exercentur, quippe qui, pro habitu rerumpublicarum, unam quasi personam referunt, adeoque facta Reipublicae praestare, et, tanquam membra unius corporis, unam quoque obligationem sustinere debent.

43 Neque hic obstat, quod iure naturae ex alterius facto nemo teneatur, adeoque nec singuli ciues id praestare debeant, quod publico ciuitatis nomine a Concilio, uel Principe, tanquam capite, sit admissum.

44 Nam certum quidem est, ne heredem quidem, etiamsi defuncti personam repraesentet, omniaque eius iura capeffat, delicto, quod defunctus patrauit, ad poenam ullam obstringi.

45 Ideo scilicet, quia nullus poenarum finis hic locum habet, nec emendatio delinquentis, nec utilitas Reipublicae, qualis tamen in crimine perduellionis, ad filios etiam relato, obtinet.

46 Verum probe hic distingui oportet inter imputationem facti, quae fit ex iustitia interna, et eam, quae fit ex iustitia externa, siue inter reatum in foro diuino, et reatum in foro humano.

47 Priori respectu peccatum, a ciuitate, uel eius capite, admissum, illis ciuibus imputari nequit, qui culpa, uel actione sua, nequicquam ad illud positue contulerunt.

48 Posteriori autem respectu imputatio talis utiq; locum habet.

49 Ideo scilicet, quoniam, ut diximus, ciuitas omnis unam refert personam, hocque nomine unam habere uoluntatem, unamque obligationem sustinere censenda est.

50 Etenim illi, qui unam societatem coeunt, adeoque unum constituunt corpus, uoluntates et actiones suas unius imperantis personae, uel physicae, uel moralis, h. e. unius concilii, uoluntati et actionibus, pro natura et indole ciuitatis, conformare debent.

51 Adeoq; id etiam pro uoluntate et facto omnium haberi oportet, quod persona imperans nomine publico uoluerit, aut fecerit.

52 At tale quid maxime est administratio iustitiae, ex ipsa finis, ciuili imperio praestituti, necessitate, imperantis officio conueniens.

53 Prout itaque imperans, cuius uoluntate omnium uoluntates repraesentantur, iustitiam administrat, uel non administrat, ita communi uniuersorum ciuium consensu id fieri censetur.

54 Hactenus scilicet, ut effectus omnes, inde prouenientes, ad singula ciuitatis membra non secus pertineant, ac si ipsa ita egissent, factiue causa extitissent.

55 Id quod uberius exponunt Pufendorfius, Boeclerus, et Titius.

65 Pro-

56 Proinde nec naturali, nec positivo iuri diuino aduerfantur repressaliae, tametsi quibusdam iuris canonici textibus, ac iuris civilis constitutionibus repugnare uideantur.

57 Tantummodo ea diligenter sunt obseruanda, quae aequitatis humanitatisque ratio, erga innoxias praecipue personas, postulat.

58 Quae quidem paulo uberius cogniturus, adire potest Io. Iac. a Canonibus, Peschwizium, Hahnium, Wagenfeilium, Fritschium, Müllerum, Zieglerum, Zouchæum, aliosque scriptores, excitatos a Kulpisio et Gribnero.

59 Nequaquam uero locum hic habet iudicium aliquod, seu tribunal uniuersale, aut monarchia uniuersalis.

60 Quippe gentes nec forum habent, nec iudicium, neque una in alteram iuram ius dicere potest, imo nec uniuersae in singulas talem habent potestatem, quippe aequalitati et libertati aduersam.

61 Vniuersale autem tribunal, quod inter Christianas saltem potestates constituendum esse, Grotius existimat, ad ea referendum est, quae nec sperari unquam possunt, nec fortassis fieri.

62 Idem sentiendum uidetur de monarchia illa uniuersali, quam, ne huius certissimum lites dirimendi remedium, tanto opere praedicat Gundlingius.

63 III. *Axiomata* sunt: (1) In contentione gentium, caeteris paribus, melior est conditio possidentis.

64 (2) Quicquid autem transacta controuersia placuit, id regulae instar sanctissime obseruari debet.

65 (3) Ceterum, cum quaelibet gens in contentione sibi prae altera ius tribuat, tamdiu partis iudicium ualeat, quamdiu non probatur iniustum.

INSPECTIO II.

DE

I. G. CIRCA CONTROVERSIAS IN SPECIE.

Duo potissimum controuersiarum obiecta specialia hic considerari possunt, *Limites* et *Praecedentia*.

DISCURSUS I.

DE

I. G. CIRCA LIMITES.

I. De-

I. *Definitio.* II. *Fundamentum.* III. *Scriptores.* IV. *Axiomata.*

I I.

Definiri possunt limites, seu fines, per loca extrema, e regione sibi inuicem adiacentia, quae duorum dominorum terras, seu possessiones, distinguunt, et ita cuique, quod suum est, demonstrant.

2 Dicitur limes a lite, quoniam primae inter homines lites et controuersiae de limitibus et occupatione agrorum extiterint.

3 Vnde et limites olim lites, h. e. lites, dictos fuisse, multi existimant, cum antiqui dictionibus ab incipientibus literas st praeponere consueuerint.

4 Alii uero limites a liminibus originem trahere, putant, ideo, quia, sicuti limina introitus exitusque locis praestant, sic introitus exitusque in agris diuisis et adsignatis peruii tam itineribus, quam mensuris agendis, limites existunt.

5 Nonnulli denique limites deriuant a limo, uerbo antiquo, quod transuersum et obliquum significat, quia limes proprie sit femita transuersa, terminum in agris designans.

6 Sed deriuationes hasce omnes suo relinquimus loco, id tantum monentes, ipsos regionum ac terrarum limites a signis limitum probe esse discernendos.

7 Quamuis enim non omnes limites per signa, ab hominibus posita, definiantur, id tamen, quod fines regionis designat, uel constituit, ab ipsis finibus, ut fundamentum a re, utique discerni oportet, siue a natura sit, siue ab hominum facto.

8 II. *Fundamentum* itaq; limitum aliud naturale est, aliud artificiale.

9 Naturale, h. e. quod ipsa natura constituit, esse possunt mare, fretum, flumen, montes, sylua, arbores, aliaeque huius generis res.

10 Artificiale, h. e. quod hominum facto constituitur, fieri queunt columnae, lapides, pali, postes, fossae, ualles, uiae, cruces et arbores, studio plantatae, certisue notatae signis.

11 Quid autem de singulis speciatim obseruari debeat, doctores, ex instituto super hoc argumento commentati, tradunt.

12 III *Scriptores* autem tales sunt (1) Hieronymus de monte Brixiano (2) Oettingerus (3) Linkius (4) Fritschius, (5) Stryckius (6) Klengelius (7) Brunnemannus.

13 IV. *Axioma-*

13 IV *Axiomata* sunt: (1) Interest mutuae gentium incolumitatis, gentem unamquamque certos regionum suarum habere fines.

14 (2) Quare singulis etiam ditionibus quaedam ueluti sanctimonia custodiendorum limitum inesse dicitur.

15 (3) Ob eamque causam Terminus tutelarum finium agrorumque Deus apud antiquos fuit, cuius etiam sacris certos mense Februario dies, Terminalia dictos, destinarunt.

16 (4) Quo ipso indicatum est, fas utique esse, ut finium regundorum habeatur ratio, euiteturque omnis de potestatis amplitudine controversia.

17 (5) Quod si tamen lis ideo oriatur, non statim in bellum ruendum est, sed amica quaerenda compositio.

18 (6) Considerari oportet uarias finium diuisiones, et accurate a se inuicem secerni signa, quibus distinguere solent.

19 (7) Respicendum est ad agros limitaneos fretique rationem.

20 (8) Inquirendum, utrum casu, an hominum facto, eoque uel fortuito, uel destinato, moti mutatique sint termini.

21 (9) Artificiales quidem facile possunt mutari, imo et lapsu temporis perdi, uel saltem ita obfuscari, ut eorum origo ignoretur.

22 (10) At uero naturales sunt constantiores, et maximam quoque partem immutabiles.

23 (11) Quacunque autem mutatione alteri quicquam fuerit detractum, ex bono et aequo facienda est restitutio.

24 (12) Priscis standum est finibus, quoad eorum probatio siue per libros antiquos, siue per recessus et conuentiones, siue per publicam notitiam fieri potest.

25 (13) Pro uindicandis autem recipiendisque finibus amissis antiqui limites allegari non possunt.

26 (14) Neque ad scriptores prouocare sufficit, utpote qui multis exceptionibus sunt obnoxii.

27 (15) Nec magis documento esse possunt mores, aut linguae similes, quam tituli, prisci quidem, sed amissi iuris indices.

28 (16) Ceterum cuique genti finium suorum munitio est permittenda, nisi pacto prohibeatur.

29 (17) Quod uero inter Christianos Romanus duntaxat Pon-

Cccc

tix

tifex ius ponendi limites habeat, id commentum est, ex coeca sedis papalis reuerentia profectum.

DISCVRSVS II.

DE

I. G. CIRCA PRAECEDENTIAM.

I. *Notatio uocis.* II. *Definitio.* III. *Fundamentum.* IV. *Pronisio.* V. *Cognatum.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.*

I I.

VOx praecedentiae recentiori aetati acceptam refert originem.

2 Antiquis enim dicebatur praerogatiua, cuius etiam nunc synonyma sunt eminentia, praeminentia, excellentia, antelatio, lessio, Graecis *προσέλα*, Gallis *préférence*, *précédence*, la main et le pas.

3 II. *Definiri* autem potest praecedentia per facultatem moralem, qua unus prae altero ex certo capite prioritatem loci, iuriumque, huic annexorum, habet.

4 Dicitur facultas moralis, quia non facto nititur, sed iure.

5 Complectitur autem haec facultas prioritatem loci, seu talem praerogatiuam, qua quis eundi, sedendi, agendiue quid prae aliis licentiam habet, hocq; nomine aliis dignior existit atq; honoratior.

6 Non ergo Maiestatem, seu summam Imperii potestatem, paritatemque, inde provenientem, praecedentia minuit, sed ordinis potissimum, externique honoris distinctionem parit.

7 Qui enim, alterum auctoritate et dignitate superiorem esse, patitur, eundem non statim potestate superiorem agnoscit.

8 III. *Fundamentum* uero, cui praecedentia uere inniti dicitur, pactum est, idemque siue expressum, siue tacitum, quaeque inde nascitur, possessio, uel quasi.

9 Pactum, habito dignitatis maioris et potentiae respectu, plerumque iniiri solet, saltem consensu tacito.

10 Dignitas quidem ex antiquitate originis ac nominis, ex rerum gestarum celebritate, ipsiusque fastigii maiestate provenit.

11 Potentia uero in amplitudine ditionum, rerumque ad sua conseruanda, et aliena obtinenda, idonearum facultate consistit.

12 Scilicet si exercitus educi, nec, nisi bello, coërceri possunt.

13 Et eiusmodi potentiam ad consequendam prae aliis dignitatem

tem ac prerogatiuam maxima afferre momenta, nemo negauerit.

14 Possessio, uel quasi, ex usu longaeuo obtinet, adeoque saltem consuetudinem, tacito consensu introductam, parit, quae legis uim habere existimatur.

15 Et proinde ea etiam sola instar omnis fundamenti esse potest, ita, ut Galli et Angli Neomagi quondam dixerint, quod in rebus, ad caeremoniam pertinentibus, neque ratio, neque potentia, neque dignitas, sed sola possessio sufficiat.

16 Qualis quidem possessio iis maxime obtingit, qui, publicorum obseruantes rituum, aliorum uel facilitate, uel negligentia, in commodum suum abuti norunt.

17 Hoc modo Principes Itali prae Germanis praerogatiuam obtinuerunt, tametsi hi illos et antiquitate prosapiae, et terrarum amplitudine, et meritorum gloria longe antecedant.

18 Vnde apparet, fundamentum praecedentiae, siquidem iusta haec existere debet, ac firma, in iis neutiquam esse ponendum, quae uulgo hic afferri solent.

19 Talia sunt insignium praestantia, amplitudo imperii, titulorum pluralitas, uasallorum nobiliorum multitudo, eminentia uirorum illustrium, antiquitas, uel puritas religionis.

20 Quippe insignia nobiliora propria quis auctoritate sibi sumere potest, prout ex cognationis amplitudine, uel rerum gestarum celebritate occasionem captat.

21 Liberioris autem imperii regimen praaeminentiam dignitatemque maiorem haud parit, cum despotico etiam regno potentior longeque dignior esse possit monarchia limitata.

22 Nec titulorum multitudo, quippe inter inferiores etiam usitata, proëdriam tribuit, alioquin Rex Hispaniarum facile praecederet Regem Galliarum, ut inter alios statuit Valdesius.

23 Et uasalli nobiliores non magis eiusmodi praerogatiuae causa existere possunt, quam celebriores in Republica uiri, diuinitus excitati.

24 Nec denique sincerior antiquiorue religio uni populo prae altero dignitatem conciliare potest, quippe quae cum rebus, ad potitiam pertinentibus, nullum habet commercium.

25 Imo nec prioritas subscriptionis ad confirmandum proëdriae ius semper ualet, siquidem ordinis potius, quam dignitatis causa, obtinere potest.

26 Nisi scilicet comparatio aliorum, in pari dignitate constitutorum, adsit, quos quis absolute, non ex respectu peculiari, praecedet uel sequatur.

27 Tum enim ualet regula, si uinco uincentem te, multo magis dat, te uinco.

28 Cum autem inter paucissimos Principes, uel summos Imperantes, praecedentia plane sit definita, ad euitandas, quae inde oriri possent, controuersias, uaria inuenta sunt temperamenta.

29 IV *Promissio* itaque fieri potest, (1) Si scripta tradatur protestatio de non cedendo iure suo.

30 Hac enim impeditur potest, quo minus actus, quo unus alterum praecedat, possessorius, ut dicitur, euadat.

31 (2) Si, simulato morbo, litis euitetur occasio.

32 Cum enim in lecto decumbens, sine caeremonia accessum praebet, ius etiam, quod unus prae altero habere possit, saluum manere creditur.

33 (3) Si conuentus in extraordinario instituatur loco.

34 Sic enim, quasi fortuito casu unus in alterum incidisset, res maximi momenti, sine ulla soliti moris obseruantia, saluo cuiusque iure, decerni possunt.

35 (4) Si de sessione litigantes aequaliter tractentur.

36 Sic enim neuter de facta sibi iniuria conquerendi occasionem nanciscitur, praesertim, ubi mensa orbicularis adhibetur, in qua contententes simul eodemue momento et confident, et cibum potumque accipiunt.

37 (5) Si controuertentes promiscue inter alios locantur.

38 Hoc enim modo nullus obseruatur ordo, ideoque etiam primus ultimum saepe locum, salua dignitate, occupare potest.

39 (6) Si alternatim, seu alternis uicibus, teneatur proëdria.

40 Sic enim neuter altero dignior indigniorue habetur, sed eodem ambo honores obtinent.

41 (7) Si talis obseruatur ordo, qualis sorte euenerit.

42 Sors

42 Sors enim, ut alibi, sic etiam hic, commodissima litium dirimendarum suspendendarumue uia habetur, ut recte existimant Tiraquellus, Goldastus, et Ventura de Valentiis.

43 Plura eius generis temperamenta, praeter auctores, quos infra excitabimus, tradit Trillerus.

44 Nec tantum in causa praecedentiae eiusmodi prouisio locum habere potest, sed etiam in caeremoniis, ad seruandam inter gentes dignitatem pertinentibus.

45 V *Cognatum* quippe iuris proëdriae est obseruantia aulicarum, ut uocantur, caeremoniarum, Gallis le ceremonial dicta, et, si unquam, nostra certe aetate, inter Principes ac Respublicas recepta.

46 Cum enim hac maximae de Principum liberarumque ciuitatum existimatione ac ueneratione opiniones nitantur, eam summo utique studio retineri, ius gentium praecipit.

47 Occurrunt autem caeremoniae potissimum in publicis, iisdemque solemnioribus, gentium actibus, quales sunt inaugurationes, nuptiarum exequiarumue celebritates, comitia, conuentus, receptiones, legatorum admissiones, et similes.

48 Vbi sic ante omnia statui oportet, caeremonias, quae ipsam Principum ciuitatumque dignitatem quodammodo attingere creduntur, inter aequales aequaliter esse dispensandas.

49 Postulat enim hoc gentium, qua talium, paritas, quippe quae non patitur, ut Princeps Principi id sine causa deneget, quod sibi ab aliis exhiberi, uelit.

50 Hinc generalis oritur regula, Quibus caeremoniis unus aequalium fuit honoratus, iisdem alter quoque est dignandus.

51 Quod tamen, ut dixi, de iis potissimum caeremoniis intelligi debet, quae definitae sunt, ordinariae et communi ueluti consuetudine receptae, hocque nomine necessariae censentur, ac prope immutabiles.

52 Quae autem nouae existunt, aut insolitae, uni prae altero, sine iniuria dignitatisque laesione, ex speciali quodam respectu, utique exhiberi possunt.

53 Si enim priuatus libertatem habet certos homines singulari prae aliis amore et honore afficiendi, quidni tale quid Principi, aut Respublicae, liceret?

Cccc 3

54 Pos-

54 Posset hoc ad exsuperantiam amoris, uel honoris, reterri.

55 Quoniam singularis eiusmodi praestationis causa non benevolentia animique propensio semper existit, sed ratio, ut dicitur, status, seu arcanum politicum.

56 Scilicet uel desiderium alterius necessitudinem, amicitiam, societatemque obtinendi, uel egestatis, sub externi splendoris specie occultandae, cura, uel petiti, legato denegandi, compensatio.

57 VI. *Scriptores*, praecipuo hic loco habendi, sunt: (1) Godofredus (2) Howelius (3) Crusius (4) Arumaeus (5) Besoldus (6) Frisius (7) Stoffius (8) Cocceius (9) Zwanzigius (10) Lünigius, alique, maximam partem allegati in *Ethica* p. 157. pos. 42 et 43.

58 VII. *Axiomata* sunt: (1) Praeeminentiam et honoris praerogatiuam merito sibi uindicant Principes, summique Imperantes, quorum proprium est de honore et gloria certare.

59 (2) Consistit enim honor et dignitas in prioritate, ac primo plerumque loco honorabilior sedet.

60 (3) Et denegatae iniuria praeeminentiae, saltem exemplo, nocet, dignitatisque confusionem parit.

61 (4) Idcirco legatorum utique est, praecedentiae ius omnibus modis defendere, nisi aliud quid ipsis sit mandatum.

62 (5) Quippe ordines dignitatumque gradus publico fauore ad societatem humanam, in pace et concordia seruandam, recepti sunt.

63 (6) Cum autem funesta saepe gentibus de iure proëdriae controuersia extiterit, ea, quoad eius fieri potest, euitari debet.

64 (7) Humanitate potius et ciuilitate, quam arrogantia et uolentia, praerogatiuam tueri conuenit.

65 (8) Praesertim cum actus bellici praecedentiae litem non tolerant, sed noua identidem acerbitate augeant.

66 (9) Nec decisio, ab amicis, uel arbitris, facta, ius constans parit, sed inter certas tantum personas lites ex conducto, seu compromisso, suspendit.

67 (10) Proinde plaeraeque circa praecedentiam lites ob humani defectum iudicii indecisae manent.

68 (11) Prudentiores autem Principes, ut alia officiorum genera, ita huiusmodi honores singulatim sibi stipulari solent.

69 (12)

69 (12) Nec tanti semper praecedentiam aestimant, quin publici boni, ac negotiorum, citius expediendorum, causa quid remittant.

70 (13) Quid? quod ciuitati etiam ac modestiae, quae in materia sessionis obligationem haud pariunt, interdum aliquid dare non uerentur.

MEMBRUM II.

DE

I. G. CIRCA ACTVS, CERTVM STATVM
RESPICIENTES.

Status Gentium uel belli est, uel pacis.

ARTICVLVS I.

DE

I. G. IN STATV BELL.

Bellum uel suscipiendum est, uel agendum, uel finiendum.

INSPECTIO I.

DE

I. G. CIRCA BELLVM SVSCIPIENDVM.

Bifariam considerari potest bellum suscipiendum, generatim, qua naturam eius, seu indolem, et speciatim, ratione indictionis.

DISCVRSVS I.

DE

BELLO, GENERATIM CONSIDERATO.

I. *Notatio nominis.* II. *Definitio.* III. *Licentia.* IV. *Causae.* V. *Diuisio.* VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.* I I.

Nomen belli uarie a uariis scriptoribus f. doctoribus deriuari solet. 2 Alii id ducunt a nomine, bellum, quod idem est ac pulchrum, ideo quia uel respectu pacis, bello quaesitae, pulchrum haberi debeat, uel κατ' ἀντίφρασιν minime fit pulchrum.

3 Alii a belua id oriri putant, quia in bello plus furoris beluini, quam Rationis humanae infit.

4 Alii denique a Graeco βέλος, quod telum denotat, originem arcessunt, quoniam telis utrinque bellum geri soleat.

5 Sed rectius sentiunt illi, qui a duello id descendere, docent, quippe

pe cum duellum olim pro bello fuerit usurpatum, sicuti perduelles primum dicti sunt hostes.

6 Bifariam quoque a scriptoribus passim accipitur bellum, modo improprie, modo proprie.

7 Improprie sumitur, e.g. pro certamine literario, pro lucta mentis, seu bello spirituali, tum intellectuali, tum morali, de quo erudite scripsit Becmannus.

8 Proprie autem acceptum, est certatio per uim externam, ob certam causam, inter certas personas licite instituta.

9 Il *Definitur* hoc sensu bellum, quod sit iusta armorum publicorum susceptio, propulsandae uindicae uel iniuriae, simulque pacis, quam alter proterue uiolauit, restituendae, causa, facta.

10 Quae quidem definitio ad bellum, pro actu sumtum, pertinet.

11 Quando uero statum complectitur, dici potest status eorum, qui, iurium suorum, uel tuendorum, uel uindicanorum causa, publicis armis legitime decertant.

12 Scilicet duplex haec belli consideratio locum habere potest.

13 Prior ratione effectus, a causa producti, nimirum actionis, per quam status ille turbulentus introducit.

14 Posterior respectu qualitatis, conditionis, et durationis, in quam publicus status duorum concertatione hostium coniicitur.

15 III *Licentia* suscipiendi agendique bellum naturali conseruationis ac defensionis necessitate nritur.

16 Vt enim hominibus priuatis, in statu naturali constitutis, se suosque, etiam cum aduersarii morte, in casu necessitatis defendere licet.

17 Ita gentes, superiorem in terra iudicem non habentes, uiolento pariter modo se suosque tueri possunt, nisi alia sese expediendi uia suppetat.

18 Id ergo et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris ipsa natura praelicripit, ut omnem semper uim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a uita sua propulsarent, ut belle loquitur Cicero.

19 Quod quidem hoc magis inter gentes obtinere debet, quod eae, qua tales, ab humano immunes imperio, adeoque nullum, ut dixi-

diximus, iudicem habentes, sibi met ipsis ius, naturae ac gentium legibus conuenienter, dicere debent.

20 Ac proinde frustra sunt, qui omnia prorsus bella prohibita, saltem Christianis illicita esse, censent cum Socinianis, Anabaptistis, et nonnullis, indiscreto religionis zelo abreptis, scriptoribus.

21 Quemadmodum uero ad priuatum iudicium, siquidem legitimum esse debet, quaedam necessario requiruntur, sic certa etiam ratione bellum constare oportet.

22 Scilicet ad iudicium requiruntur (1) tentata ante disceptationem amicabilis compositio, (2) iudex competens, et sufficienti auctoritate instructus, (3) iusta litigandi causa, (4) legitima procedendi forma.

23 Pari modo legitimum reddunt bellum (1) uiae lenioris tentatio, (2) personae ius belligerandi habentes, (3) causa iustifica, (4) modus iure gentium definitus.

24 Quae quidem omnia suis, prout ordinis ratio tulerit, locis sigillatim exponemus.

25 Hic tantum in primis notari merentur leniora illa remedia, quae ante, quam in bellum prorumpatur, adhiberi, fas est.

26 Talia autem sunt ea omnia, quibus gentium controuersias, partim leniore, partim uiolentiore modo, componi posse, supra docuimus.

27 Nempe colloquia, amici, mediatores, arbitri, fors, certamen singulare, repressalia, quae duo posteriora etiam affinia belli dicuntur.

28 Addunt nonnulli tumultum, seu irruptionem hostilem inopinatam et repentinam hostium inquilinorum, uel uicinarum, sine clarigatione factam, adeoque a bello diuersam.

29 Quippe quod hostilis quidem inuasio sit, sed praeuisa, rite denuntiata, et lentius sese exerens.

30 Sed, ratione melius subducta, dicendum est, bellum esse ipsam inuasionem hostilem, tam subitam et improuisam, quam lentam, et clarigatione indictam, tumultum uero perturbationem, eo ortam.

31 IV *Causae* belli potiores, hic considerandae, sunt efficiens, impulsiva, et finalis, cum de formali infra agendi sit locus.

32 Causa efficiens uel principalis est, uel instrumentalis.

D d d d

33 Prin-

33 Principalis sunt summi Principes, aut Imperantes, iura Maiestatis, quibus ius belli et pacis comprehenditur, habentes.

34 Etenim tales, quippe inter se pares, nec humano subiecti imperio, suas aduersus se inuicem causas in iudicio agere non possunt, adeoque ad arma recurrant, necesse est.

35 Contra homines priuati, siquidem in statu ciuili iudicis auxilium habere possunt, uiolenta disceptatione haud egent, nisi in extremæ necessitatis casu auxilium tale, saltem ad momentum, cesset.

36 Ergo Princeps, bellum cum altero gerens, non tanquam superior, seu iudex, in inferiores, sed tanquam membrum aequalis gentium societatis, ius tale exercet.

37 Nimirum haud secus, ac priuati, ut diximus, in statu naturali, saltem extraordinario, deficiente Magistratus ope, nec obstante lege, se suosque defendere possunt.

38 Instrumentalis, seu minus principalis, aut media causa uel animata est, uel inanimata.

39 Animata sunt milites, cum officiales, tum gregarii, quales sunt subditi, cuiuscunque fuerint status, aut conditionis.

40 A quibus tamen olim excipiebantur serui, quorum dedecore rei militaris dignitas maculari haud debebat.

41 Hodie excipiuntur clerici et foeminae, illi quidem ob muneris sanctitatem, hae autem propter sexus infirmitatem.

42 Inanimata sunt apparatus bellicus, et instrumenta bellica, e. g. pecunia, annona, arma ductilia, et machinae bellicae.

43 Causa impulsiva uel suasoria est, quae sub ratione utilis, uel iustifica, quae sub ratione iusti ad bellum suscipiendum mouet.

44 Suasoria, seu occulta, esse potest æmulationis studium et inuidia, uel metus, ex crescente alterius potentia ortus, uel officiorum, imperfecte debitorum, denegatio, uel imperii amplificandi occasio.

45 Iustifica uero esse debet uel necessaria uitae, aut bonorum, defensio, uel iusta laesionis uindictio, uel legitima ablatorum recuperatio, uel praestationum, iure perfecto debitarum, obtentio.

46 De quibus omnibus, praeter Grotium, Pufendorfium, Kestnerum, Textorem aliosque, legi possunt Meisnerus, et Röhrensee.

47 Causa finalis uel proxima est, uel remota.

48 Proxi-

48 Proxima, s. intermedia et particularis, esse potest uictoria, uirum hostilium diminutio, et propriarum augmentatio, s. collectio.

49 Remota uero, seu ultima, et uniuersalis, iniuriae propulsatio, uel uindictio, ablatorum recuperatio, securitatis conseruatio, iurum suorum fruitio.

50 V. *Diuidi* hinc bellum uarie potest, pro uario nimirum respectu.

51 Ratione causae efficientis, et formalis, uel solemne est, h. e. publice indictum, uel minus solemne, h. e. sine clarigatione illatum.

52 Ratione obiecti, uel intestinum est, seu ciuile, quod cum ciuibus geritur, uel externum, seu hosticum, quod cum exteris intercedit.

53 Ratione causae impulsuæ et finalis, uel defensuum est, in specie sic dictum, quod aduersus inuaforem, iniuriae imminentis propulsandae causa, geritur, uel offensuum, seu illatuum, aut uindictuum, quod satisfactionem deneganti, iniuriae illatae uindictandae causa, infertur.

54 Ratione adjunctorum, et quidem loci, uel uicinum est, uel remotum, aliud terrestre, aliud nauale, ratione temporis autem, uel continuum, uel interruptum.

55 VI. *Scriptores*, huc referendi, non eiusdem, sed diuersi sunt generis.

56 Alii quippe de re militari ueterum scripserunt, e. g. (1) Albericus Gentilis, (2) Vegetius, (3) Valtrinus, (4) Onofander, (5) Paulius, (6) Ramus, (7) Salmasius, (8) Lipsius.

57 Alii de recentiorum arte bellica tractarunt, e. g. (1) Ayala, (2) Besoldus, (3) Rocca, (4) Hugo, (5) Naudaeus, (6) Machiauellus, (7) Strauolscius, (8) Monlucius, (9) Montecucoli, (10) Frombergerus, (11) Schwendi, (12) Uptonus.

58 Alii de iure militari, eiusue praxi, commentati sunt, e. g. (1) Zouchaeus, (2) Lobrinus, (3) Hoyerus, (4) Pappus, (5) Stalburgerus, (6) Feldmannus, (7) Schroeterus, (8) Seyfridus.

59 Alii de ducibus belli ac militibus, eorumque officiis, priuilegiis etc. praecepta consignarunt, uti (1) Petrarcha, (2) Zieglerus, (3) Tielemannus, (4) Engelbrechtus, (5) Schroeterus, (6) Bodinus, (7) de Ströcken.

60 Alii denique speciatim de iure belli et militiae Imperii nostri Romano-Germanici scripta prodiderunt, uti (1) Mylerus ab Ehren-

bach, (2) Grundgreifferus, (3) Guftmeyerus, (4) Stryckius, aliique.

61 Nouiffime de studio militari opus, fortaffe non inconcinnum, meditatione academica promifit Ciefius.

62 VII. *Axiomata* funt (1) Duo praecipua omnis Imperii fulcra exiftunt, leges et arma.

63 (2) Idcirco utramque, et regnandi, et bellandi, fcientiam neceffariam perinde, atq; eximiam praedicat Imperator in prooem. I. et Nouel. 26. c. 1. nec non l. un. princip. C. de Iuftin. Cod. confirm.

64 (3) Et tanti habetur rei militaris dignitas, ut ICti etiam et cauffarum patroni dicantur milites togati.

65 (4) Imo dubium multis uidetur, pacis ne, an belli artes excellentiores debeant haberi, cum uirtutem militarem ceteris omnibus praeflare, aiat Cicero.

66 (5) Certe maximo femper studio ambae funt coniungendae.

67 (6) Sic enim fieri poteft, ut et pace bene beateque frui, et bellum iufte feliciterque administrare contingat.

68 (7) Scilicet iufta demum cauffa, feu, ueteri formula, iuftum piumque bellum felices parit exitus.

69 (8) Ideo pius quondam Imperator, Theodofius, dixit, non armis, fed iuftis cauffis imperatoriam stare aciem.

70 (9) Nam actus iuftitiae eft bellum, et fummus uindictae gradus, qui non, nifi ob iuftam fufficientemque cauffam, fufcipi debet.

71 (10) Equidem bellum utrinque uix iuftum effe poteft, et fi uterque belligerantium cauffam fuam iuftiorem effe, fibi fuisque perfuadeat.

72 (11) Attamen bona potiffimum fides hic requiritur, qua, cauffa admodum dubia, non aliis iniuriam fe inferre, fed illatam auferre, belligerans credat.

73 (12) Ergo gerendum eft bellum ex pacis, fecuritatis, et iuftitiae amore, non ex auaritia, ambitione, aut perfonarum odio.

74 (13) Iufta bellandi cauffa iurium tuendorum, aut uindictarum, neceffitate fubniti debet.

75 (14) Proinde bellum, ex fuaforiis duntaxat cauffis fufceptum, latrocinium potius, quam bellum, uocari meretur.

76 (15) In fufcipiendo quippe bello ea eft negotii grauitas, ut probabili-

babilibus causis non contenta quam maxime evidentes requirat, ut loquitur Zouchaeus.

77 (16) Quapropter nec causa, dudum transacta, nec possessio praescripta, nec conuentio, metu inita, nec similis praetextus bellum iure gentium reddit licitum.

78 (17) Nec, gliscente potentia, alter alterum opprimere debet, nisi inuadendi nocendiue animus moraliter sit certus, ut peculiari dissertatione docui.

79 (18) Imo nec idololatria, aliaeue crimina iustam belli causam praebere possunt, nisi diuinum adsit mandatum.

80 (19) Quo quidem ea nituntur decertationes, quae bella domini, seu legalia, dici solent, egregie descripta a Becmanno.

81 (20) Latent uero plerumque belli causae, qualibet belligerantium parte de iustis, ut diximus, causis gloriante.

82 (21) Idcirco iudicium partis tamdiu ualere dicendum est, quamdiu armorum iustitia non fuerit probata.

83 (22) Quid uero iustum reddat bellum, ac legitimum, ex proprio gentium iure cognosci debet.

84 (23) Ac proinde leges Romanae ad decidendas belli contro- uersias parum momenti afferunt.

DISCURSUS II.

DE

BELLO, SPECIATIM CONSIDERATO, RA-
TIONE INDICATIONIS.I. *Definitio.* II. *Neccessitas.* III. *Modus.* IV. *Axiomata.*

I. I.

Definiri potest indictio per publicam belli decreti significationem, alteri parti cum mentione causae I. G. conuenienter factam.

2 Dicitur indictio, seu edictum, alio nomine clarigatio, h. e. rerum raptarum repetitio, olim a fecialibus, et maxime ab eorum principe, patre parato, uerbena (*ἱερὴ Φορῆματι*) coronato, clara uoce facta, explicante Seruio.

3 Vnde clarigatum mitti scriptoribus idem est, atque ad res, clara uoce repetendas, mitti.

4 Equidem indictio et clarigatio ita differre uulgo dicuntur,

D d d d 3

ut

ut illa sit pura, h. e. nullam conditionem de praestanda ultro satisfactione continens, haec uero conditionata, h. e. conditionem, expresse additam, complectens.

5 At enim uero, cum omnis denuntiatio, conditione facita, nisi alter satisfactionem praestet, niri uideatur, distinctio talis non omnibus probatur.

6 Diuersa ab isthac acceptione est ea, qua clarigatio repressalias, et sigillatim apprehensionem personarum (ἀνδραλωψίαν) denotat.

7 Dicimus, indictionem iuri gentium conuenienter esse faciendam, et necessitatem, et modum his uerbis indicantes.

8 II. *Necessitas* igitur ex fine, propter quem adhiberi debet indictio, aestimanda est.

9 Est autem finis, (1) ut pars laedens hostilitatis, nisi satisfactio praestetur, certissime futurae praemoneatur, adeoque secum deliberare possit, utrum satius sit pacem retinere, an bellum experiri.

10 (2) Vt toti ueluti generi humano causa belli, naturae ac gentium legibus iudicanda, innotescat, sicque causa iustior facilius, iniustior difficilior auxilium consequatur.

11 (3) Vt meliori ordine ac decore bellum geratur, coërceaturque saeua et quasi beluina in pugnas ruendi libido.

12 Has igitur ob causas tam necessaria habetur indictio, ut in ius gentium deliquisse dicatur, qui bello, non indicto, hostem petierit.

13 Idque hoc magis, quod ipse Deus tam legalis, quam ultronei, belli denuntiationem Ebraeis olim serio praecepit, testibus Cunnæo, Seldeno, Schickardo, aliisque rerum Iudaicarum scriptoribus.

14 Idcirco bellum non indictum (πάλεμόν ἀκήρυκτον) inferre, iniustitiam (ἀνομίαν) uocat Iosephus.

15 Certos tamen casus, in quibus indictio, saluo gentium iure, omitti possit, nonnulli doctores excipiunt.

16 Scilicet, si bellum uel ex necessaria sui defensione, uel ob temerariam legati uiolationem, uel cum hostibus iam manifestis gerendum sit.

17 Tum enim causae, cur fieri debeat indictio, cessare uidentur.

18 III. *Modus* autem indicendi generatim talis esse debet, ut bellum, alteri decretum, rite innotescat, siue ipsi imperanti, siue uni ex eius-

eiusdem ministris, tam rogatis, quam sagatis, fiat declaratio.

19 Speciatim uero fieri potest uel per Feciales, ut olim, uel per Manifesta, ut hodie:

20 Feciales uulgo a faciendo dicti creduntur, quia bellum pacemque faciendi ius penes eosdem fuit.

21 Vnde et belli pacisque arbitri, sacerdotes, ac praefides sunt dicti.

22 Dionysio Halicarnassensi uocantur *εἰρηνοδῖται*, quoniam Romani, quippe bellorum iustitiam si non obtinentes semper, saltem affectantes, non, nisi consulto fecialium collegio, belli pacisque rationem inire solebant.

23 Quapropter grauissimus Romanorum consul dicit, belli aequitatem sanctissime feciali Populi Romani iure praescriptam esse, ex quo intelligi detur, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum aperte sit, et indictum.

24 Comparantur cum interpellatoribus debitorum, quia de praestanda satisfactione monere debebant eos, ad quos mittebantur.

25 Oritur hinc ius feciale, quod tamen bifariam a scriptoribus identidem accipi solet.

26 Scilicet, uel generaliter prouniuerso belli, pacis, foederumque iure, uel specialiter pro iure indicendi bellum.

27 Quae quidem acceptio notari in primis meretur propter ius feciale diuinum, quale quidem scripsit Pufendorfius, opere posthumo editum, et examinatum a laegero.

28 Describi autem possunt feciales per certas personas, ad id auctoritate publica delectas, ut bellum, rite decretum, certis sub conditionibus certisque solemnitatibus, seu caeremoniis denuntient.

29 Aliis dicuntur legati, ad eos solemniter missi, quibus ob rapinas illatas, nisi satisfactio fuerit data, bellum publico nomine indicendum fuit.

30 Officium igitur eorum has maxime partes complectebatur.

31 (1) Iudicio perpetuo de illatis, tum Romanorum, tum aliorum iniuriis cognoscere, et, an bello uindicandae sint, nec ne, statuere.

32 (2) Bellum, iuxta ex causa decretum, formula solemnī (qualem Liuius, Nonius alique exhibent) palam indicare.

33 (3) Populum Romanum a bellis iniustis, foederatae cuiuspiam ciui-

ciuitati interendis, retinere, eundemque legibus ac moribus, ad belli pacisue studium pertinentibus, instituere.

34 (4) Imperatorum delicta, contra iusiurandum ac foedus admissa, expiare, aliaque huius generis munera obire, uberius exposita ab allegato Dionysio.

35 Distinguebantur uero in certum collegium, uiginti circiter uiris compositum, cui pater patratus praeerat.

36 Quanquam de numero inter doctores non conuenit, aliis plures, aliis uero pauciores perhibentibus.

37 Nec eadem ab omnibus statuitur origo fecialium, cum modo ad Ancum Martium, modo ad Numam Pompilium, ambos Aequicolarum, uel Arteatium instituta secutos, referri soleat.

38 Quibus autem solemnitatibus in denuntiando potissimum bello officium suum perfecerint, passim commemorant scriptores.

39 Quales quidem partim antiquiores sunt, uti Varro, Turnebus, et modo excitatus Dionysius, partim recentiores, nominatim Marselaër, Boeclerus, Müllerus et Clodius.

40 Manifesta sunt libelli publici, quibus gens genti belli suscipiendi, uel iam suscepti, causas exponit.

41 Boeclerus ea describit per scripta publica, quae Princeps, uel Respublica, in bellorum principiis ad ius suum declarandum, itemque iustas belli causas omnibus ac singulis demonstrandas, toti orbi exponit, omniumque lectioni commendat.

42 Nomen habent a fine, seu causa, cur adhiberi soleant.

43 Debent nimirum belli causas reddere manifestas, ideo, ut et bellantium aestimationi consulant, amota de armorum infamia suspicione, et probabilem iuris exequendi spem faciant, patrocinate bellantibus causae iustitiae.

44 Quanquam ita saepius sunt comparata, ut apparentes tantum et fictas declarent causas, ueras silentio tegant.

45 Unde etiam, ratione materiae et formae, in uera, seu iustificanti, et simulata, seu coloranti, diuidi solent.

46 Illa sunt, quae causas reuera iustas naturali simplicitate exhibent, bellumque iustum reddunt.

47 Haec uero, quae bello, ex suasoria causa suscepto, fucos uarios-

variosque titulos praetexunt, idque speciosum repraesentant.

48 Addunt aliqui genus mixtum, quo uera cum fictis miscentur.

49 Vt autem recte se habeant Manifesta, finemque, quem diximus, consequi possint, tria potissimum requiruntur, (1) honestas, (2) grauitas, (3) breuitas.

50 Honestas complectitur dictionem modestam et aequam, ne clarigans, uana sui iactantia, hosti probra obiiciat et contumelias.

51 Grauitas postulat, ut uerba perspicua, magnifica, et decora auctoritati scribentis respondeant.

52 Breuitas ideo commendatur, quod scripta, uerbosis ambagibus membrisque diffusis distincta, a legendo deterreant.

53 Plura de iis cogniturus, scriptores, paulo ante excitatos, adire potest.

54 IV. *Axiomata* sunt: (1) Vt definitiua iudicis sententia uim rei iudicatae consequitur, ita bellum publicum, rite indictum, peculiare habet effectus.

55 (2) Quapropter indictio, tanquam ultimum de satisfaciendo monitum, adeo necessaria lure Gentium habenda est, ut etiam cum concessione certi ad deliberandum spatii fieri debeat, secus, ac Grotius putare uidetur.

56 (3) Si enim in bello priuato tantum temporis aduersario dandum est, quo saltem arma expedire, et certamini se accingere possit, quidni in publico bello hosti, ad ineundam status sui rationem, aliquod indulgendum esset interuallum?

57 (4) Certe a dolo, aut latrocinii culpa, uix abesse potest, qui imparatum adoriri, et statim a facta denuntiatione in hostem profiliare audet.

58 (5) Nam frustra bellum indicitur, nisi et finem indictionis obtinere detur.

59 (6) Non uero immediate ad eum, qui bello petitur, denuntiationem dirigi oportet, sed sufficit, si ea quocunque modo in illius notitiam peruenit.

60 (7) Indictio autem ei, qui rerum summam tenet, facta, omnibus eiusdem subditis ac sociis facta censetur.

61 (8) Quod si hostes omnem aequitatis rationem prorsus reiicere,

E e e

re,

re, nec, quicquid poscatur dicaturue, pensi habere uidentur, suscepto demum bello, causae exponi possunt.

62(9) Imo omitti plane potest solemnisi belli denuntiatio, si ea hostibus manifestis pugnam potius maturandi, quam animum mutandi occusionem praebere intelligitur.

63(10) Quoties uero, postulante G. Iure, belli causa Manifesto est exponenda, id agi oportet, ut non, nisi uera et iusta exponatur.

64(11) Nam Principes, Dei uicarios, et ueritati, et iustitiae omnino studere decet, quippe quae ad res, feliciter laudabiliterque gerendas, magnum habent momentum.

65(12) Idcirco fidei sinceritatisque instrumenta, non officiarum inuolucra, et Pseudo-Politicorum artificia sint Manifesta.

66(13) Nec probris scateant, aut cauillationibus, sed, rerum acerbitate uerbis mitioribus temperata, animi aequi bonique signa exhibeant.

67(14) Imo honorificas etiam compellationes, prout uel cognatio tulerit, uel humanitas, inter ipsa misceant dissidia.

68(15) Indignum enim Maiestate Gentium est, calorum instar et lixarum, mutuis se proscindere conuiciis.

INSPECTIO II.

DE

I. G. CIRCA BELLVM AGENDVM.

Considerari hic debent (1) Personae bellantes, (2) Res bellantium, (3) Modus bellandi, (4) Effecta belli, (5) Status, bello contradistinctus, seu Neutralitas,

DISCURSVS I.

DE

I. G. CIRCA PERSONAS BELLANTES.

I. *Nominatio.* II. *Ius.* III. *Fundamentum.* IV. *Axiomata.*

I I.

Nominantur personae bellantes, recepto in uulgus uocabulo, Hostes, h. e. tales, quibus bellum, publice decretum et indictum, cum aliis intercedit.

2 Quapropter hostes esse, qui Romanis, aut quibus Romani publice

blice bellum decreuerint, ceteros autem latrunculos, uel praedones, dicit Ictus in l. 118. ff. de V. S. et l. 14. ff. de Capti.

3 Quos autem nunc hostes uocamus, eos, ut supra diximus, antiqui uocabant perduelles, at hostium nomine peregrinos significabant.

4 Quo sensu ab hostiando, h. e. aequando, hostium nomen ducitur, ideo, quod pari cum ciuibus iure censerentur peregrini.

5 A quo etiam Hostilinae, Deae, nomen fuit impositum, quod ei sacra fiebant, cum segetes nouis aequarentur aristis.

6 Hostium igitur nomine in bello omnes ueniunt, qui hostilia exercere, seu damnum quocunq; modo inferre possunt ac student.

7 Tales sunt cuiuscunque nationis, sexus, aetatis, et conditionis homines, in hostico existentes.

8 Quippe hostium corpus, ut alia corpora moralia, unum, adeoque una etiam omnium membrorum culpa esse censetur.

9 Quanquam in exercendis hostilitatis actibus, unius prae altero rationem habere, ipsa iubet humanitas.

10 Idcirco infantibus, foeminis, senibus, literatis, sacerdotibus, agricolis, mercatoribus, deditis suppliciter orantibus, similibusque personis in bello utique parcendum est.

11 Nam ipsa uel aetatis, uel sexus, uel officii, uel miseriae ratio aduersus bellorum pericula iis subuenire iudicatur.

12 Eatenus scilicet, quoad nullum ab illis damnum infertur, uel saltem inferri posse uidetur.

13 Quare, si mulieres hostilem adhibeant uim, uel etiam, uirili indutae habitu, pugnis ac praeliis interueniant, eoque ipso uiros potius agant, quam foeminas, fauore eiusmodi excidere censentur.

14 Et senes ideo, quod consiliis plus nocere possunt hosti, quam adollescentes armis et uiribus, saepius interfici solent.

15 Nec iis, qui pure, et sine conditione, discretioni, h. e. moderationi, humanitati ac misericordiae se dedunt, semper parcur, praesertim ubi multitudo captorum metum excitare uidetur.

16 Supplices adeo nullam saepe gratiam ab hoste obtinent, ut et seuerius tractentur, si pertinaciores in resistendo fuerint.

17 Imo, hostes quam plurimos ne ullum quidem personarum discrimen attendere, sed inermes et insontes perinde, ac nocentes,

ab hostibus, iniustam sui inuasionem, nel grauem suorum cladem insigniter uindicaturis, saepe tractari, multis exemplis testantur Zouchaeus et Müllerus.

18 Adeo misera res est bellum, ut raro iuris seruentur limites.

19 II. *Ius* uero in hostem nihil aliud est, quam facultas quaedam moralis hostem publicum, citra ullam homicidii culpam, in persona eius et subditis offendendi et occidendi.

20 Ergo laedendi nocendiue licentia non ui ac potentia naturali nititur, sed concessione, seu potestate quadam morali.

21 Habito nimirum respectu belli, tuendorum, aut uindicandorum, iurium causa, N. et G. legibus conuenienter suscepti.

22 III. *Fundamentum* igitur non est consensus belligerantium, siue expressus, siue tacitus, siue praesumptus, neque iuris, ui cuius alioquin gens a gentis laesione tuta existit, renuntiatio, sed necessitas medii ad finem obtinendum unici, adaequati, et certi.

23 Siue finis spectetur uniuersalis, qualis est pax, et securitas publica, siue particularis, e. g. uirium hostilium debilitatio.

24 Scilicet bellum nihil aliud est, quam uiolenta rerum, iniuste negatarum, persecutio.

25 Quae, siquidem sine laesione, caede et sanguine fieri non potest, tamdiu et laedere hostem, et occidere licet, quamdiu is ea, quae alteri debet, adeo denegat, ut etiam uim inferre aufit.

26 Necessitas enim finis ius facit in moralibus.

27 Ergo sat amplum quidem ius in hostem est, ita tamen comparratum, ut tum obiecti, tum modi rationem haberi oporteat.

28 De obiecto iam diximus, qualis uero bellandi modus iure Gentium, proprie, aut stricte, sic dicto, sit licitus, infra dicemus.

29 IV. *Axiomata* sunt: (1) Sicuti omnis belli iustitia tuendi uindicandique iuris sui necessitate nititur, ita omnis etiam coactio, tam cruenta, quam incruenta, ob eandem causam licere censenda est.

30 (2) Maxime si terror, ex caedibus accumulatis proueniens, unicuique et certissimum aduersus ferociam hostis existit remedium.

31 (3) Cum autem finis modum et mensuram det medijs, nulla in hostem uis ultra necessitatem istam extendi debet.

32 (4) Proinde omnis crudelitas, citra necessitatem finis adhibita, et honestati, et humanitati, repugnat.

33 (5)

33 (5) Tantum enim abest, ut bellum, quantacunque eius sit licentia, deposito animo humano, sit gerendum, ut potius etiam iustum laedendi modum humanitate temperari oporteat.

DISCVRSVS II.

DE

I. G. CIRCA RES BELLANTIVM.

I. *Ins.* II. *Obiectum.* III. *Axiomata.*

I. I.

Ius, quod hostis in res hostium habet, consistit in facultate eas, citra ullum furti crimen, auferendi, imo, si necessitas, aut ratio belli, tulerit, perdendi, aut destruendi.

2 Dico, in facultate, scilicet morali, qualis ex armorum iustitia finisque, propter quem bellum geri oportere, supra diximus, necessitate nascitur.

3 Ergo nec consensus belligerantium mutuus, nec conductum aliquod, ut multi putant, hic subest.

4 Multo minus ex saeva agendum est libidine, modoue promiscuo, sed quicquid Iure Gentium hic licere possit, id eodem niti debet fundamento, quo ius in personas hostium constare, diximus.

5 Cum enim omnium actionum bellicarum idem debeat esse finis, ita etiam perinde cum rebus, atque personis, agendum est, prout necessitas finis postulaverit.

6 Quo posito, facile apparet, res hostiles, necessitate isthac flagitante, eripi, devastari, ac corumpi posse.

7 Qui enim in personas ius habet, ut maius quicquam, is etiam ius in res, ut aliquid minus, habere censetur.

8 Si igitur hostem vulnerare, imo et occidere iure belli licet, eum et bonis spoliare, eiusne res perdere, non iniustum erit.

9 Res enim personarum sunt accessiones, adeoque eidem subiectae iuri, quod erga personas in bello exerceri potest.

10 Dummodo sint res vere hostiles, nec, singulari pacto de non perdendo, communi rerum hostilium censu exemptae.

11 Cum enim pacta etiam hosti servari debeant, rapinis, ac vastationibus, contra datam ab se fidem, indulgere, ipsa N. lege nefas est.

12 Proinde res eorum, qui inter hostes forte deprehendantur,

Eeee 3

hostilis

hostilis uero ciuitatis membra haud existunt, bellica isthac sorte immunes censi debent.

13 Nisi scilicet hostis uel oppignorationis, uel detentionis, uel alio nomine certum in eadem ius habeat.

14 Tum enim praedae hostili non minus cedunt, quam si actu hosti fuerint propriae, aut hosti ereptae.

15 Nam omne ius, quod hostis habet, non minus, quam res ipsa, uictori cedit.

16 II. *Obiectum* igitur potestatis eiusmodi hostilis sunt omnis generis res, tam mobiles, quam immobiles, cum sacrae, aut religiosae, tum profanae, publicae perinde, ac priuatae.

17 De mobilibus quidem et immobilibus, e. g. urbibus, praediis, uicis, pecuniis, pecoribus et armentis, nullum est dubium, quin iuri hostili subsint.

18 De ceteris autem inter I. G. doctores non conuenit.

19 Quippe res sacras, e. g. bona ecclesiastica, uasa, simulacra, aliaque templorum ornamenta, imo et ipsa templa, lure Belli haud comprehendere, multi disputant.

20 Ideo nempe, (1) quia res tales Deo sint propriae, qui ueluti quaesitum in eadem ius habeat, (2) quia res ecclesiae omnis iurisdictionis ciuilis sint expertes, (3) quia reuerentia, rebus eiusmodi debita, prohibeat, quo minus instar rerum secularium habeantur.

21 Verum eo facilius hic suppetit responsio, quo notius est, assertum hoc maximam partem falsa illa inniti hypothesi, qua Pontificii doctores ecclesiam, ueluti hierarchiam quandam, a Republica distinctam, fingunt, adeoque eandem cum omnibus rebus, ad ipsam pertinentibus, imperio ciuili subtrahunt.

22 Quod figmentum a uiriscordatioribus dudum est explosum.

23 Proinde responderi potest ad (1) concedendo, res sacras Deo dici proprias, sed eo sensu, quo Deus aequali iure rerum omnium est dominus, ita, ut res sacras perinde, ac seculares, certo tempore in hominum usus conuerti, patiat.

24 Cum igitur imperans, exigente Reipublicae necessitate, res sacras sacro, cui easdem destinauerat, usu eximere, et ad ciuilem transferre possit, quidni hosti res sacras perinde, ac seculares, publi-

publicae satisfactionis nomine, Belli iure, suas facere liceret?

25 Ad (2) negando, Ecclesiam resue ulla, ad ipsam spectantes, talem habere immunitatem.

26 Ecclesia, prout infra dicemus, in Republica, ut societas, collegium, aut uniuersitas, existit, nec, nisi sacro ab ea respectu distat, adeoq;, saltem ratione directionis externae, ciuili imperio subest.

27 Quicquid igitur potestatis in Ecclesiam, resque eidem destinatas, imperans habet, id, eo deuicto, hostis habere censendus est.

28 Ad (3) distinguendo inter reuerentiam, rei, pro ipsa eius natura, absolute debitam, et eam, quae humano duntaxat instituto certoue respectu subnititur.

29 Res sacrae, quamdiu ad sacrum usum manent destinatae, utique ab hominibus aliter aestimari debent, quam res communes, ad usus promiscuos adhiberi solitae.

30 At, simulac usus eiusmodi cessat, sacer quoque respectus cessare dicendus est.

31 Posse uero res sacras sacro rursus usu priuari, ex eo iam demonstrauius, quod Principis, seu Imperantis, uoluntate ueluti in censum rerum sacrarum sint relatae, adeoque eadem uoluntate eo rursus eximi possint.

32 Cum igitur res sacrae non interna qualitate, sed externa impositione, tales existant, tum magis ab hoste occupari possunt, si uel peruerso destinatae cului, uel ab illis ipsis, ad quos pertinent, ad usus profanos sint adhibitae.

33 Sic Carolus M. fana Saxonum destruxit, quia, ut Christianus, erga sacra gentis non-Christianae nullam habuit uenerationem.

34 Et Titus Vespasianus Iudaeorum templo parcere noluit, postquam ipsi, castellum id esse, maluerant.

35 Romani fana ac delubra plerumque spoliabant, quia Deos tutelares, certo carmine euocatos, urbe expugnata, recessisse, credebant, prout ex instituto id exposuerunt Cocceius et Bergerus.

36 Verumtamen hic etiam belli rigorem quodammodo temperandum esse, crediderim.

37 Graecos sane, cum maxime ferueret bellum, singulari quadam reuerentia templis pepercisse, manumque a sacris abstinuisse domiciliis, inter alios praedicat Schurzleischius.

38 Quod

38 Quod quidem exemplum tum maxime imitandum est, si diruendi templa, resque sacras ad profanos plane usus transferendi nulla apparet necessitas.

39 Idcirco praeclare egisse Saxonas, quod Pontificiorum collegia non abolere, sed restituere ac reddere auito sacro, scholisque insuper amplificandis materiam dare uoluerint, idem scribit Schurzleischius.

40 Equidem in spoliandis perdendisue rebus sacris duo potissimum cauenda esse, putauerim, tum, ne propria diripientis, uel profanantis, conscientia laedatur, tum, ne hostilis exacerbetur animus.

41 Prius ita accipiendum est, ut, etiamsi quis, e. g. simulacris Numinis quicquam inesse, falso sit persuasus, tamen ea uiolare, aut corrumpere, haud debeat.

42 Cum enim contra erroneam quoque conscientiam agens, peccet, talis uiolatio, quippe persuasioni, quanquam ineptae, aduersa, non potest non ipsa naturae lege impia censerī.

43 Sicut, dubia pariter conscientia, actionem omittendam potius, quam suscipiendam esse, in Ethica docuimus.

44 Posterius cum fine belli actionumque bellicarum pugnat.

45 Quippe tantum abest, ut, hoste exacerbato, et tantum non ad desperationem adducto, bellum extinguatur, ut potius, nouo imbutum odio, acrius exardescat.

46 Vnde, qui, seruatis templis sacrisque illaesis, hostili potentiae facile cessuri fuissent, eos, iisdem dirutis, profanatisue, ad extremum usque obstinatos extitisse, historiae testantur.

47 De religiosis, ut uulgo dicuntur, locis, h. e. conditoriis, sepulcretis, et coemeteriis, tenendum pariter est, nec ea citra necessitatem uastari debere.

48 Cum enim nullum a mortuis periculum, nullus impendeat metus, in eos uim exercere, eorumque sepulcra uiolare, impium utique facinus est.

49 Sane hostium loco haberi nequeunt, qui uitæ, qui uinculo civili, qui ipsi gentium ciuitati sunt erepti.

50 Et stolidum foret iis nocere uelle, quibus noceri haud potest, qui uitam iam amiserunt, quorumue existimatio supra hostilem est potentiam.

51 Qua.

51 Quapropter etiam mortuis negare sepulturam, communi naturae ac gentium iure hoc magis habetur nefas, quod omnium calamitatum finis censeatur mors, adeoque mortuis, negata sepultura, non noua addenda sit miseria.

52 Quae quidem omnia fusius supra in Iure Nature tractauimus.

53 At ea, quae sepulcris imponuntur, e. g. cippi, statuae, lapides, columnae, monumenta, ac sepulcrorum ornamenta uniuersa, cum Principis potestati subsint, etiam hosti cedunt.

54 Quanquam et hic media incedendum uia, et temperandus humanitate furor, cum immoderata, uti licentia indignum sit, saeuire improbum.

55 Imo summa in bello ratio censenda est ea, quae pro religione facit, h. e. pietati in Deum et probitati in homines conuenit.

56 Res autem hostiles non modo terra, sed etiam maria ferre licet.

57 Idcirco Romani rostris nauium, Antiatibus ereptarum, suggestum, in foro exstructum, adornabant, ex quo postea conciones habebantur ad populum, laudabanturque mortui, ut supra pariter in Iure Naturae diximus.

58 Quid uero de priuatis in hostem excursionibus, tum maritimis, tum terrestribus, notandum sit, id ex instituto praeter aliis exposuerunt Kulpisius et Willenbergius.

59 Diximus, res priuatas perinde, ac publicas, iuri hostili cedere, siquidem omnium Reipublicae membrorum eadem iudicatur esse causa, eadem mens, eadem uoluntas, eademque actio.

60 Ergo nimium subtilis uidetur illorum Philosophia, qui duorum hic generum homines, eos nimirum, quibus factae fortassis iniuriae maior tribuenda sit culpa, ab iis, qui minus sint rei, in hostico esse discernendos, statuunt cum Felwingero.

61 Nec tantum res actu hostiles, sed etiam destinatione tales, iure hoc continentur, praesertim si prohibiti fuerint commercii, Gallicis marchandise de contrebande dictae, et eruditis dissertationibus expositae a Martini et Cocceio.

62 Harum quippe intercipiendarum facultas iure hoc belli ita hosti concessa intelligitur, ut licitum quoque propter illicitum in commissum cadere iudicetur, teste Zouchaeo.

Ffff

63 Imo

63 Imo et homines, in aduehendis eiusmodi rebus deprehensi, hostium loco haberi, hocque nomine etiam durius quandoque tractari possunt.

64 III *Axiomata* sunt: (1) Equidem non magis corpora hostium, quam eorum res atque bona, hostilibus cedunt armis.

65 (2) Attamen, praeter necessitatem omnis generis res perinde spoliare, uel abolere, uel destruere, suam utiq; crudelitatem progit.

66 (3) Sicut, citra publicae respectum utilitatis, rerum hostilium direptione delectari beluini furoris est, non humanae rationis.

67 (4) Contra, res certas pariter, ac personas, belli rigore eximere, et pium censeretur, et gloriosum.

68 (5) Imo tum demum maxima in hoste uirtus elucet, si, quam iuste exercere posset, iram remittit, quodque perdere liceret, libere conseruat.

DISCVRSVS III

DE

I. G. CIRCA MODVM BELLANDI.

I. *Necessitas*. II. *Fundamenta*. III. *Diuisio*. IV. *Axiomata*.

I

Necessitas certi in bello gerendo modi his fere nititur causis.

2 (1) Quia ad bellum, siquidem pium iustumque esse debet, non iusta tantum causa, sed legitimus etiam modus requiritur.

3 Scilicet forma dat esse rei, ita, ut eius ommissio actum uitiet, imo actus, sine forma destinata, aut praescripta, factus, sit nullus.

4 (2) Quia inter iniuriam et modum iniuriam uindicandi utique proportio, aut analogia, esse debet.

5 Iustitia quippe uindicatiua merito uindicando respondere debet, nec laesio permessa censeretur, nisi laedendi modus sit licitus.

6 (3) Quia non magis incipiendi, quam agendi finiendique belli modus recepto inter gentes iuri est conformandus.

7 Nam modos actuum rerumque definire, propriam uel iis formam praescribere, non cuiusuis est hominis, sed certi iuris.

8 II. *Fundamenta* uero uel ordinaria sunt, uel extraordinaria.

9 Ordinaria et uniuersalia sunt Gentium dignitas, tutela honestatis, uirtutis bellicae exercitium, periculorum et laesionis innocentium euitatio.

10 Haec

10 Haec quippe in omnibus omnino actionibus bellicis attendi debent, nisi beluinae magis, quam humanae decertationis speciem referre debeat bellum.

11 Neq; enim facta, turpiter, aut crudeliter, maxime aduersus inson-tes, admissa, iuris Gentium patrociniū excusari possunt, aut debent.

12 Extraordinaria sunt necessitas finis, expressa conuentio, ius talionis et retorsionis, ratio belli.

13 Necessitas, sicut in uniuersis hominum actionibus, ita in bel-
lo maximam habet uim, ut ea etiam, quae alias iniusta sunt, urgente necessitate, iusta euadant.

14 Nec ultimum semper necessitatis articulum intelligi oportet, sed laxius necessitatem interpretari fas est, ita, ut incolumitati non magis aduersus mala praesentia, quam futura, consulere liceat.

15 At uera debet esse necessitas et inculpata, non ficta, aut culpa quadam arcessita.

16 Conuentio, de certo bellandi modo certisue armorum gene-ribus inita, sancte seruari debet, cum status hostilis naturale de praestanda fide praeceptum non tollat.

17 Imo nec metus bellicus, siquidem pro licito, ut supra diximus, habetur, efficere potest, ut pacta, cum hoste contracta, uiolare liceat.

18 Dummodo publica sint pacta, h. e. publica auctoritate, publi-
cae uel nomine facta, non priuata, eaque in fraudem Reipublicae, sum-
mae uel potestatis praeiudicium, seu detrimentum, concepta.

19 Iure talionis hostis in hostem ea exercere potest, quae alias non essent exercenda.

20 Cum enim gentes, qua tales, inter se sint pares, parium uero paria sint iura, sic omnino una belligerantium pars erga alteram se gerere potest, qualem erga se eandem experta est.

21 Hocque respectu nihil iniqui continet talio, prout inter alios ex instituto docuerunt Struuius et Cocceius.

22 Ratio denique belli, Gallis *raison de guerre* dicta, siquidem in proprio, eoque bono, accipitur sensu, perinde, ac ratio status, ad bellum, ita aliterue agendum, maxima utique momenta habet.

23 Est enim nihil aliud, quam dictatum prudentiae militaris de
iis, quae, exigente publica utilitate, pro statu belli, facienda, adeoque
iure Gentium licita existimanda sunt.

Ffff 2

24

24 Obrechtus, qui argumentum hoc latè ex instituto est profectus, paulo aliter eam describit.

25 Scilicet per principium practicum, ex certo belli statu habituque petatum, efficax ad producendam conclusionem, qua sub aestimatione iusti rectique excusatur, uel defenditur id, quod, absolute et simpliciter spectatum, iustum rectumque non sit.

26 Quae quidem definitio ad communem accommodata est usum, quo ratio belli non tam belli genus, aut rei militaris conditionem, quam prudentiae militaris extraordinariae habitum, rectamque consiliorum bellicorum gubernationem spectare dicitur.

27 Ita scilicet, ut ea moralem simul recti honestique aestimationem complectatur.

28 Estque adeo subsidiarium quoddam remedium, certis actibus, ex bellica potissimum necessitate peractis, in foro gentium excusandis defendendisque inferuiens.

29 Vnde simul apparet, talem belli rationem sola fere necessitate finis, tum uniuersalis, tum particularis, esse metiendam.

30 Eiusmodi quippe necessitas in bello perinde, atq; alibi, maximam, ut diximus, aut habet, ita, ut in moralibus ius facere dicatur.

31 Prout itaque belligerantes hæc aliaue fundamenta respiciunt, uel non respiciunt, ita bellici etiam actus iudicari debent.

32 III. *Diuiditur* hinc modus bellandi in licitum et illicitum, et uterque in apertum et occultum.

33 Licitus est, cuius adhibendi facultatem Ius Gentium, habito certi fundamenti respectu, concedit, illicitus uero, qui ita non permittitur.

34 Apertus, isque belli proprius, est, quo hostis palam ui et terrore superatur, occultus est, quo clam dolo et astu uictoria quaeritur.

35 Licti, iidemque aperti, modi habentur apprehensio, laesio, uulneratio, et occisio, in conflictibus, aut praeliis, efflagitante finis necessitate, facta.

36 Huc ergo pertinent omnes illi actus non prohibiti, quorum duobus proximis discursibus de Iure Gentium in personas resque bellantium meminimus.

37 Nec ignis pyrii, tormentorum, machinarumque bellicarum
usus

usus, si cetera sint paria, illicitus censeretur debet, ut singulari hoc commentatione probauit Grodeckus.

38 Occulti sunt stratagemata, dolum bonum, siue positium, siue negatiuum, complexa.

39 Positiuus quidem dolus est rei non existentis fictio, seu simulatio, negatiuus autem rei, uere existentis, occultatio, aut negatio, seu dissimulatio.

40 Vtroque, ut diximus, dolo stratagma constare potest, quod ideo describi solet per actionem bellicam, qua hostis, tam cauendus, quam uincendus, clam et astute circumuenitur, temporis, laboris, militis, et sanguinis lucrandi causa.

41 Finis igitur ingeniosi et clandestini eiusmodi inuenti, aut consilii, est compendium sanguinis et laborum, quaeque inde haberi potest, uictoriae incruentae, adeoque ipsius etiam belli.

42 Quo quidem respectu tantum abest, ut stratagemata, ex nonnullorum opinione, sint culpanda, ut potius singularem prudentiae ac moderationis laudem mereantur.

43 Dummodo omni uacent perfidia, ac uasritie inhonesta, neque adeo cum iniuria sint coniuncta, aut turpitudine.

44 Et quid aliud docere uolebant Spartani, taurum et uulpem, Marti, sub protectionem in bellum, offerentes, nisi quod belli dux astutus pariter, ac fortis, esse debeat?

45 Varia autem stratagemata, pro uaria eorum consideratione, existunt.

46 Quippe, ratione triplicis belli periodi, alia initium belli, alia progressum, alia exitum respiciunt, ducemue bellicum in consiliis, eo pertinentibus, informant.

47 Habito autem respectu materiae, alia sunt uerbalia, quae uerbis tantum, aut sermone, alia realia, quae factis, seu opere, alia mixta, quae partim uerbis, partim factis constant.

48 Ratione loci denique, alia sunt terrestria, alia naualia.

49 De quibus aliisue generibus legi possunt scriptores, qui argumentum hoc ex instituto pertractarunt, uti Frontinus, Polyænus, Ranzouius, Reusnerus, Winstrupius, Bolhornius, Röserus, Stempeius, etc.

50 Inter illicitos bellandi modos praecipui habentur ii, quibus frequentia potissimum adminicula inferuiunt.

51 (1) Venenum, quoniam eius usus et periculosus, et gentium honestati uirtutique bellicae Iure Gentium aduersus censetur.

52 Scilicet proprio Gentium Iure, siquidem Iure Naturali perinde uiderur, siue ueneno, siue armis solitis hostem occidat, qui eum occidendi ius habet.

53 Neque ideo quicquam illicitum iudicari debet, quia belli calamitates augere possit, siquidem ea, quae opprimendo hosti accelerandoque bellorum fini inferuiunt, facienda potius, quam omitenda sunt.

54 Nec turpius uideri possit, hostilem exercitum armis, ueneno infectis, tollere, quam integras arces et urbes, imo copias militares, tormentis, pyrio puluere explosis, delere.

55 Quapropter nec omnes omni tempore populi a ueneno abstinuerunt, sed plurimi ad perdendos eo hostes usi sunt, hodieque uentur, prout exemplis sat multis probant Müllerus et Röserus.

56 Verum aliud plane uisum est gentibus, saltem cultioribus.

57 Quippe communi harum iure nefas habetur, siue telis armisque, toxico illinitis, siue panibus, fontibus, aquisque, ueneno corruptis, hostem interimere.

58 Atque adeo uiolati Gentium Iuris rei utique extiterunt omnes, quos recentiori aetate ueneno aduersus hostem abufos fuisse, memorat Müllerus.

59 Nec audiendi sunt illi, qui, solis naturae legibus hic freti, promiscuum ueneni usum in bello licitum pronuntiant.

60 Secus tamen iudicandum uiderur de aquis, sine ueneno, cadaueribus foetidis, aut morticinis, sordibus, aut stercore, calce, sulphure, similique materia ita corruptis, ut bibi nequeant.

61 Cum enim, auerso fonte, aut flumine, uenisq; aquarum abscissis, sitim inter hostes excitare, eoque finem belli accelerare fas sit, quidni ob eandem causam aquarum corruptio liceret?

62 (2) Incantationes et artes magicae, quia doctrinam diabolicam crassamque superstitionem redolent.

63 Quarum censu ea quoque pharmaca et remedia ueniunt, quibus

bus aduersus ictus et plagas corpora muniri, uel indurari, solent.

64 E.g. schedulae, certis notis inscriptae, herbae in uigiliis Festi Natalitii effossae, ac consecratae, articuli, a suspensorum corporibus certo modo abscissi, necessitatis, ut uocatur, indusum, cuius praeparationem inter alios descripsit Wierus.

65 At superstitiosa alterius simplicitate ad bonum finem abuti non magis nefas haberi debet, quam hostis credulitatem, aut imprudentiam, in stratagematis bonius doli occasionem trahere.

66 Saltem ad turbamenta uulgi tale quid referri posset, de quibus eruditam scripsit commentationem Becmannus.

67 (3) Scorta impura, quia eorum amplexus non modo ad delinquendum incitare, sed pessimam quoque luem aspergere possunt.

68 Quae quidem mala, quo latius serpere possunt, eo peiora et iam et improbiora censi debent.

69 (4) Homines, morbis pestiferis infecti, quoniam, iis in exercitum immixtis, magna edi potest strages.

70 Ita scilicet, ut etiam innocentibus misera pereundum sit morte, omnisque uirtutem bellicam exercendi facultas inhonestissimo modo tollatur.

71 (5) Peremptores, ad occidendum hostem, siue palam, siue occulte, contra datam fidem, conducti, quoniam sceleris, non uirtutis, instrumenta euadunt.

72 Dico, contra fidem, adeoque tales hic intelliguntur homines, qui certa fide alteri, in quem immittuntur, sunt obstricti, e. g. uasalli, ciues, milites, clientes.

73 Tales grauissimum utique crimen admittunt, siue ipsi percussionem suscipiant, siue aliis ad audendum eiusmodi facinus auctores existant.

74 Nec oblata citra sollicitationem opera ministrorum, uel subditorum, uti, generoso bonoque animo dignum dixerim, etsi hunc bellis defungendi morem maximopere multi collaudant cum Thoma Moro.

75 Aliter uero iudicandum uidetur de iis, qui nullo fidei, obedientiae, aut necessitudinis, vinculo sunt nexi, adeoque peregrini existunt, aut alieni.

76 Ho-

76 Horum quippe opera in occidendis hostibus uti, iure Gentium non adeo nefas haberi potest, dummodo certarum circumstantiarum, maxime personarum, habeatur ratio.

77 Cum enim Principes, quiq; horum quodammodo personas representant, summi duces, inuiolabiles censerī debeant, nec bella ad delendas summas potestates, sed ad reparandas iniurias geri oporteat, non facile in eorum capita sollicitari debent homines scelesti.

78 Saltem sanctam saluamque manere Maiestatem, mutuae gentium et dignitatis, et incolumitatis, interesse uidetur, prout hoc uberius declarant Cocceius et Becmannus.

79 (6) Violatio uirginum ac foeminarum, quoniam et morum honestati, et actionum bellicarum fini aduersatur.

80 Nam tantum abest, ut stupra ad hostes uincendos reparandamue iniuriam faciant, ut potius hostes, manifesta affectos iniuria, ad exitiosam adigant desperationem.

81 Quare uiolentia talis, ut effrenatae libidinis, non bellicae uirtutis, actus, a moratioribus semper gentibus grauiter fuit uindicata.

82 Quanquam nec hic defunt, qui, pro falsa illa, quam tenent, hypothesi, quasi hosti, qui iuste possit occidi, nulla in corpore iniuria fiat, talia etiam stupra iure belli licita pronuntiare audent.

83(7) Beluae, ad terrendos necandosue homines aptae, quoniam animantia bruta ad delendos homines adhibere, humanae dignitati repugnat, siquidem homini cum homine, non cum belua, aut bruto, bellum intercedit.

84 Quod uero beluarum usus olim fuerit licitus, hodieque inter nonnullas obtineat gentes, id facti, non iuris esse, censendum est.

85 Plura de illicitis bellandi modis ex instituto tradunt Zentgraeuius, Cocceius, et Schwarzius.

86 IV. *Axiomata* sunt: (1) Non magis ad iustum piūque bellum iusta opus est causa, quam modo legitimo, cum non permessa censerī debeat laesio, nisi laedendi modus sit licitus.

87 (2) Eriam si enim hostis alteri, quem laesit, defensionis instituendae modum praescribere haud possit, licentia tamen in infinitum sese extendere non debet.

88(3) Neque omnis omnino humanitas bello tollitur, sed ea tantum

tum officia quiescunt, quorum exercitium cum fine belli haud conuenire uidetur.

89 (4) Equidem multa atrociter commissa iure gentium excusantur, defendunturque coram gentibus.

90 (5) Verumtamen probe hic secernenda sunt ea, quae agendi impunitate iudiciorumque humanorum tutela nituntur, ab eis, quae conscientiae dictamini respondent.

91 (6) Quanquam ad uiuum omnia in bello refecari nequeunt, sed humanae utique imbecillitati aliquid dari, conuenit.

92 (7) Dummodo caueatur, ne uanae captandae gloriae, aut explendae improbae uindictae causa, tale quid fiat, quo belli calamitates, cacteroquin sat magnae et multae, praeter necessitatem, augeantur.

DISCURSVS IV.

DE

I. G. CIRCA EFFECTA BELLI.

I. Partitio. II. Explicatio. III. Axiomata.

I I

Partitio effectorum belli fieri potest ratione oblectorum ipsius. 2 Haec autem sunt personae et res hostiles, utpote circa quas belli iura sese exerere, supra diximus.

3 Hinc igitur duo belli effecta existunt, imperium ac dominium, cum particulare, tum uniuersale, prout personae ac res, bello subiectae, uel singulae fuerint, uel uniuersae.

4 Dicimus, imperium ac dominium, quia nomina haec ita accipimus, ut illud proprie ius, seu potestatem in personas, hoc uero ius, seu potestatem in res denotet.

5 II *Explicatio* autem eiusmodi effectorum cum maximam partem iis, quae supra de I. G. circa personas et res bellantium diximus, contineatur, eo strictius sequenti hic modo fieri potest.

6 Imperium, idemque singulare, in personas hostiles captiuitate obtinetur, quae nihil aliud est, quam status, quo uictor personam denictam suae potestati, securitatis et utilitatis causa, subiicit.

7 Adeoque finis captiuitatis est, ut captor, debilitatis hostium uiribus, suae securitati et utilitati consulat.

Ggg g

8 Di-

8 Dicitur captivitas a capiendo, sicque denotat statum personae, cuius corpori ab hostibus vis infertur.

9 Hoc etiam nomine captivitas differt a captura, siquidem haec actum, illa vero statum significat, et de persona tantum hostili, non aequè de rebus, usurpatur.

10 Obiectum itaque captivitatis sunt personae hostiles, cuiuscunque fuerint aetatis, sexus, et ordinis.

11 Quanquam excipi uulgo solent, ratione aetatis, infantes et senes, ratione officii, personae ecclesiasticae, ratione privilegii, studiosi ac literati, ratione necessitatis et utilitatis publicae, legati, tibicines, mercatores, opifices.

12 Hac scilicet conditione, nisi uel aliter inter hostes conuenerit, uel hostis antea tales ex nostratibus captiuos reddiderit, uel damnum ab eiusmodi hominibus fuerit illatum, aut certe inferri possit.

13 Subiectum, cui captiui cedunt, est imperans, cuius auspicio bellum geritur, quique hoc nomine omnes sibi uindicat captiuos, siue privato, siue publico, actu tales fiant.

14 Modo et captiuus sit apprehensus, et bellum agatur iustum.

15 Vt enim nihil acquiri potest, nisi uera interueniat apprehensio, ita bellum iniustum Iuris Gentium effectis, quale est captivitas, omnino destituitur.

16 Neque tamen apprehensio captiui uiolento semper modo fieri solet, sed etiam minus uiolento, in uoluntaria scilicet deditioe.

17 Quae quidem talis est actus, quo hostis bello inferior, maioris mali euitandi ergo, alterius potestati se submittit.

18 Causa igitur impulsua deditioe est malum maius, siue praesens, siue imminens, e. g. uiolentia hostis, suppetiarum, armorum, militum, uel annonae defectus, timenda militum rebellio, liberationis futurae desperatio.

19 Est autem deditio uel simplex, seu pura, uel composita, seu conditionata.

20 Illa est, qua uictoris arbitrio sese submitunt deditii, siue sub clausula clementiae et discretionis sese dedunt, de qua peculiaris extat dissertatio Scheinemanni.

21 Haec uero est, qua certis sub conditionibus uicti uictori cedunt.

22 Quales quidem conditiones bellica, ut dicitur, capitulatione iniri solent, h. e. conuentione inter partes dissidentes, seu beligerantes, de modo deditiois faciendae.

23 Est autem capitulatio uel generalis, uel particularis, et utraque modo ordinariis honorum signis comitata, modo iis destituta.

24 Durante eius tractatione, datis utrinque obsidibus caueri solet.

25 Tales autem obsides postea, seruato utrinque pacto, salui et incolumes ab utraque bellantium parte restitui debent.

26 Sin pacti conditio non fuerit impleta, in captiuitate detineri possunt, at neutiquam occidi.

27 Sicut nec ipsis aufugere, per conuentionem, cum gente, a qua danrur, initam, licet.

28 Cur autem denegari interdum possit capitulatio, uariae utrique causae existere solent.

29 E. g. Si obfessi honestas pacis conditiones, semel iterumque oblatas, alto supercilio reiecerint, uel grauiorem in belli duces integrosue exercitus iniuriam commiserint, uel armis ciuilibus, rebellionem, ac seditionem locum obsessam sibi subiecerint.

30 Quae aliaque plura ex instituto exposuerunt modo citatus Scheinmannus et Ludonici.

31 Forma deditiois, pro uariis gentium moribus, uaria quidem est, plerumque tamen in armorum proiectione, munimentorum derelictione, clauium traditione, similibusque signis consistit.

32 Effectus autem captiuitatis olim erat, ut capti fierent serui, in quos domini ius uitae et necis habebant, ut supra in Iure Naturae de seruitute bellica diximus.

33 Hodie custodiuntur, et quasi pignoris loco habentur, donec permutatio eorum fiat, aut liberatio.

34 Contraria igitur captiuitatis sunt suspensio, solutio, iuriumque pristinorum recuperatio.

35 Suspensio fit, cum captiuo ad tempus redditur libertas, idque sub promissione reditus, uel iurata, uel uerbis honoris facta.

36 Solutio, respectu captoris, uel uoluntaria existit, h. e. ex conuentione, uel inuoluntaria, h. e. sine conuentione.

37 Inuoluntaria fit fuga et uiolenta libertatis recuperatione, quae,

Gggg 2

quoad

quoad nulla de non discedendo promissio interuenerit, utique pro licita haberi debet.

38 Voluntaria tribus potissimum modis fieri potest, (1) dimissione, (2) permutatione, (3) redemptione.

39 Dimissio fit, quando, captandae beneuolentiae, aut ostendendae generositatis causa, captiuo ad suos redire, uel alibi in libertate uiuere permittitur, sub certa tantum conditione, uictori promissa.

40 Permutatio est modus utriusque belligerantium partis captiuos, alios pro aliis, in pristinam restituendi libertatem.

41 Ita scilicet, ut captiui, inuicem permutandi, ratione status, et dignitatis, aut aestimationis moralis, inter se conferantur, prout peculiari differtatione docet Schneiderus.

42 Redemptio, seu liberatio, est modus captiuis libertatem reddendi pro certo, quod hoc nomine soluitur, pretio.

43 Dicitur tale pretium Graeco uocabulo lytrum, et, nisi expressa conuentione, quam cartel uulgo nominant, fuerit definitum, ex mero partis uictricis arbitrio pendet.

44 Dummodo aequitatis habeatur ratio, adeoque nec nimis augetur, nec sine discrimine ab omnibus exigatur.

45 Quippe personas sacras, imbecilles, et miserabiles sine lytro dimittere, aequum omnino et gloriosum haberi debet.

46 Recuperatio iurium, ante captiuitatem possessorum, nititur iure postliminii, sakitari inuentione inter gentes introducto, de quo rex instituto scripserunt Simonis et Coctei.

47 Vox autem postliminii, cum, ratione etymii, reditum ad limen, seu fines, denotet, improprie de quouis reditu, etiam fluminis, usurpari solet.

48 Proprie autem designat facultatem moralem, qua captiuus, libertati restitutus, res suas omnes in propria, uel socia, aut amica, ciuitate recuperat.

49 Obiectum igitur huius iuris non magis sunt personae, quam res, eaeque tum uniuersae, tum singulae, mobiles pariter, atque immobiles, perinde corporales, ac incorporeales.

50 Adeoque huc omnia pertinent iura, ut talia, quas, durante captiuitate, capto in ciuitate sua manserunt integra, etiam possessio et matrimonium.

51 Olim

51 Olim quidem rerum mobilium multae excipiebantur, hodie autem nullae, nisi ad belli usum amissae.

52 Imo, tantus habetur iuris huiusce fauor, ut etiam socias complectatur personas, nec, pace simpliciter facta, tollatur.

53 Dummodo recte se habeant ea, quae necessario hic requiruntur.

54 Scilicet (1) si captiuitate liberatus, animo suos resque suas sequendi, ad suos, uel socios, redierit.

55 Cum enim ius postliminii probiorum militum gratia sit introductum, ei patrocinari nequit, qui reuertendi ad hostes nocendiue proposito abiisse deprehenditur.

56 (2) Si res ab hostibus, proprie sic dictis, non piratis, latronibus, aliisue huius generis hominibus, sint captae.

57 Posteriori quippe casu res, ubicunque existant, a ueteri domino iure Naturali uindicari possunt.

58 (3) Si res mobiles uere sint amissae, et quocunque modo in hostium potestatem perductae.

59 Non enim, nisi res amissa, postliminio recuperari potest.

60 (4) Si res non amplius in potestate hostium existunt.

61 Nam hostes dominium, iure Belli quaesitum, habent, et iure se abstulisse, iudicio ualido contendunt.

62 (5) Si res partis iudicio iniuste ablata et detenta habeatur.

63 Etenim, si uel nullius partis, uel omnium, adest iudicium, postliminium haud obtinet.

64 Fundamentum igitur iuris postliminii uidetur esse iudicium partis in bello, quo res suas, non iure ablatas, adeoque restituendas esse, credit, ac contendit.

65 Ceterum, sicut ius tale ciuium militantium gratia, in eorum quippe solatium et incitamentum, est introductum, ita generatim omnes, quos recensuimus, modi ideo iure Gentium obtinent, ut captiuis consulatur.

66 Quamuis enim amplissimam uictor in uictos potestatem habeat, captiuos tamen, citra necessitatem, aut interficere, aut duriter habere, nefas est.

67 Maxime, si pacta salute, sese dediderint, aut supplice uoce mortem suam deprecati.

Gggg 3

68 Imo

68 Imo nec deditionem pure sub clausula discretionis (auf Gnade und Vngnade) offerentes, occidendi sunt, sed recipiendi, ut sigillatim id docuerunt Zentgrauius, Obrechtus et Cocceius.

69 Vbi enim definit defensio, ibi incipere debet commiseratio.

70 Neque gentibus, libertati adsuētis, ubi se dediderunt, omnis adimenda est libertas.

71 Alioqui nulla fieret deditio, sed extrema semper uolentia ab hostibus, seruitutis metu in desperationem adductis, tentaretur.

72 Quae uero, nisi belli ratio, h. e. grauis quaedam necessitas ciuitatisque salus eam postulauerit, nequaquam probari debet.

73 Quocirca praestat urbem, imminente hoste, dedere, quam, subdito puluere tormentario, eam in aërem mittere.

74 Tantus etiam captiuorum fauor habetur, ut, quamuis in seruitutem eos adigere ius gentium minime uetet, æquius tamen censeatur, uno alteroue, quem diximus, modo libertatem eis restituere.

75 Quapropter captiuorum redemptio inter misericordiae charitatisque opera merito refertur.

76 Imo tanti aestimatur, ut ne sacris quidem thesauris, nedum publicis nummis, ideo parcendum esse, leges statuunt.

77 Quippe gratiores Deo sunt animae captiuorum, quam aurea uasa, templorumque ornamenta, iudice Ambrosio.

78 Quicum conferri possunt ii, qui de captiuis eorumque redemptione ex instituto scripserunt, uti Boeclerus, Thannerus et Hertius.

79 Hactenus de singulari in personas imperio, ut primo belli effecto, nunc de dominio in res hostiles.

80 Dominium, idemque singulare, hinc ea potissimum est potestas, quam hostis in hostium urbes, arces, munimenta, propugnacula, omnisque generis castella, armis expugnata, iure belli obtinet.

81 Ita scilicet, ut loca eiusmodi non solum occupare, sed etiam delere possit, si bello, subinde resuscitando, adeoque perpetuo periculo occasionem dare uideantur.

82 Captam uero urbem ideo delere, ne uel expugnatoris gloria euanescat, uel urbs frustra uideatur capta, nefas est.

83 Sicut nec habitatores, nisi graue quid, et morte expiandum, admiserint, occidi, sed instar subditorum haberi debent.

84 Sub-

84 Subiectum, cui res occupatae cedunt, est ille, cuius auctoritate bellum geritur, non milites singuli.

85 Nec momentum hic habet distinctio inter res actu priuato, et res actu publico occupatas, cum, quicquid duces et milites agant, Principis, ius belli habentis, auspicio agere censeantur.

86 Hostilium uero locorum occupationem sequentia plerumque antecedunt.

87 (1) Obsidio, qua urbs, uel munimentum, militibus, hostiliter agentibus, ita cingitur, ut habitatores, uel continua hostium ui impugnentur, uel, surreptis, aut praecclusis, uiuendi mediis, inclusi teneantur.

88 (2) Euocatio, qua obsessi de facienda deditio monentur, prout temporis, loci, belli, aliarumue circumstantiarum ratio tulerit.

89 (3) Oppugnatio, qua, certa ui adhibita, urbis expugnatio tentatur, quaeque adeo expugnationis medium, quanquam saepius inefficax, est.

90 (4) Expugnatio, quae uel uiolento fit modo, uel non uiolento, adhibito certo stratagemate, aut obsessis, propter egestatem, rebellionem, militumue defectionem, ultro sese deditibus.

91 De qua deditio quid notandum sit, supra exposuimus.

92 Quae minus autem loca, obsidione cincta, hostili cedant potestati, uaria impedire possunt, qualia sunt e. g. liberatio, derelictio, uel etiam restitutio.

93 Liberatio uel suppetiarum aduentu, uel obsidentium depulsioue fieri potest.

94 Derelictio contingit, quando obsidentes uel suppetiarum metu, uel rerum necessarium defectu, uel occupationis desperatione, uel fortunae aduersae tempestatisque iniuria ad decedendum coguntur.

95 Restitutio uel uiolenta hostium recuperatione, uel interueniente pace, siue temporaria, siue perpetua, obtinetur.

96 Ceterum an satius sit seruare munimenta, quam ea destruere, uarie hic disputatur, quemadmodum de usu munitionum in re publica ex instituto scripsit Röhrensee.

97 Equidem uiris potius, quam castellis, regna esse munienda, eo proba-

probabilius uidetur, quo notius est, quam uaria et pericula, et damna, munitiones affere possint.

98 Attamen, si castellorum arciumque rectus teneatur usus, non parum commodi in rem publicam hinc posse redundare, certum est.

99 Talia autem loca uel oppugnatione dilacerari, uel, ubi expugnata fuerint, prorsus deleri, tum utique; licitum est, si belligerantium subest utilitas.

100 Imo et belli ratio saepe postulat, ut in obstinatos, et loca, non adeo munita, iusto pertinacius defendentes, ad metum caeteris iniiciendum, grauius quid statuatur.

101 Dico, iusto pertinacius, cum illi, qui, fidei, superioribus seruandae, causa, sine legum bellicarum uiolatione, turba otiosa et inermi uiastuue eiecta, strenue sese defendunt, laudem potius, quam odium mereri censendi sint.

102 Quo quidem casu obsidenti etiam hosti ea omnia licent, quibus uel deditio, uel expugnatio arcis accelerari potest.

103 Talia potissimum sunt stratagemata et insidiae, e. g. discessus et fugae simulatio, metus et pauor, obsessis, noctu maxime, incussus, annonae et commeatus interclusio, impetus crebrior, ad speciem adornatus, quo obsessi plerumque fatigari possunt.

104 Ad desperationem uero, quae sacra plerumque et profana miscere solet, nunquam adigendus est hostis.

105 Quapropter nec honestae conditiones, in tempore petitae, obsessis denegari debent, nisi iniuria lace ssuerint obsidentes, iustamque adeo uindictam meruerint.

106 Imo et ipsa occupatio uiolenta, quoad eius fieri potest, ita temperanda est, ut sanguinis, maxime innocentis, profusioni, hominumque inermorum occisioni parcatur.

107 Ob eamque causam certum praedandi spatium militibus concedi, loca sacratiora a direptione eximi, ipsamque urbem, uel arcem, nisi belli obstet ratio, refici, rebusque necessariis instrui, fas est.

108 Quippe et maximam in bello hostilitatem, adhibita identidem humanitate et aequitate, mitigandam esse, crebro monuimus.

109 Quid autem praeterea de munimentorum obsidione, defensione et occupatione sciri mereatur, id ex instituto inter alios tradidit Wolffius.

110 Et

110 Et haec sufficiant de imperio et dominio particulari, seu potestate, quam uictor in personas captas, seu deuictas, resque occupatas singulatim obtinet.

111 Dicere nunc atinet de imperio ac dominio uniuersali, seu potestate, quam hostis in uniuersitates personarum, rerumque hostilium, iure belli acquirere potest.

112 Describitur itaque talis potestas per ius, seu facultatem moralem, qua uictor uniuersitates tam rerum, quam personarum, bello subiectarum, pro arbitrio suo disponere, administrare, regere, et gubernare, suisque ditionibus innectere potest.

113 Nimirum, sicut acquisitione particulari personae ac res singulae, bello captae, hosti subiiciuntur, ita in acquisitione uniuersali personae ac res uniuersae uictoris arbitrio cedunt.

114 Effecta igitur huius iuris sunt subiectio personarum et rerum uniuersalis, gentium deuictarum dispersio, transportatio, coniunctio, e. l.

115 Quocirca integrum quoque uictori est, quale in deuictos imperium stabilire uelit, siue ciuile, siue herile, siue mixtum.

116 Hoc est, siue libertatis ac potestatis quicquam illis uelit relinquere, siue omnem eripere libertatem, siue imperium temperare.

117 Quanquam, ut aptior certiorque in deuictos fieri possit dominatio, et indolis eorum, et prioris imperii ratio haberi debet.

118 Ita scilicet, ut gentibus, ad rebellandum pronis, fideique suspectae, rebellandi facultas adimatur, et uoluntas.

119 Eo autem haec potestas extendi nequit, ut uicti ad diuersam ab ea, quam profitentur, religionem amplectendam a uictore cogi possint.

120 Hoc enim idem foret, ac conscientias uelle dominari, et, quod diuinae maiestatis reseruatum est, sibi arrogare.

121 Quodsi tamen religio ipsi legi naturali ac socialitati repugnet, planeque idololatrica sit ac peruersa, plus utique uictor posset dicendus est.

122 III *Axiomata* sunt: (1) Quanta iuris belli sit amplitudo, ex iis, quae recensuimus, effectis abunde patet.

123 (2) At uero aequi bonique rationem hic tenere, ingentis sane uirtutis documentum est.

H h h h

124

124 (3) Quippe haec demum animi perfectio est a malo sibi temperare posse, ubi amplior mali agendi occasio, ac licentia existit.

DISCVRSVS V.

DE

I. G. CIRCA STATVM, BELLO CONTRADISTINCTVM, SEV NEVTRALITATEM.

I. *Notatio uocis.* II. *Fundamentum.* III. *Scriptores.* IV. *Axiomata.*

I L

Vox Neutralitatis originem suam recentiori aetati acceptam refert, cum antiqui nomen medii pro ea usurpauerint.

2 Graecis ἀπαρμυσίνη, item ἀδιαφορία dici solet.

3 Sumitur autem neutralis uel generaliter pro quacunque persona, neutri bellantium parti addicta, uel specialiter pro uicina et intermedia, erga utramque partem aequo affecta animo.

4 Itaque neuter, seu neutralis, aut medius, ille est, qui erga partes, bello inter se certantes, aequalem gerit amicitiam, bona ipsarum uoluntate, uel pacto, impetratam.

5 Vnde, quid neutralitas sit, siue pro iure, siue pro statu mediorum accipiatur, facile patet.

6 Cur autem de neutralitate, quae ad pacem potius, quam ad bellum, pertinere censetur, hic tractare sustineamus, causa est affinitas materiae.

7 Cum enim iura et officia mediorum ad bellum respiciant, et occasione belli acquisitionisque bellicae, sub praetextu necessitatis, multa in neutrales committi soleant, neutralitas apte hic pertractari posse uidetur.

8 Eiusmodi neutralitatis subiectum possunt esse omnes, qui non socii sunt, aut confoederati.

9 Hi enim, cum uni iam parti sint adstricti, alteri parti aequalem exhibere amicitiam nequeunt.

10 II. *Fundamentum* uero neutralitatis plerumque est pactum, inter neutralem et utramque, uel alterutram, belligerantium partem initum.

11 Hoc enim ea, quae medio facere, uel non facere licet, restringi, uel definiri possunt.

12 An

12 An autem tali se pacto obstringere consultum sit, varie disputatur inter eruditos.

13 De Solone quidem constat, eum in bellis civilibus neutralitatem seuera lege sub poena infamiae prohibuisse.

14 Et Alphonfus, Neapolitanus, medium, seu neutralem, eandem habere sortem, dixit, atq; eum, qui mediam aedis partem inhabitet, cum ab inquilinis inferioribus fumum, noxiosq; uapores, a superioribus autem strepitum, aliamue molestiam pati cogatur.

15 Imo nonnulli eum cum grano tritici comparant, quod, inter duo interiacens saxa, ab utroque conteratur.

16 Attamen, pro ratione commodorum, uel incommodorum, neutralitatem modo suaderi posse, modo dissuaderi, crediderim.

17 Optima uero neutralitatis suadendae causa tum existit, si discordantes ad pacem et consensionem reduci possunt.

18 III. *Scriptores*, praecipuo hic loco habendi, sunt (1) Boterus (2) Besoldus, (3) Neymeyerus, (4) Boeclerus, (5) Franckensteinus, (6) Schelguigius, (7) Cocceius, (8) Sleuogius (9) Oelhaferus.

19 IV. *Axiomata* sunt: (1) Nefas esto neutrali, unam bellantium partem in alteram excitare, uel receptum dare alterius hostibus.

20 (2) Contra, utramque partem aequo debet habere loco, adeoque pariter uni, atque alteri, transitum concedere, bellique instrumenta exhibere.

21 (3) Belligerantibus uero cauendum est, ne subditi neutralis ulla iniuria ulloue damno a transeuntibus afficiantur, nisi hosti operam praestent.

22 (4) Proinde in pacato neutralis solo nec belli sedem, aut hiberna, statuere, nec hostilitatem exercere debent.

23 (5) Nec arma et frumenta, utrique belligerantium ex aequo praestita, occupari, fas est, nisi hostibus fuerint tradita.

24 (6) Quod si ramen rigidi quid aduersiq; necessitas postulet, non tantum moderatio adhiberi, sed etiam damni reparatio fieri debet.

25 (7) Ceterum nemo ad amplectendam, uel deferendam, neutralitatem cogi potest, nisi qui facto iniusto iustam cogendi dat causam.

26 (8) Vbi uero consultum sit, neutralitatis statui bellum praeferre, uel huic illum, prudentiae est dispicere.

H h h h 2

27 (9)

27 (9) Ita (scilicet, ut non magis utilitatis, quam honestatis, habeatur ratio.

INSPECTIO III.

DE

I. G. CIRCA BELLVM FINIENDVM.

Via, aut occasio belli finiendi existere possunt modo ultima uictoria, modo antegressae induciae, modo transactio uoluntaria, accedente uel interpositione mediatorum, uel opera legatorum, uel promissione sponforum.

DISCURSVS I.

DE

I. G. CIRCA VICTORIAM.

I. *Definitio.* II. *Effectus.* III. *Axiomata.*

I I.

Definiri potest uictoria, pro armorum successu accepta, per talem decertationis hostilis euentum, quo una certantium pars alteri cedere, adeoque ea omnia, quae uictori in uictos iure belli licent, in se suisque pati cogitur.

2 Dicimus, uictoriam hic accipi pro armorum successu, adeoque non pro Dea illa pennata, quam ueteres, ut uictoriae donatricem, diuino profecuti sunt cultu.

3 Quo ipso tamen monemur, saltem uero Numini uictoriam, pio iustoque bello partam, grata mente acceptam referri oportere.

4 Alia etiam est uictoria belli, alia uictoria praelii, cum illa terminus belli, haec uero medium, seu occasio belli finiendi existat.

5 Itaque ratione effectus potissimum differre uidentur, siquidem illa ius maius pleniusue in uictos tribuat, haec uero minus.

6 Discerni etiam debet uictoria a triumpho, tanquam antecedens a consequenti, uel causa ab effectu.

7 Vocamus autem uictoriam decertationis hostilis euentum, quo una belligerantium pars alteri succumbit, adeoque ueluti causa sua cadit.

8 Quare non inepte comparari potest cum iudicio fortunae, quo priuatorum aequae, ac principum, discordiae finiuntur.

9 Sci-

9 Scilicet duo omnino modi lites dirimendi statui possunt, iudicium fortunæ et conuentio.

10 Fundamentum uero, cuius uictoris in deuictos innititur, est postulatio, seu, ut uulgo dicitur, prætensio uictoris certa.

11 Quamdiu enim huic non fuerit satisfactum, uictori hoc nomine tenentur deuicti.

12 At e contrario, quo magis incerta est postulatio, eo magis etiam uictoriæ modus bellicque finis decerni debet.

13 Dicimus autem, uictori ita cedere deuictum, ut quicquid fas armorum tulerit, hic ab illo in se suisque pati cogatur.

14 II, *Effectus* igitur uictoriæ est, ut personæ et res hostium, eaque tam mobiles, quam immobiles, sacrae perinde, ac profanae, uictoris fiant.

15 Quæ quidem ubi uictoria plena captae fuerint, et occupatae, acquisitio uniuersalis belliue exitus plerumque sequitur.

16 Victor autem et signa uictoriæ et fructus ubique prodit, agendo triumphum, statuendo tropæa, faciendo oblationes.

17 Triumphus est solemnis et publica uictoris, triumphali curru uecti, in urbem deductio, qualem ex instituto descripserunt Golzius, Ferretus, et Bulengerus.

18 Tropæa sunt corpora hostium trunca, fictitia, et adumbrata; cum laceris armis, publice et conspicue erecta, de quorum uaria materia sigillatim egit citatus Bulengerus.

19 Oblationes fieri possunt, Deo spolia dedicando, gratias agendo, festa instituendo, causas pias augendo, etc.

20 De uictoria præ aliis legi possunt Cocceius, Müllerus, et Textor.

21 III. *Axiomata* sunt: (1) Victoriæ iure moderate uti, prudentia iubet et æquitas.

22 (2) Proinde dux belli non magis uincendo, quam uictoria utendo, et uirtutem probare, et laudem sibi comparare potest.

23 (3) In primis perpendere secum quisque debet, idem sibi, ut homini, euenire posse, quod deuictis accidit.

24 (4) Quapropter fas utique est, ut uictor erga uictos, quam fieri potest, mitissime se gerat, maximeque parcat iis, qui, ueniam suppliciter orantes, sese dedunt.

Hhhh 3

25 (5)

25(5) Crudelitatis autem supplicium, e.g. oculorum effossionem, aut excoriationem, in miseros exercere, detestanda est impietas.

26 (6) Imo explendae uindictae, efferendiae animi causa, ludibrio habere deuictos, nefas est.

27 (7) Ceterum in praescribendis legibus et uictoris, et uicti rationem habere, consultum est.

28 (8) Dominium uero in res uicti ita extendi, uel restringi, potest, prout securitas uictoris, erogati in bellum sumptus, damnaque inde profecta, postulauerint.

29 (9) Ita scilicet, ut, simul ac debiti sumtuumq; causa satisfactum fuerit, cautumque de non amplius laedendo, ius uictoriae cessare iudicandum sit.

30 (10) Cessante enim fine, cessant ea, quae propter finem licita sunt.

DISCVRSVS II.

DE

I. G. CIRCA INDVCIAS.

I. *Descriptio.* II. *Diuisio.* III. *Axiomata.*

I I.

D*escribi* possunt induciae per conuentionem, inter partes belligerantes initam, qua, manente bello, actionum bellicarum omisio, seu armorum hostilium cessatio ad certum tempus inducitur.

2 Dicimus, inducitur, ad designandam uocis huius originem.

3 Scilicet induciae non ab inde et otium, quasi indoiciae forent, nec ab inde, uti, et iam, sed ab inducendo originem habere uidentur, quia induciis armorum remissio, s. armistitium, inducitur.

4 Quanquam armistitium ab induciis hoc differre dicitur, quod illud non pacis, sed alius negotii tractandi causa, ad breue duntaxat tempus ineatur, hae uero ad pacem uere, uel saltem in speciem tractandam, ad longius, etiam multorum annorum, spatium fiant.

5 Dicuntur alias treuga, sequioris aetatis Graecis *ῥεῖβα*, unde Gallorum trêues, suspension d'armes, pax sequestra, media.

6 Forma huiusmodi pactionis consistit (1) in disceptatione de conditionibus, (2) in perfectione conuentorum, (3) in determinatione temporis, (4) in promulgatione cessationis.

7 Con-

7 Conditiones autem id potissimum complecti solent, ut rerum, armis quaesitarum, possessio retineatur, de querelis per iudices delegatos cognoscatur, nouorum castellorum exstructio omittatur.

8 Additur interdum etiam causa, cur fiant induciae, h. e. finis, tum generalis, tum particularis.

9 Talis esse potest uel tractatio de pace, uel temporaria a molestiis belli respiratio, uel secuta demortuorum sepultura.

10 At eiusmodi tamen causae specioso magis praetextu, quam rei ueritate interdum nituntur.

11 Itaque pessimo saepe animo inducias eiusmodi fieri, maximisque adeo damnis occasionem dare, nemo negabit.

12 Unde et fieri solet, ut, captata occasione, contra datam fidem hostili uiolentur actu, e. g. nocturna, aut clandestina inuasione, fraudulenta rerum depraedatione, aliaque ratione iniusta, saltem dolo, sine armis, suscepta.

13 Ceterum, pro diuersitate formae ac finis, etiam diuersae admodum sunt induciae.

14 II. *Diuiduntur* quippe partim in illimitatas, seu uniuersales, et limitatas, seu particulares, partim in simplices, seu reales, aut personales tantum, et mixtas, seu reales et personales simul.

15 De quibus quid porro sit obseruandum, prae aliis scriptoribus figillatim exponunt Puteanus, Besoldus, Brunnemannus, Strauchius, et Schurzleischius.

16 III. *Axiomata* sunt: (1) Equidem utilitatis plurimum afferre possunt induciae, belli sanguinolenti feriae, pacisq; optatae primordia.

17 (2) Sed grauissima etiam damna secum ferre, bellique uolentioris fomitem praebere possunt.

18 (3) Quare hosti non, nisi per spectro eius animo, habitaque circumstantiarum omnium ratione, concedendae sunt.

19 (4) Denegari quoque debent, si periculum sit, ne concedentis subditi a bellandi usu et peritia desuecant.

20 (5) Quod quidem tum maxime est obseruandum, si molliores fuerint homines, ac seniores.

21 (6) Ad unam uero alteramue causam concessae, ad aliam licite usurpari nequeunt.

22 (7)

22 (7) Nisi scilicet haec minor sit illa; adeoque cui plus liceat, eidem et minus licere censeatur.

23 (8) Quod tamen cessat, si causa pactione expresse sit determinata, adeoque minime extendenda.

24 (9) Ceterum licet induciae, ratione hostilis, qui belligerantibus usque manet, animi, cum bello affinitatem habeant, ad pacistamen, quam belli naturam, propius accedunt.

25 (10) Ergo, durantibus illis, pacata etiam cuncta esse debent, et, si forte damni quid datum fuerit, id restituendum est.

DISCVRSVS III.

DE

I. G. CIRCA TRANSACTIONEM.

I. *Notatio vocis.* II. *Definitio.* III. *Axiomata.*

I I.

Vox Transactionis dicitur a transigendo, quod uel generaliter accipitur, uel specialiter.

2 Generaliter idem denotat, quod finire, terminare, conficere, expedire, ad finem aliquod negotium quocunq; modo perducere.

3 Specialiter significat litem, iam motam, uel mouendam, ita dirimere, ut aliquid detur, uel restituatur, uel saltem promittatur.

4 In quo quidem sensu, utpote proprio, hic etiam transactio accipitur, nimirum pro decisione rei dubiae, seu litigiosae.

5 II. *Definiri* itaque potest per actum, quo gentes causam, publicis armis controuersam, certis conditionibus, aut pactionibus, mutuo consensu initis, componunt.

6 Dicimus, transactionem non ipsam esse conventionem, sed actum, qui conventionem, aut pacto, peragatur, seu decisionem per conventionem.

7 Subiectum, seu personae transigentes, sunt Principes, aut Reipublicae, gentium nomine uenientes, et belli pacisque iura habentes,

8 Idcirco duces belli et milites non, nisi delegatam transigendi potestatem habere possunt.

9 Obiectum uero, ut definitio indicat, est causa, bello controuersa, adeoque litigiosa et dubia, saltem iudicio partis.

10 Scilicet unaquaeque belligerantium pars causam suam certam,

fam, alterius incertam, adeoque fortunae iudicio committendam, seu armis experiendam, dicit.

11 Quod partis iudicium, quamuis interiori mentis sententiae saepe aduerletur, inter gentes tamen momentum habere, supra diximus.

12 Modus transigendi, pro uaria subiecti, obiective ratione, uariis admodum est.

13 Ea uero, de quibus plerumque agi solet, ad duo potissimum capita reduci possunt, ad personarum ac rerum captarum restitutionem, aut retentionem, et inimicitiarum depositionem atque obliuionem, seu amnestiam.

14 De priori quidem capite, cum alio iam loco id exposuerimus, hic dicere nihil attinet, posterius autem paululum attingere iuuat.

15 Nomen amnestiae origine Graecum est, idemque significat, quod obliuio, unde et obliuionis decretum, uel plebiscitum, ueterebus erat lex, Thrasylulo auctore, introducta.

16 Itaque, ratione etymi, amnestia denotat sempiternam plenamque iniuriarum obliuionem et abolitionem.

17 Quo respectu describi potest per pactionem publicam, solemnem et iuratum, qua de iniuriis, et damnis, ultro citroque datis, et offensionibus, in aeternum tollendis, inter partes aduersas convenit.

18 Breuius dici potest eorum, quae, durante discordia, ultro citroque facta sunt, obliuio, publice sancita.

19 Causa, cur talis obliuio expressa sancitur pactione, est concordiae pacisque futurae securitas, utpote quae cum iniuriarum et offensarum memoria stare non potest.

20 Id ergo efficere debet amnestia, ut saeva uindictae libido in animis exacerbatis restinguatur, et inter partes reconciliatas constans restituatur amicitia.

21 Quapropter ulcerum ex diffidiis publicis reliquorum medela, et quaedam ueluti panacea uocari solet.

22 Est autem, ratione obiecti, uel generalis, uel specialis, ratione modi, seu formae, uel absoluta, uel conditionata.

23 Generalis ad omnes omnino personas et causas utriusque beligerantium partis pertinet, specialis uero ad certas duntaxat.

24 Absoluta sine restitutionis lege, conditionata uero cum ea fit

25 Inter iustas ab amnestia excludendi causas praecipue habentur (1) delicta et iniuriae, quas princeps remittere non potest, (2) caedes a latronibus, piratis, aut rebellibus commissa, (3) induciæ et armistitium.

26 Quae quidem omnia latius persequuntur Boeclerus, Boxhornius, Berneggerus, Maeuius, Wigandus, Cocceius.

27 III *Axiomata* sunt: (1) Cum pace et concordia nihil optatius nihilque gratus censeri possit, praeclare agunt gentes, quae bellis calamitosus finem transactione imponere sultinent.

28 (2) Qualis quidem transactio ut eo melius possit succedere, statim, ut ea suscipitur, armorum facienda est suspensio.

29 (3) Inter praecipuas autem conditiones, quae transigentibus pacemue restauraturis curæ cordiq; esse debent, habenda est amnestia.

30 (4) Eaque non particularis, sed uniuersalis, omnes utriusque partis subditos complectens.

31 (5) Talis ut obtineatur, enitendum est omnibus illis, qui, bello feliciter confecto, securam diuturnamque desiderant pacem.

DISCVRSVS IV.

DE

I. G. CIRCA MEDIATORES.

I. *Descriptio*. II. *Officium*. III. *Axiomata*.

I I.

Describi potest mediator, quod sit Princeps, uel populus, populiue rector, qui litigantibus belloque decertantibus, siue ultro, siue rogatus, sese interponit, eosque auctoritate, rationibus et precibus ad pacem flectere nititur.

2 Dicitur mediator uoce, a medio dicta, sed recentiori demum tempore nata, adeoq; uetustiori ac puriori Latine prorsus incognita.

3 Videtur olim sequestri nomen habuisse, quem hodie mediatorem, uel arbitratorem, uocant, sicuti pro mediatione, nouo pariter uocabulo, sequestratio in usu fuisse dicitur.

4 Mediator autem et arbiter (quae nomina multi, tanquam synonyma, promiscue usurpant) quatuor potissimum modis a se inuicem differre uidentur.

5(1)

5 (1) Ratione subiecti, cum mediator summam habeat potestatem, uel Maiestatem, saltem analogam, arbiter minus.

6 (2) Ratione obiecti, cum mediator publica tantum negotia tractet, eaque grauiora, arbiter etiam priuata.

7 (3) Ratione modi agendi, cum mediator nullam iuris solemnitatem adhibeat, arbiter secus.

8 (4) Ratione effectus, cum mediator suis monitis, suisue pronuntiationis nullam obligationem, aut cogendi uim inducat, arbiter uero sententia sua effectum iuris consequatur.

9 Non autem hoc loco spectatur mediator, qui bellum parantes ab armis ad pacem abducere studet, sed qui, bello iam coepto, aut aliquamdiu gesto, uim hostilem exercentes reconciliare tentat.

10 Causae, quae mediatorem ad suscipiendam eiusmodi reconciliationem mouere possunt, uariae sunt.

11 E. g. dissidentium postulatio et compromissio, seruandae concordiae studium, affinitatis, aut foederis, uinculum, crescentis potentiae metus.

12 Il *Officium* ergo talis mediatoris est, ut, sicuti neutri belligerantium parti debet esse addictus, ita nec uni prae altera faueat, sed aequum se utrique praestet, et omnia merito causae metiatur.

13 Quapropter malam de se suspensionem, iuris arrogationem, commodique proprii studium sedulo a se auertat, necesse est.

14 Oblata autem et acceptata mediatione, pacis negotium ita tractare debet, prout potestas, a partibus concessa, tulerit.

15 Ad componendam inter dissidentes pacem fortioribus utatur argumentis, omniaque scopo suo aduersa prudenter praeuertat.

16 Ideo belli causam probe consideret, bellantium uoluntatem studiose exquirat, postulata rite perpendat, legatos, de pace acturos, tempestiue conuocet, et conditiones aequas sincere proponat.

17 Perdita autem in conciliandis partibus opera, neutri earum auxilium praestet, aut uim inferat, nisi expressa id postulet conuentio, aut summa necessitas.

18 Sin, facta pace, euentus expectationi minus respondeat, cogitet secum mediator, pro officiis, in curanda pace praestitis, non gratiam semper, sed inuidiam manere.

- 19 Plura de officio et iure mediatorum docuit Cœccæus.
 20 III *Axiomata* sunt: (1) Studium, quod conciliandæ inter bel-
 lantes paci adhibetur, præstantissimum esse, crebro iam monuimus.
 21 (2) Quippe gentium incolumitatis interest, communis socie-
 tatis vinculum, ubi ruptum fuerit, refarciri.
 22 (3) Idcirco oblata etiam mediatio sine causa grauiore nun-
 quam est reiicienda.
 23 (4) Id tantummodo cauere debet is, qui talem mediationem
 accipit, ne mediatoris offensionem sibi attrahat, si mediatio nul-
 lum forte effectum habuerit.
 24 (5) Præsertim, si potentior sit mediator, gloriaeq; studiosior.
 25 (6) Tamen enim prudentis utique est, considerare, an satius sit
 persuasionibus monitisque talis mediatoris cedere, quam, eum fru-
 strando, odium in se concitare, ac periculum.
 26 (7) Nec inconsultum est, mediatorem, ubi metuendum quid
 ab eo fuerit, hac demum lege accipere, ut, intra certos se mansu-
 rum limites, pacto promittat.

DISCURSUS V.

DE

I. G. CIRCA LEGATOS.

I. *Notatio vocis.* II. *Definitio.* III. *Distinctio.* IV. *Iura.* V. *Officium.*
 VI. *Scriptores.* VII. *Axiomata.*

I

Vox legati descendere uidetur non tam a legendo, quasi legi, seu
 deligi, debeat, quam a legando, h. e. mittendo, quoniam a re-
 publica ad rem publicam publici negotii causa mittitur.

2 Variis præterea nominibus insignitur legatus, et, ueterum qui-
 dem more, dicitur interpret, orator, nuntius, fecialis, caduceator,
 nostro autem stylo minister publicus.

3 In eminentiore scilicet sensu, habito respectu publici Gentium
 iuris, cuius tutela et præsidio minister, apud externos negotia tra-
 ctans, tegitur.

4 Hoc igitur sensu nomen ministri publici ne quidem de Cardi-
 nalibus, ut dicuntur, ministris, nedum de aliis status ministris, aut
 consiliariis, prædicari potest, teste Pelzhofero.

5 Qua-

5 Quales et quotuplices Romanorum fuerint legati, iuris ciuilibs Doctores passim tradunt.

6 II. *Definiri* potest legatus per ministrum publicum, a republica ad rempublicam, propter certa negotia publica, certo modo expedienda, certa cum solemnitate missum, certisque iuribus ac priuilegiis, publico gentium iure receptis, fruenter.

7 Quæ quidem definitio et generalior est, adeoque cuiuscunque ordinis legatum complectens, et plenior, omnia, quæ de legato obseruanda sunt, exhibens.

8 Scilicet et causæ, et adiuncta præcipua inde cognosci possunt,

9 Causa efficiens, seu mittens et admittens, debent esse Principes, et respublicæ, maiestatem, s. summam potestatem, uel saltem huic analogam, et superioritatem, ut uocant, territorialem, habentes.

10 Ius enim legationis perinde, atque ius belli et pacis, ad summos tantum imperantes pertinet, adeoque subditi, rebelles, prædones, alique huius generis homines ius tale exercere non possunt.

11 Quamquam de facto id sæpe usurpari, imo in bellis ciuilibus utrique parti, ex necessitate publica, quodammodo permitti, hystoriae testantur.

12 An, et quales legatos Principes ceterique Ordines Imperii mittere possint, præter scriptores iuris publici ex instituto disquisuerunt Kulpisius, Presbeuta, Fürstenerius, de Reinbaben, alique, infra excitandi.

13 Subiectum est minister idoneus, h. e. certis instructus requisitis.

14 Talia autem requisita duplici potissimum facultate constare uidentur, naturali, h. e. habilitate legati, et morali, h. e. potestate legationem rite obeundi.

15 Habilitas complectitur bona tum interna, tum externa.

16 Ad bona legati interna pertinent omnes animi corporisque dotes, e. g. excellentia ingenii, artium, linguarum, doctrinarumque utilium notitia, prudentia politica, uirtutes præstantiores, habitus corporis bonus et elegans.

17 Inter bona externa, seu fortunæ, præcipua sunt generis nobilitas, splendor familiae, amplitudo opum, præsidia amicorum.

18 Potestas legationem rite obeundi requirit (1.) literas si-

duciarias, seu credentiales, (2) mandata et instructiones, (3) literas salui conductus, et commendatitias.

19 *Credentiales*, seu tabulae fidei publicae, sunt literae, ministro publico, ad externos proficiscenti, a domino mittente ad admittentem concessae, ut ipsi de statu et conditione fides habeatur, tractandique negotia auctoritas concilietur.

20 Mandata duplicis sunt generis, alia generalia, alia specialia.

21 *Generalia* sunt scripta, quibus, tanquam instrumentis publicis, legato potestas, seu facultas certum expediendi negotium conceditur, ita, ut, illis exhibitis, legatus ad agendum admittatur.

22 *Specialia* sunt tabellae instructionis arcanae, seu secretae, quibus ordo, modus, ac ratio mandatum exequendi praescribitur, et quibus, tanquam cancellis, legati libertas coarctatur.

23 *Literae salui conductus*, seu liberi commeatus, sunt scripta publica, quibus legato securitas et commoditas eundi redeundique obtinetur, de quibus legi potest dissertatio Hertii.

24 *Commendatitiae literae* sunt illae, quibus ministro publico eorum, qui in transitu forte sunt inuisendi, quique legato, quippe ad se non misso, alioqui nihil debent, fauor et benevolentia conciliantur.

25 Possit huc etiam referri apparatus, ut dicitur, legatius, omnem comitatus, famulitii, supellectilis, et rei nummariae prorsum complectens, adeoque ad legationem, commode digneque obeundam, utique necessarius.

26 *Ceterum*, cuius nationis, sexus, aetatis, conditionis, status ac religionis debeant esse legati, in peculiari illo tractatu, quem Collegium Politicum speciale inscripsi, uberius disceptatur.

27 An legatus ad hostem adeundum cogi possit, docuit Röserus.

28 *Obiectum est negotium publicum*, h. e. tale, quod ad Reipublicae statum et emolumentum quocunque modo pertinet.

29 Accipitur ergo uocabulum negotii in sensu paulo latiori pro qualibet re, apud externos agenda, adeoque etiam pro praestatione humanitatis, necessitudinis alioque nomine facienda.

30 Strictius autem accepta, negotii uox officio contradistingui solet, unde legatio alia dicitur esse officiosa, alia negotiosa.

31 *Forma legationis* consistit in certis solemnitatibus, partim ad missio-

missionem, partim ad admissionem pertinentibus, uti mox dicitur.

32 Finis mutuum rerum publicarum commercium, quaeque inde haberi potest, incolumitatem respicit.

33 Sicut autem non una omnium ministrorum publicorum est dignitas et conditio, ita nec unius ipsi sunt generis.

34 III. *Distinguuntur* ergo in duo potissimum genera, quorum alterum legatos maiores, seu primi ordinis (Gallice du premier rang) alterum legatos minores, seu secundi ordinis (Gallice du second rang) complectitur.

35 Primi ordinis ministri uulgari nomine dicuntur *Ambassadeurs*, suntque tales, qui characterem repraesentatiui insignantur.

36 Talis autem character nihil aliud, est quam ius fruendi iisdem honoribus, quibus frueretur mittens, si praesens esset, quantum legati fert conditio, et honorum ratio.

37 Scilicet cum Maiestas imperantibus intime et inseparabiliter inhaereat, adeoque nulli ministro omnino impertiri possit, neque praerogativae, inde pendent, legato obtingere queunt.

38 Imo fraterna, quae inter Principes existit, paritas postulat, ut legatus Principe, ad quem mittitur, tanquam domini, aut hieri sui fratre, inferior, aut minor, habeatur.

39 Quare distinguendum utique est inter honores communicabiles et personales.

40 Communicabiles sunt, qui legato, respectu characteris repraesentatiui, salva mittentis dignitate, exhiberi possunt, e. g. compellatio, sessio, et tractatio honorabilior.

41 Personales sunt, qui natiuae Principis summiue imperantis Maiestati manent proprii, e. g. titulus et honor Principis, aut status liberi, seu nominatio, exceptio et tractatio, summorum imperantium personis, pro more ac dignitate, debita.

42 Discernendus etiam est character repraesentatiuus a characterem legati, cum hic omnibus ministris publicis, cuiuscumque fuerint ordinis, sit communis, ille uero maioribus duntaxat legatis sit proprius.

43 Plura de ministris primi ordinis in peculiari tradidit dissertatione Müllerus, de repraesentatiua autem qualitate commentatus est Cocceius.

44 Se-

44 Secundi ordinis ministri Gallica pariter uoce dicuntur *Enuoyés*, siue *Residens*, suntque legati, uel, ut hodie ob discrimen ministrorum primi ordinis uocari solent, *ablegati*, *character* *repraesentatiuo* destituti, ideoque minori loco habendi.

45 Scilicet ratione honorum quorundam peculiarium, qui maioribus tantum legatis, ob characteris repraesentatiui praecellentiam, tribuuntur, non ratione iurium, aut priuilegiolorum, quippe quae utriusque ordinis legatis ex iure Gentium peraeque debentur.

46 In hanc ministrorum classẽ etiam referuntur *Ministri*, ut uulgo dicuntur, *Plenipotentarii*, *character* *repraesentatiuo* destituti, nec non *Commissarii*, ad publica negotia, e. g. ad dirimendam de limitibus controuersiam, constituti, item *extraordinarii Batauorum Deputati*.

47 Merito autem hinc excluduntur *Agentes*, ut dicuntur, et *Consulentes*, multoque magis *Buccinatores*, quamuis hi maximum habeant usum, hocque nomine amplissimo fruantur iure, de quo ex instituto scripsit *Wilduogelius*.

48 Vtriusque autem ordinis ministri publici porro in ordinarios distinguuntur, et *extraordinarios*, more a Gallis recepto.

49 Sed *extraordinarius* et *ordinarius* eiusdem nominis uix aliter inter se differunt, quam quod eo casu, quo ambo, ab eodem Principe missi, concurrunt, ille hunc praecedat, et, siquidem maiorem plerumque magnificentiam affectat, uulgi opinione etiam hoc dignior habeatur.

50 Dico, si ab eodem Principe ambo sint missi, his uerbis indicaturus, quod, si diuersos habeant dominos, horum in uindicanda sibi praerogatiua debeant habere rationem, non attento ordinarii et *extraordinarii* titulo.

51 Ita scilicet, ut, si legati ordinarii Princeps dignior sit Principe, legati *extraordinarii* etiam *ordinarius* legatus primum prae *extraordinario* locum obtineat.

52 Quod quidem adeo firmum est, ut nec *ablegatus* *extraordinarius* (*Enuoyé extraordinaire*) cum ministro residente domini sine controuersia dignioris, e. g. Imperatoris, de principatu iure contendere possit ac debeat.

53 Quippe nouo hoc Geneuenſium inuento, quo miniſter ſecundi ordinis, ad imitationem legati maioris, ſpectoſo ablegati extra ordinarii titulo inſigniri coepit, pares eiſdem ordinis dignitatis, quem miniſtri nequaquam potuerunt fieri impares.

54 Idem Reſidentis et ablegati extraordinarii eſt ſtatus, idem ordo, idemque honor, quicquid hic præ illo, noui ſplendore tituli captus, ſibi identidem arroget.

55 Quemadmodum uero Pontifex Romanus præ aliis Principibus ſingularem titulorum, honorum, iuriuinque præeminentiam affectat, ita peculiari etiam ratione ſuos diſtinguit legatos.

56 Scilicet in tres eos deſcribit ordines, quorum primo legati a latere, ſecundo nuntii apoſtolici, et tertio legati naturales, ſeu nati continentur.

57 Legati a latere ſunt cardinales, legationem obeuntes, ita dicti, quoniam quaſi a latere Pontificis ſunt, eique, ut ſanctiores conſiliarii, in arduis negotiis aſſiſtunt.

58 Nimirum a latere dicuntur eſſe amici Principum, ſeu miniſtri intimi, qui conſiliis ſuis ſemper ſunt præſto, adeoq; in ſanctiore ſonatu quaſi a latere dominis ſuis aſſiſtant, ut erudito hoc programme uberius expoſuit Wildaogelius.

59 Nuntii apoſtolici, uel internuntii, et miſſi, ſunt perſonæ, in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, et negotiorum cauſa ad exteros miſſæ.

60 Tales miniſtri, ubi ſimbriam uelliſ Pontificiæ tetigerunt, ſeu mandatum ab ipſo Papa uiua acceperunt uoce, poteſtatem legati a latere, cum eodem ſere effectu, ac ſi Cardinales eſſent, nanciſcuntur.

61 Hoc rarum eſt et inſolitum, quod nuntius apoſtolicus non ſecus, ac Principis ſecularis miniſter, extraordinarii titulo inſignitur.

62 Nuntius autem et internuntius ita potiſſimum a ſe diſtare uidentur, ut ille, a Papa, accepto legati munere, delectus, de loco in locum mittatur, hic uero in ea ciuitate, ubi Pontificis negotia tractare debet, e. g. Coloniae, Bruxellis, conſtitutus, quaſi uices nuntii ſuſtineat.

63 Legati denique naturales, ſeu nati ſunt, qui ſtatim, ut officium Archiepiſcopale obtinent, etiam perpetui et quaſi nati ſedis Pontificiæ

K k k

tificiæ

ificiae legati (gebohrne und immerwährende Legaten des Päbſtlichen Stuhls zu Rom) exiſtunt.

64 Tales ſunt Primates in ſingulis ſere regnis, e. g. Archiepiſcopus Salisburgenſis in Germania, Strigonicenſis in Hungaria, Rhemenſis in Gallia, Piſanus in Italia, Toledanus in Hiſpania.

65 Quae uero eiuſmodi legatorum ſit poteſtas, quidue porro de iis pariter, ac de ceteris, notari mereatur, inter alios docent Böhmerus, Barbola, de Marca, Zieglerus, Thomafinus, et Merzenfeld.

66 IV. *Iura* et priuilegia complectantur (1) admiſſionem et acceptionem honorificam, (2) ſecuritatem et inuiolabilitatem debitam, (3) immunitatem et praerogatiuam ſingularem.

67 Admiſſio et acceptio conſiſtit in praestatione eorum, quae legatus, ex mutuo de mittendo et admittendo conſenſu receptus, et agnitus, pro ſua conditione, tandiu expectare poteſt, quamdiu iis indignus iure cenſeri nequit.

68 Mutuus hic requiritur conſenſus, quippe qui unicum fere fundamentum omnis admiſſionis, quaeque eam conſequentur, iuribus ac priuilegiis haberi debet.

69 Cum enim legatorum admiſſio ſit actus non arbitrii, non niſi ex conſenſu, ſue expreſſo, ſue tacito, poſtulari poteſt ab iis, qui nullum in terra ſuperiorem agnoſcunt.

70 Quod ſi uero eiuſmodi admiſſio ex ſola mittentis uoluntate eſſet neceſſaria, quaedam quaſi ſubiectio inde naceretur, eum ſumma imperantium poteſtate omnino pugnans.

71 Quocirca non ſtatim lus gentium uiolaſſe dicendus eſt ille, qui, grauiore adductus cauſa, legato, ad ſe inſcium et inuitum uenienti, admiſſionem denegat.

72 Quae uero iuſtae ſint denegationis cauſae, inter doctores haud conuenit.

73 Triplicem uolgo rationem hic attendendam eſſe, dicunt (1) Principis mittentis, (2) miniſtri miſſi, (3) negotii commiſſi.

74 Quoties itaque uel mittens, uel miſſus, uel negotium commiſſum mali cuiuſpiam ſuſpicionem excitet, admiſſionem ſaluo gentium iure, denegari poſſe, aiunt.

75 Quanquam, ut Princeps ueram denegatae admiſſionis cauſam ſemper indicare debeat, nulla ſub eſt neceſſitas.

76 At

76 At modi, quibus honorifica ministrorum publicorum admissio et tractatio fieri solet, pro uariis gentium institutis, uarii etiam sunt, ut in citato supra libello docui.

77 Id tantum hic attingere iuuat, proprium ministro primi ordinis esse titulum Excellentiae, de cuius origine et usu, tum antiquo, tum recentiore, nouissime scripsit Glasfey.

78 De Ceremoniali autem iure circa legatos prae aliis legi possunt Brunnemannus, Winterfeld, Steinius, Zwanzig, et Lünigius.

79 Admissionem sequitur securitas et inuiolabilitas, quae complectitur (1) negotia commissa tractandi libertatem, (2) ab omni laesione, accusatione, et iurisdictione externa exemptionem, (3) eundi redeundique securitatem.

80 Nittitur hoc inuiolabilitatis ius mutua gentium incolumitate, ut generali iuris gentium fundamento.

81 Non enim saluae manere possunt gentes, si, uiolato legato, mittentis uioletur sanctitas, uiolata sanctitate, uioletur socialitas, uiolata socialitate, uioletur commune incolumitatis uinculum, ut latius hoc demonstrauit Lehmannus.

82 Ex hoc igitur fundamento, iure gentium tam singularis legato asseritur sanctitas, ut minima etiam iniuria, ipsi, siue in persona propria, siue in comite, aut famulo, imo et aedibus, illata, multo grauius, quam alias, uindictari debeat.

83 Nimirum patrocinatur isthoc inuiolabilitatis ius non modo legato, sed etiam omnibus eis, quae ad legatum quocumque modo pertinent, uti comites, pedisequi, domicilium, supellex.

84 Nam comitibus, famulis, sarcinis, et aedibus non magis carere potest legatus, quam foedus, aut pax, sine legato fieri potest.

85 Cum autem accessoria aestimentur ex conditione principalis, et, quicquid cum legato adest, perinde, atque ipse legatus, publico nomine adesse credatur, in eadem iuris gentium tutela existunt legati comites, famulitia, uasa, et aedes, qua ipse regitur legatus.

86 Quod tamen non eo extendendum est, ut legatus, hac fretus inuiolabilitate, uel ipse quiduis audere, uel suis omnia permittere, uel hominibus secleratis in habitatione sua receptum dare possit.

87 Quocirca ob meram abusus ne omnibus quidem legatis ius

asylum, siue, ut barbara dicitur uoce, franchiariarum, quippe gentium legibus absolute haud præceptum, conceditur, ut inter alios docent Thomasius et Willenbergius.

88 Quibuscum conferri possunt scriptores de asylo, uti Sarpius, Mylerus, Rittershusius, Röslerus, Becmannus, et Viccius.

89 Sed de singulis, quas diximus, inuiolabilitatis partibus paulo uberius dispicere, operæ pretium est.

90 Libertas quidem negotia tractandi tam necessaria est legato, ut sine hac omnis legatio et sine destituatur, et effectum.

91 Iusta autem intelligenda est libertas, non immoderata, cum licentia et temeritate coniuncta, utpote quæ nequaquam in legato ferri debet.

92 Exemptio a iurisdictione iure gentium ideo tribuitur legato, quia non patitur mittentis maiestas, ut minister publicus, reipublicæ ueluti faciem secum afferens, alienæ sublit potestati, eique de factis suis, præsertim priuatis, neque adeo noxiis, rationem reddere debeat.

93 Dico, de factis priuatis, quoniam, si forte legatus quid deliquerit, inter delicta priuata et publica utique distingui oportet.

94 Scilicet propter hæc, non propter illa, legatus ab eo, ad quem missus est, in certis casibus puniri posse uidetur.

95 Maxime, si mittens non satis firmam de ministro puniendo fidem dare uelit, neque plus mali ob ministrum punitum, quam deditum, metui possit.

96 Quam diuersæ autem sententiæ hic circumferantur, apud eos uideri potest, qui argumentum hoc ex instituto pertractarunt, nominatim Zouchæus, Cocceius, Brucherus, et Cassius.

97 Securitas eundi et redeundi, nititur necessitate causæ, cur legatio decernatur, cum frustra sit destinare legatum ad externos, nisi secure redeundi pariter, atque eundi, facultatem habeat.

98 Data igitur securitate ueniendi, etiam data censetur securitas redeundi, quoniam tempus accessionis, mansionis, et regressionis indicatur a pari.

99 Immunitas denique et prærogatiua singularis in eo consistit, ut legatus (1) nullum pendat vectigal, (2) liberum religionis exer-

exercitium in aedibus suis habeat, (3) iurisdictionem in suos exercere comites.

100 Immunitas a vectigali, aliisque tributorum generibus, ministro publico ob singularem eius dignitatem conceditur, cuius respectu, hominum, ad onera eiusmodi ferenda obstrictorum, censui eandem eximi, par utique est.

101 Restringi autem debet hoc privilegium ad ea potissimum, quae legatus in suum, non alienum, usum secum affert, uel sibi afferenda curat.

102 Quamquam minutissima hic consuetudine inconsultum utiq; est.

103 Liberum religionis exercitium legato in aedibus suis permittere, eo aequius censeri debet, quo magis cum naturali conscientiarum libertate, etiam inter priuatos non facile infringenda, conuenire uidetur.

104 An uero uernacula legati lingua fieri debeat tale exercitium, et quousque alii ab eo arceri possint, uarie a scriptoribus disceptatur, inter quos praecipue legi potest Boehmerus.

105 Iurisdictione in comites legato concessa intelligitur a suo, quem refert, Principe, ita, ut, quemadmodum hic iurisdictionem in suos ubiq; habet, ita ipsius etiam auctoritate eandem exercere possit legatus, ut peculiari hoc dissertatione docuit Willenbergius.

106 Recensiti huiusce privilegii nonnulli alia addunt, e.g. beneficium restitutionis in integrum, immunitatem a tutela, facultatem quocunque modo testandi, de qua sigillatim scripsit Wilduogelius.

107 V. *Officium* legati uel generatim spectari potest, uel speciatim.

108 Generatim spectatum complectitur potissimum fidem, attentionem, et circumspectionem in exequendo, quod secreto accipit, mandato domini.

109 Cum enim mandatum hoc omnium actionum norma sit, ac ueluti cynosura, id etiam studiosissime seruare debet legatus, nisi ea se obstringere uelit poena, quam παραπρόβιας crimen, seu uiolati mandati reum manere, in peculiari dissertatione docui.

110 Speciatim uero legati officium spectari potest secundum ea, quae naturali fere ordine ipsi sunt agenda, quaeque sequentes quasi legationis periodi complectuntur.

Kkkk ;

in Pro

- 111 (1) Profectio eius ab aula heri.
- 112 Non, nisi rebus necessariis instructus, in uia trita et regia proficisci debet legatus, ne in deuio forte itinere occultus et incognitus periculum sibi arceat ac damnum.
- 113 (2) Aduentus eius in aula extera.
- 114 Simulac legatus in extera aduenit aula, id ante omnia diligenter sciscitari debet, quod ad legationem, rite ineundam, scitu necessarium uideri possit, antequam in publicum prodeat.
- 115 (3) Admissio eius ad colloquium, seu audientiam.
- 116 Legatus, publice admissus, ita se gerere debet, ut optimam de se opinionem, tum allocutione, ad Principem facta, tum singulis actibus conciliet.
- 117 (4) Commemoratio eius apud exteros.
- 118 Quamdiu minister publicus apud exteros agit, tum domino suo, tum Principi, uel statui extero, tum aliarum gentium legatis, in eodem loco commemorantibus, id exhibere debet, quod officii, moris, et prudentiae ratio postulat, secundum ea, quae speciatim in Collegio, saepius allegato, docui.
- 119 (5) Abitus eius ex aula peregrina.
- 120 Legatus, siue a suis, siue ab extero Principe, domum redire iubeatur, modo, quam fieri potest, optimo, discedere debet, ne male cupientibus insultandi uindicandique materiam praebeat.
- 121 (6) Reditus eius ad aulam heri.
- 122 Eodem, quo uenerat, itinere, legatus ad suum redeat dominum, eidemque, redux factus, expediti rationem negotii exponat.
- 123 VI. *Scriptores*, praeter iam excitatos, hic commendandi, sunt (1) Vayerus, (2) Magius, (3) Albericus Gentilis, (4) Paschalius, (5) Marselaër, (6) Varleuicius, (7) Kirchnerus, (8) Wiquefortius, (9) de Kuniga, (10) Benauides, (11) Bragaccia, (12) Presbenta, seu de Henning, (13) Walsinghamus, (14) Boeclerus, (15) Rethelius, (16) Callierius, (17) Iungherus, (18) Kulpisius, (19) Fürstenerius, (20) Ludouicus, alique, maximam partem recensiti a Besoldo, Kulpisio, et Struuiio.
- 124 VII. *Axiomata* sunt: (1) Eo utilior, eoq; magis necessaria legatorum opera debet haberi, quo periculosiores Principum congressus plerumque existere, doctores comprobant, sigillatimque Cominaeus, Boeclerus, et Iacobus Thomafius.
- 125 (2)

125 (2) Cum autem maxima negotiorum publicorum momenta ex legationibus pendeant, idoneis omnino ministris eas committi debent.

126 (3) In his igitur ministris deligendis summa a Principe diligentiam adhiberi oportet, ut viros negotiis pares nanciscatur.

127 (4) Inprimis non tam generalem, seu communem, in legato dexteritatem, quam specialem, ad certa negotia necessariam, spectet, necesse est.

128 (5) Caveat etiam, ne virum, ex aliqua causa inuisum, vel suspectum, mittat, sed gratum, moribus et indoli gentis exterae commodum sumat.

129 (6) Princeps vero, qui consensum de legato admittendo, semel est pollicitus, ea quae iure gentium legato debentur, sancte observet, nec, nisi gravissimam ob causam, durius habeat legatum.

130 (7) Ipse vero legatus, sui memor officii, nec mittentis, nec admittentis, dignitatem ullo modo dedecoret, aut laedat, sed, praescriptae attendens normae, et probitatem ubique adhibeat, et prudentiam.

DISCURSUS VI.

DE

I. G. CIRCA SPONSORES.

I. Notatio vocis. II. Descriptio. III. Axiomata.

I.

Vox sponforis, a spondendo descendens, in vario accipitur sensu.

1 Primum quippe eum denotat, qui certam de facto, vel eventu, dubio stipulationem (Wette) facit, de quo supra in I. N. egimus.

2 Deinde dicitur de eo, qui, e. g. pacis, inter certos Principes reductae, fideiussor (Bürge, vel Garant) existit, de quo infra agetur.

3 Postremo is vocatur sponfor, qui de pace cum hoste paciscitur, qualis hoc loco intelligi debet.

4 II. *Descriptio* itaque potest talis sponfor, quod sit minister, vel legatus, vel sagatus, qui, etiam si a Principe, aut summa potestate, mandatum faciendi pacem non habeat, hanc tamen, publica adductus necessitate, promittit, vel eam Principi, aut summae potestati, ratam fore, spondet.

6 Eoque sensu sponsio nihil aliud est, quam ducum legatorum-
que pactum, sine superioris quidem iussu, cum promissione tamen
rati, de pace initum.

7 Patet hinc, quomodo sponsor et mediator inter se differant.

8 Scilicet sponsor nullam a Principe bellante pacem faciendi
potestatem habet, mediator uero tali utique est instructus, aut in-
structus esse debet, ut supra docuimus.

9 Discrimen etiam dicitur esse inter sponsionem, foedus et pa-
ctionem, quamuis, quod Imperator iniussu populi et sine auctori-
tate senatus pepigerat, id foedus, pax et contractus dictum fuerit.

10 Modus spondendi in hoc potissimum consistere potest, (1) ut
sponsio a pluribus fiat personis, (2) ut in maiorem securitatem
dentur obhides, (3) ut conditio de rati habitatione addatur.

11 Potest etiam iuramento caveri de certa praestatione, uti dedi-
tione, solutione, damniue reparatione, si forte sponsio non rata
fuerit habita.

12 Diximus, sponforem ad spondendum publico adduci necessi-
tate, indicantes, quod sponsores maximo ului esse possint, quoties
in mora sit periculum, neque ius a superiore haberi possit.

13 Tum enim necessitas, magnum illud humanae imbecillitatis pa-
trocinium, qualicumque angustis elabendi consilio praetendi potest.

14 Eoque magis futurae promissionem pacis ratam haberi oportet.

15 Memorabilia talium sponsoforum exempla sunt auctores du-
arum apud Romanos sponsionum, Caudinae et Numantinae.

16 Vtramque dissertationibus illustravit illustre Ictorum par,
Brunnemannus et Thomasius.

17 III. *Axiomata* sunt: (1) Sponsor alienum spondet factum, adeo-
que non, nisi sub promissione ac spe rati, spondere potest.

18 (2) Ergo Principem, seu rempublicam, sponsione, illius iniul-
su facta, obligare nequit.

19 (3) Nec obligatio ratas habendi conditiones ex notitia et silen-
tio inferri debet.

20 (4) Sponsoris tamen est, omnem, quam potest, operam adhi-
bere, ut pacem, quam spondit, obtineat.

21 (5) Quod si efficere non possit, uel id, quod interest, uel restitu-
tionem

tionem in statum pristinum, uel sui deditionem praestare debet.

22 (6) Inse quidem Princeps ad praestandam aestimationem, uel rem restituendam, nequaquam est obstrictus.

23 (7) Attamen tutius agit et honestius, si aequas, uel saltem tolerabiles pacis condiciones, a belli duce promissas, accipit.

24 (8) Sin uero iniquae prorsus et intolerabiles fuerint conditiones, alias pro iis expetere potest, uel pro eo, quod interest, certam pecuniae summam offerre.

25 (9) Id tantummodo cauendum est, ne promissiones, bona fide datae, irritae prorsus fiant, et laudabile pacis studium sponsori noceat.

ARTICVLVS II

DE

I. G. IN STATV PACIS.

Pax, bello reducta, uel generatim considerari potest, uel speciatim.

INSPECTIO I.

DE

PACE, GENERATIM SPECTATA.

I. *Expositio nominis.* II. *Descriptio.* III. *Adiuncta.* IV. *Scriptores.* V. *Axiomata.*

I I.

Nomen pacis modo a uerbo Graeco *παῖσα*, quiescere, modo a pacando, modo a pangendo, seu pacto, descendere dicitur.

2 Verum, siquidem a pace potius pacare, quam a pacando pax oriri uidetur, deriuationes illae re ipsa magis, quam etymologice cum nomine pacis conueniunt.

3 Scilicet pax iucundam complectitur quietem, et in statu consistit pacato, certisque constituitur pactionibus et conditionibus.

4 Quo etiam sensu a pactione pacis nomen appellatum esse, dicit Vlpianus in l. i. §. i. ff. de pact.

5 Nec unius, sed uarii generis est pax, cum alia sit interna et diuina, in animo recti bonique conscio consistens, alia externa, eaque uel priuata, uel publica, haecque porro uel religiosa, uel politica, qualis huius est loci.

6 II *Describi* autem potest pax talis per statum populorum, qui, a decertatione hostili abstinentes, iustam inter se concordiam colunt.

7 Sic pacem hic sumimus non pro actu, quo constituitur, sed pro actus termino, seu effectu, h. e. statu.

8 Actus autem, quo status pacis producitur, uocari solet pacificatio, seu compositio pacis, h. e. conuentio belligerantium, de deponendis armis hostilibus, honeste et sincere inita, de qua dissertationem scripsit Müllerus.

9 Alias in genere describi potest pax per quietam et tranquillam iurium suorum possessionem ac fruitionem.

10 Causa constituens pacis, eademque principalis, non est dux belli, sed imperans, seu populus, belli pacisque iura habens.

11 Quo ipso pax, proprie accepta, ab induciis differt, utpote quas solus etiam imperator, efflagitante belli ratione, pangere potest.

12 Causa uero impellens, seu mouens, ad ineundam seruandamq; pacem, pro uarietate circumstantiarum, uaria esse potest.

13 Scilicet, ratione belli, clades et miseria, fortuna anceps, ratione imperantis, amor religionis, iustitiae, disciplinae, aut tranquillitatis, ratione hostis, metus crescentis bello potentiae, aliusue periculi, ratione subditorum, seditio, corruptio militum, defectio, ducum perfidia.

14 Eiusmodi causae tantam utique uim habent, ut pacem ideo reducere, aut seruare, fas sit, dummodo cetera sint paria.

15 Puta, si pax fuerit honesta, tempestiua, candida ac perpetua.

16 Honestam quidem debet esse pax, h. e. aequis, tolerabilibus, nec ignominiosis conditionibus subnixa, cum nec fida sit pax, nisi bona.

17 Tempestiua autem, h. e. eo stabilita tempore, quo nec bello omnia sunt deuastata, nec impares facti paciscentes.

18 Candida etiam, h. e. fraudis et insidiarum expers, adeoque certa.

19 Perpetua denique, h. e. ex ueteri Romanorum formula, dum coelum et terra durat, persistens.

20 Praeter has proprietates, quibus pax, si iusta esse debeat, nequaquam carere potest, certa eidem adiuncta subinde accidunt.

21 III *Adiuncta* autem talia partim bona sunt, partim mala.

22 In-

22 Inter bona potissimum habentur possessionum securitas, uitae tranquillitas, prouentuum ubertas.

23 Scilicet pace hostiles abolentur uastitates, reparantur bona, bello amissa, abrupta restituuntur commercia, repurgantur mores, belli licentia corrupti, et bona pene innumera gentibus red-
duntur, ut dictis sat multis praeter alios docuit Kortholdus.

24 Ad mala uero adiuncta referuntur licentia et libido, inertia et uirtutis bellicae neglectus, animorum procacitas et superbia.

25 Proinde multas ciuitates, quae praeclare excellenterq; in bello se gesserant, foeda in pace luxuria diffuxisse, testatur Zouchaeus.

26 IV. *Scriptores* pacis praecipui sunt Puteanus, Vulpellus, Schaff-
hausius, Befoldus, Brunnemannus, et Köhnus.

27 V. *Axiomata* sunt (1) Non ordinarius, sed subsidiarius tantum, est status belli, ideoque pacis, quodcumque fieri potest, prae bello facienda est optio.

28 (2) Quod enim belli calamitas introduxit, id pacis lenitas sopit.

29 (3) Quare pax, ab hoste oblata, non, nisi graues ob causas, quarum supra aliquot meminimus, rejicienda est.

30 (4) Dummodo hosti, pacem expetenti, possit haberi fiducia.

31 (5) Nam saepe fieri solet, ut pacis desiderium prae se ferens, moram nectendi, uires colligendi, uanaque adeo spe lactandi propositum animo foueat.

32 (6) Imo, occasione instituti ob pacificationem congressus, hostis praestantiores belli duces corumpere, aut occidere, discordiam inter foederatos seminare, factaque separatione, singulos, si uniuerfos nequit, opprimere, aliudue commodum obtinere studet.

33 (7) Nec temporaria pax, sed aeterna, populis paciscentibus curae cordique esse debet, eamque ob causam cum toto potius regno, quam cum solo Principe, ineatur, necesse est.

34 (8) In ipsa uero pacis tractatione mora saepe et cunctatio magis prodesse solet, quam festinatio.

35 (9) Modo ne, pacis compositione studio protracta, excitatoque belli ac morae taedio, hostis conditiones, alioquin uix obtinendas, extorquere nitatur.

36 (10) Idcirco personam, cum qua agendum est, nosse oportet.

37 (11) Quoties igitur aequiores pacis conditiones ab hoste offeruntur, toties iisdem inhaerere debet princeps, et sine mora pacem inire.

38 (12) Nec committendum est unquam, ut mota de titulis, sessione, dicendive ordine lanti momenti negotio, quale est pacis compositio, obftet.

39 (13) Ceterum suadenda, non cogenda, est pax, quam diuturnam habere cupis.

40 (14) Sin minus tuta uideatur, constanti armorum praesidio contra subdolas hostium fraudes tuenda est, cum praestet, publicum habere bellum, quam sub pace infida occultum.

INSPECTIO. II.

DE

PACE, SPECIATIM CONSIDERATA.

Speciatim considerari potest pax, ratione mediorum eandem tum confirmandi, tum conseruandi.

DISCURSVS I.

DE

MEDIIS PACEM CONFIRMANDI

I. *Neccssitas mediorum.* II. *Recensio eorum.* III. *Axiomata.*

I.

Necessitas mediorum, quibus pax, rerum optima, confirmari possit, ex ipsatum belli, rum pacis, natura apparet.

2. Scilicet bellum malis, pacem uero bonis abundare, diximus.

3. Idcirco hanc firmissima, qua fieri potest, sede stabiliri, illud longissime profligari oportet.

4. Idque eo magis, quo fallacior maleuolentiorque multorum Principum animus corrupto hoc seculo uidetur.

5. Nam hostis, ut modo monuimus, non animo sincero, sed fallendi nocendive proposito, pacem saepissime spondet.

6. Proinde locum hic omnino habet illud ICorum axioma, Vbi-
cunque maius est periculum, ibi maiore opus est cautione, conf.

l. 8.

l. 8. §. 3. ff. de oper. nou. nunc. l. 2. §. 5. ff. de Carbon. edict. c. ubi maius 3. de elect. in 6.

7 Il *Recensentur* autem sequentia hic uulgo media, ut potiora.

8 (1) Confectio instrumenti, h. e. talis scripti, quo articuli, seu conditiones pacis, inter belligerantes initae, consignantur.

9 Eiusmodi instrumentum pacis omnino necessarium est, et si consensus et probatio per testes eandem, fere uim habeat, atque instrumentum.

10 Requiritur modo, ut non solum in lingua, utrique paciscentium parti nota, sed etiam uerbis clavis et perspicuis concipiatur.

11 Debet etiam ab utraque parte subscribi, riteque signari.

12 Disceptatio autem, super eo orta, explicatione, secundum communem ac proprium uerborum sensum perinde, ac paciscentium intentionem, facta, decidi potest.

13 (2) Praestatio iuramenti, utpote quod confirmandae paci eo magis inferuire creditur, quo sanctior eius religio ferocissimis etiam gentibus habetur.

14 Quanquam, ut supra monuimus, cautio sub uerbis fidei et honoris, seu dignitatis, facta, iuramento aequiparari potest.

15 (3) Constitutio fideiussorum, uel sponzorum, qui, interposita fide, sese obstringunt ad operam dandam, ut inita seruetur pax, eiusque uiolatio uindicetur.

16 Sponsio, quam fideiussores tales in se recipiunt, uulgo dicitur garantia, de qua commentationem scripsit Cocceius.

17 Quo potentiores autem sponsores tales existunt, et quo magis, seruata ruptae pace, incommodum damnumue participant, eo praestantiores haberi debent.

18 At ipsi, uiolata pace, conueniri nequeunt, sed autores uiolationis.

19 (4) Datio pignorum et obsidum, quibus securitati pacis omnino consulitur, praesertim si ex ipsis Principum liberis, Regni proceribus, atque illustrioribus personis sumantur.

20 Consultum uero est, urbes ad certum duntaxat tempus concedi, ne diuturniore forte possessione eripiantur.

21 Ceterum de obsidibus, praeter Grotium, plura habent Zouchaeus, Schilterus et Briesmannus.

- 22 (5) Coniunctio affinitatis cum familiis antea inimicis.
- 23 Scilicet coniugio, uti comoediarum, ita belli cuiusque grauis-
simi exitus plerumque circumscribi solet.
- 24 Et usu compertum est, florentissima saepe regna, amplissi-
masque terras nuptiali foedere coaluisse.
- 25 Dummodo non, nisi aequa mente, adhibita circumspeditione,
habitaque religionis et morum ratione, ineantur.
- 26 Quippe nec necessitates semper impedire possunt, quo minus,
prauo dominandi affectu, in bella erumpant Principes.
- 27 His itaque mediis ubi pax fuerit confirmata, et solemnis eius
declaratio, certis actibus, pro cuiusque gentis consuetudine rece-
pris, et repentina eorum, quae tabulis pacificatoriis sunt consignata,
executio fieri solet.
- 28 III. *Axiomata* sunt : (1) Tametsi optimum pacis pignus est iu-
stitia et uicinorum amicitia, nihilo tamen minus suae consulturus se-
curitati, externa etiam adhibere potest uincula.
- 29 (2) Dummodo aequae sint pacis conditiones, eisque rumpen-
dis querela de laesione iniusta praetendi nequeat.
- 30 (3) Quanquam pacificatione non partium ius, seu caussarum
iustitia deciditur, sed transactio saltem fit.
- 31 (4) Ut igitur priuatorum conventiones stipulata alterius in-
teruenientis fide firmanentur, ita publicis quoque gentium pactioni-
bus fideiussorum auctoritas maxime succurrit.
- 32 (5) Deligendi modo sunt tales, quorum quieti et securitati ae-
que consulitur, atque eorum, quibuscum principaliter transigitur.
- 33 (6) Geterum exquisita hic ubiuis et prouida opus est cura, ne
ipsae sponfiones occulta fallant fraude.
- 34 (7) Quemadmodum tabulae pacificationis uel uocum ambi-
guitate, uel literarum ductu, uel inscriptione, aut subscriptione, de-
cipere possunt.
- 35 (8) Confirmata autem pace, omnia, quae in alterius praeiu-
diciu constituta, pacta, aut gesta sunt, ad nihilum recidere debent.
- 36 (9) Nec paciscens tantum Princeps, sed successores quoque
pace, recte inita, obligari censendi sunt.
- 37 (10) Sanctissimi quippe cimelii, pacis, sancta debet esse custodia.

DISCVR-

DISCVRSVS II.

DE

MEDIIS PACEM CONSERVANDI.

I. *Ratio instituti* II. *Recensio*. III. *Axiomata*.

I I.

Ratio instituti in hoc consistit, quod ea hic pertractantur media, quae res publica, siue gens, externe considerata, adhibere debet.

2 Scilicet omnis ciuitas uel interne spectari potest, uel externe.

3 Interne quidem, habita ratione illius uinculi, quod inter impetrantes et subditos, inter ciuitatem uniuersam et singula eius membra, uariasque societates particulares, inibi forte existentes, intercedit.

4 Externe autem, prout gens una ad alteram refertur, et una cum altera societatem colit.

5 Priori respectu media pacem conseruandi in Politica tradi solent, qualia fere sunt, intuitu Principis, iustitia, fides, seu dictorum factorumque constantia, clementia, e. f. p. ratione subditorum, obsequium, reuerentia et pietas erga superiores, concordia et amor mutuus inter membra societatis, e. f. p.

6 Posteriori autem respectu iuris Gentium utique est disquirere, qua uia pax, bello quaesita, conseruari queat, cum eadem disciplina, quae iustum docet, etiam licitum tractare possit.

7 II. *Recensentur* autem inter media pacem conseruandi, praeter ea, quae supra in generali de statu gentium pacifico disquisitione dicta sunt, potissimum militia, foedera, commercia.

8 Militiam perpetuam, beneque instructam, conseruandae paci, tam ratione exterorum, quam ratione subditorum, multum inferuire, nemo negabit.

9 In milite omne honestorum consiliorum robur, et sine eo egregia quaeuis inualida esse, inquit Otto apud Tacitum.

10 Imo rei militaris uirtutem Populo Romano pene orbis terrarum imperium peperisse, rerumque optimarum studia suo texisse praesidio, gloriatur Cicero.

11 Quapropter is demum Reipublicae status perfectissimus dicitur, in quo rei militaris studium, cum ordinata rei ciuilis ratione coniunctum, floret, Nouell. 26. cap. 1. in fin.

12 Foe-

12 Foedera, cum cordatis fideisque gentibus, praecipue vicinis, inita, pacatum Reipublicae statum tueri possunt.

13 Quid enim tam ualidum est, aut potens, quod amicorum copias, simul iunctas, opes cumulas, manus sociatas uincere, aut dissoluere possit?

14 Scilicet foedera gloriam, potentiam, securitatem, magnificentiam et maiestatem augent, aduersariis metum iniiciunt, eosque a pruritu inferendarum iniuriarum deterrent, inquit Polybius.

15 Proinde ab omni memoria, et ex omnium historiarum monumentis eos demum principatus et potentiores, et tutiores fuisse habitos, qui maiori amicorum numero niterentur, recte iudicauit Henrici IV. G. R. Cancellarius apud Serreum.

16 Commercia denique, prudenter instituta, gentem genti necessariam, hocq; etiam nomine amicam reddere, usus comprobatur.

17 Imo commercia respublicas non sociales tantum et quietas, sed etiam florentes, et usquequaque felices reddere possunt.

18 Idcirco et humani generis foedus, et florentis Reipublicae instrumentum, ac quoddam ueluti fulcrum merito dicuntur.

19 Quin imo sine commerciis ciuitatem bene beateque habitari non posse, ex Platonis sententia asserit Callistratus in l. 2 ff. de nund.

20 Quid uero gentibus hic faciendum omittendumque sit, ex iis, quae hactenus sunt tradita, facile apparet, praeterquam, quod in Politica passim occurrent, quae hic etiam usum habere possunt.

21 III. *Axiomata* sunt: (1) Nunquam non gentibus pacem conseruandi media suppetent, dummodo ipsae, seruata affectuum moderatione, paci, ut par est, studeant.

22 (2) Hoc autem maxime requirit pacis studium, ut ea rite praestentur officia, quibus et personarum humanitatem, et rerum proprietatem conseruari posse, supra docuimus.

23 (3) Talibus enim officiis sancta gentium societas seruatur, seruata autem societate, non potest non obtineri pax et incolumitas, supremus legum omnium scopus.

T A N T V M.

SCIENTIAE
DE
PRVDENTIA MORALI
VNIVERSA

PARS IV.

POLITICA

SEV
PRVDENTIA CIVILIS
ET
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

DE EO
QVOD CIRCA MORES HOMINVM IN STATV CIVILI
IVSTVM VEL INIVSTVM BONVM VEL
MALVM EST.

IOANNES HENRICVS BOECLERVS
in commentat. ad Grot. Prolegom.
de I. B. et P. p. 76.

*Politica doctrina nequaquam solis stat utilitatum
quaestionibus, iusti iniustique rationibus neglectis, aut
aliunde quasi de mutuo sumtis. Iuris nomina sunt, quae-
cunque summam potestatem in ciuitate constituunt: finis
ciuitatis non honestate minus (tum quae iuris est, tum
quae decori) quam utilitate definitur.*

INTRODVCTIO.

I

Postquam homines, securitatis studio, etiam vi et potentia maiore adacti, naturalem libertatis statum cum civili, subiectionem et imperium complexo, permutarunt, noua hinc extiterunt officia.

2 Officia haec exponit Politica, seu Prudentia civilis et iuris publici uniuersalis, h. e. disciplina, iustum, aequum et bonum in ciuitate docens.

3 Eo nimirum sensu Politica nobis accipitur, ut, siquidem sub notione boni, seu utilis, licitum, h. e. a lege permissum, tradere debet, simul etiam iustum, h. e. a lege praeceptum, doceat.

4 Secus, ac nouatores quidam uolunt, fat multis idoneisque argumentis a nobis confutati in praeliminari huius disciplinae tractatione.

5 Praeliminaris itaque Politicae pars duas continet Sectiones, alteram de natura et indole Politices, alteram de doctoribus ac scriptoribus Politicis.

6 Pars principalis duabus pariter constat Sectionibus, quarum prima iustum et bonum circa Rempublicam, respectu uinculi civilis, seu secularis, altera uero iustum et bonum circa Rempublicam, respectu uinculi sacri, seu ecclesiastici, exponit.

7 Scilicet in omni ciuitate duplex hoc uinculum occurrit, prout homines uel rerum humanarum, seu civilium, h. e. imperii, uel rerum diuinarum, seu sacrarum, h. e. religionis causa societatem coeunt.

8 Cum autem omnis Respublica et constitui debeat, et ordinari, et conseruari, in Sectione prima agendum est (α) de constitutione Reipublicae, Membr. I. (β) de ordinatione Reipublicae, Membr. II. (γ) de conseruatione Reipublicae, Membr. III.

9 Ordinatio Reipublicae pendet ex imperio, seu maiestate, circa quam considerantur (α) indoles eius in genere, Artic. I. (β) iura,

M m m m 2

seu

seu partes eius, Artic. II. (γ) exercitium eius, Artic. III. (δ) acquisitio eius, Artic. IV.

10 Exercitium maiestatis uel regulare est, uel irregulare.

11 Regulare est in Rebus publicis simplicibus ac regularibus, de quibus Inspect. I. nimirum uel in Monarchia, Discurs. I. uel in Aristocratia, Discurs. II. uel in Democratia, Discurs. III.

12 Irregulare est in Rebus publicis mixtis et irregularibus, de quibus Inspect. II.

13 Acquisitio imperii, seu maiestatis, ordinarie fit uel electione, uel successionem, unde existit tractatio de imperio electiuo, Inspect. I. et de imperio successiuo, Inspect. II.

14 Conseruatio Reipublicae postulat, (α) ut subsidia necessaria Reipublicae porrigantur, Artic. I. (β) ut officia debita in Republica praestentur, Artic. II. (γ) ut mala nocentia ex Republica profligantur, Artic. III.

15 In Sectione secunda occurrit (α) constitutio Ecclesiae, Membr. I. (β) directio Ecclesiae, Membr. II. (γ) conseruatio Ecclesiae, Membr. III.

16 Ad constitutionem ecclesiae pertinent tum doctores, Artic. I. tum auditores, Artic. II.

17 Directio Ecclesiae nititur, ratione doctrinae, in potestate ecclesiastica interna, seu sacerdotio, Artic. I. ratione disciplinae, in potestate ecclesiastica externa, seu imperio Artic. II.

18 Imperium tale considerari potest tum ratione iurium, quibus constat, Inspect. I. tum ratione mediorum, quibus exerceri potest, Inspect. II.

19 Media sunt (α) consistoria, Discurs. I. (β) uisitationes, Discurs. II. et (γ) synodi, Discurs. III.

20 Conseruatio Ecclesiae obtinetur (α) ope bonorum ecclesiasticorum, Artic. I. (β) cura aedium sacrarum, Artic. II. (γ) instructione scholarum, Artic. III. tam praeparantium, seu Lyceorum atque Gymnasiorum, Inspect. I. quam perficientium, seu Academiarum, Inspect. II.

PAR-

PARTIS PRAELIMINARIS

SECTIO I.

DE

NATVRA ET INDOLE POLITICES.

I. *Notatio uocis.* II. *Definitio.* III. *Affectiones.* IV. *Axiomata.*

I I.

Vox Politicae tam a uoce Graeca, quae ciuitatem significat, quam ab ea, quae rempublicam denotat, deriuari potest.

2 Ciuitas enim, pro hominum, societatem ciuilem coëntium, coetu accepta, est obiectum materiale Politices, Respublica autem, pro ordine ciuitatis, certis legibus descripto, sumta, formale constituit obiectum.

3 Quanquam duo haec nomina, respublica et ciuitas, tanquam synonyma, promiscue usurpari solent, ut infra docebimus.

4 Ergo de meliore huius uocis deriuatione disceptare eo minus hic attinet, quo indignius est splendore ciuilis disciplinae, umbraticas uocum captiunculas, et uerborum cauillationes sectari, ut recte iudicat Boeclerus.

5 De uaria autem significatione Politicae monendum est, eam modo in sensu improprio, modo proprio accipi.

6 Improperie, et plane ex abusu, sumitur pro arte uel elegantius in uita communi sese gerendi, aliorumq; ingenio sese accommodandi, uel ad rationem status utilitatemue propriam omnia referendi.

7 Prior quidem acceptio, ab iis, qui, rebus politicis praefecti, et cultiorem, et prudentiorem uiuendi rationem tenere solent, desumpta, non adeo attendenda est.

8 Posterior autem cum pietatis probitatisque neglectiorem plerumq; complectatur, tetra merito et horribilis dicitur Conringio.

9 Improperie etiam politici uocabantur certi haeretici, alio nomine Arnaldistae dicti, nec non Galli regiarum quondam partium studiosi, pacisque amantes, de quibus legi potest Thuanus.

10 Et insignes in aulis potatoes apud Germanos Politicorum nomen habuisse, ex Carpzouio meminit Hertius.

¶ Imo Graecis posterioribus mulierem, meretricio corporis quæ

M m m m 3

stu in

stu in urbe uiuentem, πολιτικὴν dictam fuisse, idem commemorat.

12 Proprie autem accipitur uel late, pro tota Philosophia practica, imo et Iurisprudencia, unde ICI dicuntur Politici, uel stricte, pro ea parte, quae officia hominis, in ciuitate uiuentis, ex certo principio tradit.

13 Posteriori quidem sensu a nobis accipitur hoc loco Politica.

14 II. *Definiri* autem potest per scientiam practicam, seu scientiam de prudentia, quae docet, qua ratione homines, in statu ciuili considerati, iuste, recte et bene uiuere, adeoque eo, quod quisque sustinet, officio fungi debeant.

15 Dicitur scientia practica, quoniam ea, quae ex certis principiis de obiecto suo demonstrat, ad praxin, rectam scilicet bonamque reipublicae constitutionem, ordinationem, et conseruationem refert.

16 Quae quidem praxis cum potissimum Politices officium constituat, factum est inde, ut Politica prudentiae nomine a plerisque insigniatur.

17 Veterum scilicet more, quibus Politica erat prudentia, in perspicendiis rationibus constituendarum et gubernandarum rerum publicarum occupata, uel constituendae conseruandaeque ciuitatis curam et rationem tradens.

18 Cum autem omnis actio certa niti debeat cognitione, non inepte Politica perinde, atque aliae Philosophiae practicae partes, scientia appellari potest, quicquid in contrariam partem disputet Hornius.

19 Obiectum uero practicae huius scientiae sunt actiones hominum, in statu ciuili sub summo aliquo imperio ad certam normam bene feliciterque dirigendae.

20 Ita scilicet, ut constanti earum exercitio constans etiam ciuitatis, seu reipublicae salus subnitetur.

21 III. *Affectiones* igitur Politicae sunt (1) Praestantia, ex nobilitate tum subiecti, tum obiecti, tum finis, proueniens.

21 Ideo uariis Politica effertur elogiis, cum omnium disciplinarum augustissima, regina scientiarum, ars regia, ars urbes pariens, dici soleat.

22 Imo et sapientiae titulo saepe exornatur, quando ciuilis dicitur sapientia, necessaria, sancta, laudabilis, et honoris plena.

23 Ideo

23 Ideo excellentibus quoque ingeniis citius artem defuisse, quam ciuem regant, quam qua hostem superent, scribit Liuius.

24 Quod autem ratio status a nonnullis dicitur Politica, id naturae eius et indoli non adeo respondere uidetur, in quocunque demum sensu sumatur ista appellatio.

25 Scilicet ratio status uel eminens denotat dominium, seu ius summarum potestatum extraordinarium, uel modum reipublicae finem, h. e. utilitatem publicam, pro praesenti rerum statu, obtinendi, uel arcanas, easdemque scelestas, regnandi artes.

26 Primo alteroque sensu accepta, ratio status non ipsa scientia civilis, sed quoddam eius obiectum censeretur debet.

27 In tertia autem significatione tantum abest, ut ratio status sanctissimae disciplinae nomen mereatur, ut ei manifeste repugnet.

28 Flagitiosam enim dominandi rationem cum diuina illa scientia, qua ciuitas secundum iustae utilitatis regulas gubernatur, nullum habere commercium, infra uberius declarabimus.

29 (2) Vtilitas, quae generatim quidem ex praestantia Politices apparet, speciatim uero in Theologia et Iurisprudencia sese exerit.

30 Vtraque enim ad formandos hominum mores, ad decidendas uarias controuersias, ad leges rite interpretandas applicandasue, ad dignoscendam imperiorum regnorumque indolem, magnum a Politica adiumentum habere potest.

31 Vnde simul de necessitate studii Politici iudicare datur.

32 (3) Differentia ab aliis disciplinis, e. g. ab Ethica, Prudentia Iuris Naturae et Gentium, stricte sic dicta, quae quidem differentia potissimum discrimine subiecti, obiecti, et finis nititur.

33 Nam e. g. Ethica inforinat hominem, prout emendatam debet habere uoluntatem, adeoque actiones honestas et decoras perficere, iurisprudencia naturalis, stricte sic dicta, legibus instruit hominem, in statu naturali consideratum, Ius Gentium, proprie sic dictum, dirigit gentes, qua tales, et sic porro.

34 Ceteroquin cum his perinde, atque cum aliis disciplinis plurimum affinitatis, imo cum quibusdam arctissimum ac prope indissolubilem nexum habet Politica.

35 Ex Ethica quippe honesti et decori regulas, ex Iure Naturae
leges

leges diuinas uniuersales, ex lure Gentium instituta gentium, praeceptionibus suis fundamenti loco substernit.

36 Neque enim recte beareque administrabitur respublica, nisi uirtutis studium iurisque diuini pariter, atque humani, obseruatio in ea uigeat.

37 Pater hinc, quid sentiendum sit de opinione illorum, qui disciplinam a Politica plane diuersam, nempe iurisprudentiam publicam, ut uocant, uniuersalem, introducendam esse, contendunt.

38 Scilicet merum seculi appetentioris est inuentum, non magis ad docendi, quam ad ditescendi facultatem, sub specioso praetextu amplificandam, spectans.

39 Norunt Iuris Doctores, Politicam, proprio receptoque nomine sic dictam, ad moralem pertinere Philosophiam, adeoque a Philosopho etiam, pro more in Academiis recepto, esse tradendam.

40 Ne itaque suo, quippe iustitiae sacerdotum, officio minus conuenienter, falcem in alienam, quod dicitur, messem immittere uiderentur, peculiarem excogitarunt titulum.

41 Puta Iuris, quo, doctrinam iusti a tractatione boni, seu utilis, nimium quantum diuellentes, praestantissimam Philosophiae practicae partem sibi uindicarunt, nescio qua, eius larua, seu potius umbra, sub Politices nomine Philosopho relicta.

42 Nimirum duas in omni ciuitate quaestiones occurrere, dicunt, alteram de eo, quod iustum sit, h. e. quod legibus, maxime naturalibus, congruat, alteram de eo, quod utile sit, h. e. quod reipublicae pro certo rerum statu profut.

43 Hinc duas etiam disciplinas existere, contendunt, Ius publicum uniuersale, quod ciuitatem legibus naturae instruat, adeoque doceat iustum, et Politicam, quae tradat regulas prudentiae, adeoque curet utile.

44 Quo asserto, tandem concludunt, doctrinas diuersas ad diuersos etiam pertinere doctores, nempe Ius publicum uniuersale ad Ictum, Politicam uero ad Philosophum moralem.

45 Verum, etiamsi diuersa sit ratio iusti a ratione utilis, ideo tamen duas distinctas constitui oportere disciplinas, nos quidem pernegamus, sequentibus adducti argumentis.

46 (1) Vtile, quod a Politica duntaxat tradendum esse dicitur, considerari debet uel habito simul respectu legis, saltem permissiuae, uel non habito.

47 Si prius, par utique est, ut eadem disciplina, quae sub ratione utilis pertractat licitum, h. e. iustum in sensu negante, etiam exponat praeceptum, h. e. iustum in sensu aiente.

48 Idque hoc magis, quoniam cognitio liciti sine cognitione praecepti non magis obtingit, quam intellectio legis permittentis sine intellectione legis praecipientis.

49 Sin posterius, fieri non potest, quin prohibitum perinde, ac licitum, seu iniustum pariter, ac iustum, sub ratione commodi in ciuitate locum identidem inueniat, huiusue rectores, siquidem, ex Machiaueli, Hobbesii aliorumque pseudo-politicorum institutis, sola utilitate omnia metiuntur, perperam saepe agant.

50 Sic enim non illud demum utile habetur, quod simul est iustum, h. e. saltem licitum, sed etiam illud, quod ciuitati eiusue administratori quocunque modo conducit, siue id fieri debeat, siue minus.

51 (2) Politica citra controuersiam est pars Philosophiae moralis, h. e. scientiae illius practicae, quae mores, siue actiones humanas ad certam normam, seu regulam, conformare docet.

52 Talis regula cum sit lex, tam praecipiens, quam permittens, utriusque etiam ratio ubiuis est habenda, adeoque non minus in Politica, quam in aliis Philosophiae moralis partibus.

53 Idque hoc magis, quia scientiae est, dictata sua ex certo aliquo principio, quale quidem in moralibus est praescriptum legis, ducere, seu demonstrare.

54 (3) Ad tractationem Politicam sine dubio pertinet imperium ciuile, eiusque regimen in qualibet reipublicae forma.

55 Atqui hoc uaria complectitur iura, sine quorum cognitione nec indoles eius cognosci potest.

56 Ergo iurium eiusmodi explicatio ad prudentiam ciuilem non minus pertinet, quam ipsius imperii consideratio.

57 (4) Nomina Politices et Iuris publici a praestantissimis dudum doctoribus, tanquam synonyma, promiscue fuerunt usurpata.

58 Idcirco doctrina de statu Imperii Romano-Germanici modo

N n n n

Iuris

Iuris publici, modo Politicae specialis, ut et specialissimae, titulo insigniri consuevit.

59 Politicum suum tractatum, in quo mera prudentiae, ciuilis capita exponuntur, Ius publicum uocat Perezus.

60 Contra, Ius publicum uniuersale, seu iuris, in ciuitate obseruandi, regulas, Politicae generalis titulo insigniuit Houtuynus.

61 Et innumerae prostant dissertationes, quae, etiam si de iuribus maiestatis, de iure sacrorum, de iure belli, aliisque summae potestatis partibus secundum leges agant, ipso tamen titulo ad Politicam referuntur.

62 Quare Politica cognitione instructus debet esse peregrinans, quae est Ius publicum uniuersale, inquit Schowartus.

63 Imo non desunt, qui Iuris publici nomen pene reiiciunt.

64 Pro Iuris publici Romano-Germanici titulo Politicae imperialis appellationem malle uidetur Boeclerus.

65 Et inter entia non multiplicanda Ius publicum uniuersale, primum ab Hubero, deinde ab Hertio, Boehmero aliisque traditum, refert Groeningius.

66 Ad ea autem, quae obiici hic solent, facilis suppetit responsio.

67 Prudentiae quidem ciuilis, seu Politicae, regulas magis consilia esse, dicunt, quam leges, adeoque non, nisi externam duntaxat obligationem habere, leges autem, externe obligantes, ab alia tradendas esse disciplina, Iuris prudentia nimirum publica uniuersali.

68 Sed respondemus, subesse hic petitionem principii, cum nondum sit probatum, quod Politica, leges, etiam uniuersales, omitendo, solis prudentiae regulis, boni maliue rationem tradentibus, se debeat continere.

69 Quae causa subest, cur eiusmodi duntaxat prudentiam complecti debeat Politica, quae tamen, ut nomen est generale, ipsa notatione, eorum omnium, quibus ciuitas formari, regi et conseruari potest, practicam quandam scientiam denotat?

70 Qua auctoritate scientiae huic uniuersali tam angusti statuti sunt limites, ut ab explicatione legum, quibus tamen et constituenda est respublica, et sustentanda, abstinere debeat?

71 At enim, inquis, leges, ex alia disciplina, nimirum Iure publico uniuers-

uniuersali, desumptas, hic quidem respicit Politica, easdemque in formando, conseruando, seu corrigendo statu publico considerat, sed obiter tantum, et hactenus, ne aduersa eisdem consilia ineat.

72 Nae, ego haud uideo, qualem formandam, seu constituendam conseruandamque ciuitatis rationem Politica docere possit, nisi leges, quibus constare debet respublica, penitus indaget atque exponat.

73 An ulla prudentiae regula ad rationem iusti, h. e. tam praecepti, quam permissi, rite et salutariter accommodari potest, nisi leges, ex quibus ratio ista perspicui debet, expositae antea sint, probeque cognitae?

74 Intelliguntur autem hic uniuersales potissimum leges, quales ius Naturae et Gentium tradit, quasue Politica generalis in ordinanda conseruandaque ciuitate fundamenti loco habere debet.

75 Tales itaque leges cum sola Ratione ex principiis naturalibus erui debeant, ad moralem utique Philosophiam pertinent.

76 Aut enim Philosophus, seu Philosophiae moralis doctor praecepta morum secundum Naturae Gentiumque leges tradere debet, aut non debet.

77 Si prius, nulla apparet causa, cur idem ille Philosophus, qui honesti, decori iustique regulas in Ethica, iure Naturae et Gentium exponere, ac naturali hominum conditioni applicare potest, easdem in Politica, respectu status ciuilis, docere haud possit.

78 Moralis quippe Philosophiae obiectum non naturali demum statu continetur, sed ea uitae humanae genera uniuersa complectitur, in quibus naturae gentiumque leges, tanquam uniuersalissimae, uim suam exerere possunt ac debent.

79 Sin posterius, manifesta existit contradictio, moralem Philosophiam profiteri, nec tamen morum regulam ac normam, ius, saltem generale, aut commune, explicare debere.

80 An uirtus, quam Ethica proponit, ullum perficere potest officium, nisi legis sequatur praescriptum?

81 Num adeo misera est Philosophia moralis, ut intra uerbosam magis, quam fructuosam Ethicae Aristotelicae explicationem, ueluti intra cancellos, se continere debeat?

82 Satisne ad formandos hominum mores est, de summo bono,

de hominis uoluntate, huiusque morbis, de uirtutum uitiorumque numero, deque materiis similibus differere, legem uero, quae uniuersum genus humanum praecipiendi prohibendique sapientia dirigit, alio remittere.

83 Certe res morum doctore indignissima est, si partes Philosophiae morales principes, iustissimo ad se titulo pertinentes, alienae relinquit ditioni.

84 Neque enim morari debet eos, qui, prouincia sibi assignata, suorumque rationi studiorum apta, non contenti, aliena concupiscunt, nouasq; ut aiunt, accessiones uano praetextu facere student.

85 Nimirum Iuris Naturae et Gentium doctrinam ad legum ciuilium doctores uel ideo spectare, disputant, quoniam ius dicatur.

86 Egregium, scilicet, argumentum topicum, quasi ex uerbo aestimari debeat res, et sola nominatio tribuat ius, secus, atque ipsi Iuri docent.

87 Quidni etiam disciplina haec, quandoquidem a natura nomen habet, Physico adscribenda est, aut Medico?

88 Illustis sane Pufendorfius, primus ille, idemque excellentissimus in Heidelbergensi quondam Academia Iuris Naturae et Gentium Professor, non Doctor Iuris fuit, nec Iuridicae, ut dicitur, Facultatis affessor, sed Philosophus, Philosophorum Ordini adscriptus, ac Philosophi titulo modeste contentus.

89 Ex sine Iuridico Iuris Naturae et Gentium Doctore diutissime floruerunt, florentque etiam nunc celeberrimae ubiuis Academiae.

90 Non magis Ordines Professorum augeri debebant, quam eorum Salaria, quippe quae, aureo constituta seculo, ferrea hac aetate, uix pedissequorum, nedum scribarum, aulicorum mercedem exaequant.

91 Quod si fieret, tum demum de auctoramento, h. e. praemio, Professorum studiis pari, gaudere possent Academiae, suumque sustinere ornamentum.

92 Neque sic defuturus unquam esset Philosophus moralis, qui, necessariis instructus subsidiis, saltem in hoc studiorum genere, quemlibet Iuris Doctorem, multoque magis nouitium, meritis aequiparare, nedum superare, posset.

93 Numquid enim Doctor Iuris ideo, quod tali insignitur titulo, legumque ciuilium fortasse peritus creditur, ad explicanda Iuris Naturae et Gentium dogmata aptior existit Philosopho morali?

94 Annon potius hic prae illo eiusmodi facultatem habere censendus est, siquidem, pro officii sui ratione, in tractanda isthac disciplina multum uersari, eamque penitus perscrutari debet?

95 Putasne, Ius Romanum, aut quodcunque ciuile, Naturae Gentiumque leges inuestigaturo plus adiumenti suppeditare posse, quam excultam probe Philosophiam?

96 Certe, si ipsa Iurisprudencia dicitur uera nec simulata Philosophia, atque is demum Iuri nomen meretur, qui Philosophia rite imbutus est, ad noscenda Iuris uniuersalis dictamina Philosophia utique caput existimari debet.

97 Nisi Iuris scientiam ante Philosophiam esse tractandam, et illam huic, non illi hanc adminicula praebere, contendas.

98 Quo quidem asserto uix insolentius quicquam, et magis peruersum praeposterumue dici, aut excogitari, potest.

99 At, inquis, si regulae iusti et boni, seu utilis, simul a Philosopho pertractantur, quae disciplinae diuersae, ac sibi inuicem subordinatae, confunduntur, indeque uaria nascuntur incommoda.

100 Respondemus, tantam iusti et boni esse affinitatem, ut utriusque tractatio, in eadem disciplina, saltem in Politica generali, ordinate suscepta, non magis inepta, aut noxia, euadere possit, quam plurium doctrinarum expositio in aliis disciplinis.

101 Numquid officit Ethicae, quod honesti et decori ratio, in se alioquin diuersa, ob arctam utriusque coniunctionem, in ea, ut disciplina propria, exponitur?

102 Annon ipsa Iurisprudencia ciuilis aequi bonique regulas cum doctrina iusti, stricte sic dicti, coniungit, ideoque ars boni et aequi dicitur in l. i. pr. ff. de l. et l.?

103 Scilicet Iustus non satis habet, leges tradere, easdemque explicare, sed aptam quoque earum applicationem ita docet, ut, habita utilitatis ratione, prudentia ubique adhibeatur.

104 Sic, uice uersa, Politicus, officio suo rite functurus, non solum consilia de bono, seu utili, prudenter quaerendo, suppeditat,

Nnnn ;

sed

sed etiam praecepta de iusto, in republica, praesertim generaliter considerata, statuendo obseruandoque, proponit.

105 Idque hoc magis, quia non minus in dirigenda et conseruanda, quam formanda ordinandaque, ciuitate certae leges, saltem uniuersales, tanquam immutabilis actionum humanarum norma ac regula, perpetuo respici et attendi debent.

106 Quod quidem tum demum recte fieri potest, si eiusmodi leges in Politica generali ex instituto tradantur, penitusque explanentur, non aliunde, ex disciplina noua, quam Politica omnino ignorat, quasi mutuo sumantur, et obiter, ut aiunt, describantur, uel duntaxat recenseantur.

107 Nos itaque Politicam generalem, seu prudentiam ciuilem ac iuris publici uniuersalis, ut synonyma nobis sunt, nequaquam hic distinguimus, adeoque nec principia iusti in sensu aiente, h. e. praecepti, a principiis iusti in sensu negante, h. e. liciti, s. boni, separamus.

108 Potius utraque, prout arctissimo ac pene indissolubili colligata sunt uinculo, ubique coniungimus, praestantissimorum exempla uirorum secuti.

109 Duo sunt, quibus uniuersa prudentia ciuilis continetur, primum honestorum et turpium, deinde utilium et noxiorum distinctio electioque.

110 Quare non absurdis nituntur rationibus, qui Politicam institutionem satis perfectam, et ad usum uitae ciuilis expeditam, negant, nisi utilium declarationi ratio honestorum, consilio ius, actioni decus adiiciatur, inquit Boeclerus.

111 Cum nihil utile uideri debeat, nisi quod honestum est, omnique deliberandi ratio ab eo, quod iustum, aequum et licitum esse constet, tanquam a capite, repetenda sit, satis apparet, indissolubili nexu honestorum scientiam cohaerere illis, quae docent, quid ex usu sit facere, idem asserit Boeclerus.

112 Cum prudentis (Politici) sit, non solum, quid utile sit, rebusque suis proficuum, dispicere, sed etiam, quid liceat, aut non liceat, et ad quae quisque obligetur, aut non obligetur, iuris utique coniungenda est cognitio, scribit Bosius.

113 Videtur doctrina ciuilis angustioribus limitibus circumscribi,

bi, quam ut augustum suum splendorem satistueri queat, si a praecipua parte (prudencia Iuris) excluditur, quae omnibus publicis actionibus decus et aequitatem affundit, ita, Grotium refellens, sentit Henniges.

114 Quicum conferri possunt Conringius, Hornius, Becmannus, Schilterus, Titius, alique.

115 IV. *Axiomata* sunt: (1) Ut praestantissima disciplina est Politica, ita non, nisi studio, labore, et usu plurimo addisci potest.

116 (2) Falluntur ergo, qui, sola experientia perfectum existere posse Politicum, contendunt.

117 (3) Equidem non defuerunt, qui sine doctrina solius experientiae subsidio praeclare in aulis Principum sese gesserunt, uti Cominaeus, Mommorantius, alique.

118 (4) At rarissima sunt diuinae eiusmodi indolis exempla.

119 (5) Idcirco nec experientiam sine doctrina, nec doctrinam sine experientia sufficere, sed utramque sedulo coniungi oportere, cum optimis statuendum est doctoribus, uti Conringio, Bosio, Hertzo, et Hornio,

120 (6) Quippe nec solam eruditionem, maxime in umbra acquisitam, homines ad publica tractanda negotia idoneos reddere, usu compertum est.

121 (7) Inprimis personae illustriores, rebusque gerendis natae, cauere debent, ne, diu literis incumbentes, talem ineptiae characterem ex paedagogia contrahant, quem longissimi curriculo aevi uix delere possint.

S E C T I O II.

DE

DOCTORIBVS AC SCRIPTORIBVS POLITICIS.

I. *Diuersitas*. II. *Collectores*. III. *Axiomata*.

I L

D*iuersitas* doctorum Politicorum ex diuersis oritur circumstantiis, quales sunt tempus, obiectum, materia, et modus, s. forma.

2 Hinc alii scriptores sunt antiquiores, alii recentiores.

3 Antiquiorum praecipui censeri debent (1) Plato, cuius dialogi ac

ac libri de Republica Socraticam complectuntur Politicam, quamquam, iudice Morhofio, methodo abstrusiore.

4(2) Aristoteles, cuius libri VIII. Politicorum, etiam si multa nostris temporibus minus apta contineant, utilitate tamen haud careant.

5 Praesertim si eorum lectioni addantur uersiones, paraphraes, resolutiones, introductiones, quas doctissimi configurant uiri, maximam partem excitati a Paschio, Ionfio, Morhofio ac Strunio.

6 (3) Cicero, cuius libri VI. de Republica, ab ipso in libro II. de diuinatione commemorati, sine dubio non minus, quam cetera eius opera, pulcherrime fuerunt scripti, modo ne temporum iniuria periissent:

7 Recentiores, pro ea, quam diximus, diuersitate, ita adducemus, ut potissimum quinque eorum constituamus genera.

8 Primum genus est dogmaticorum, seu methodicorum, h. e. eorum, qui scientiae Politicae praecepta siue systemate, siue compendio aliquo exposuerunt, idque uel tantum ex principiis Philosophicis, uel simul ex scriptura sacra.

9 Prius fecerunt (1) Althusius, (2) Cellarius, (3) Schoenbornerus, (4) Clasenius, (5) Besoldus, (6) Arnisaeus, (7) Boxhornius, (8) Lipsius, (9) Boeclerus, (10) Becmannus, (11) Hertius, (12) Schmidius, (13) Buddeus, (14) Müllerus, (15) Heiderus (16) de Winterfeld, (17) de Rohr,

10 Posterius autem placuit (1) Danaeo, (2) Menochio, (3) Reinkingio, (4) Sturmio, (5) Olizarouio, (6) Saavedrae, (7) Mugnero, (8) Bossuetto.

11 Secundum genus est paedeuticorum, h. e. eorum, qui Principem erudire, eique regnandi prudentiam uaria ratione proponere sustinuerunt.

12 Alii nimirum institutiones Principum sub uariis titulis consignarunt, uti (1) Marnixius, (2) Caraciolus, (3) Foxius, (4) Gueuerra, (5) Erasmus Roterodamus, (6) Heeresbachius.

13 Alii formationem status descripserunt, uti (1) Boterus, (2) Septalius, (3) Spontonus, (4) Palazzus (5) Claramontius, (6) Frachetta, (7) Bonauentura, (8) ab Efferen.

14 Alii exempla illustriora collegerunt, uti (1) Caussin, (2) Maluezzii, (3) Lentulus, (4) Pastorius, (5) Verulamius.

15 Alii

15 Alii denique arcana politica tradiderunt, uti (1) Clapmarus, (2) Crescentius, (3) Barclaius, (4) Boccalini, (5) Naudaeus.

16 Tertium genus est mythologicorum, h. e. eorum, qui bonae rationem reipublicae sub figmento descripserunt, uti (1) Morus, (2) Campanella, (3) Verulamius, (4) Didacus Bernardinus, et (5) auctores anonymi nouae Solymae, mundi alterius et eiusdem, historiae Seueramburi, regni Ophir, e. f.

17 Quo etiam nonnulli Romanensium, ut uocant, fabularum scriptores pertinent, uti (1) Barclaius, (2) Lohensteinius, (3) Fenelonius.

18 Quartum genus est Ictorum, qui distinctam a Politica disciplinam, iuris publici uniuersalis nomine, conscripserunt, re autem uera politica tradiderunt praecepta, uti (1) Huberus, (2) Hertius, (3) Boehmerus, et (4) Gribnerus.

19 Quintum genus est pseudo-politicorum, h. e. eorum, qui peruersam sceleratamque regnandi artem docuerunt, uti (1) Machiauellus, (2) Hobbefius et (3) Politici scelerati auctor.

20 Quocirca duae potissimum sectae pseudo-politicorum cauendae sunt, scilicet Monarchomachorum et Machiauellistarum, quorum illi populum faciunt rebellem, hi regem tyrannum.

21 II. *Collectores*, qui scriptores Politicos recensuerunt, suaeque de iisdem adiunxerunt iudicia, magno quidem numero prostant, potiores autem sunt sequentes.

22 (1) Sorel, (2) Naudaeus, (3) Colerus, (4) Conringius, (5) Bosius, (6) Beughem, (7) Arndius, (8) Morhofius, (9) Boeclerus, (10) Meierus, (11) Becmannus, (12) Hertius, (13) Struuius, (14) Sarckmaffius, seu Schurzfleischius, (15) Reimmannus, (16) Aepinus, (17) Thurmannus, (18) Iochius, (19) Gottschlingius.

23 III. *Axiomata* sunt: (1) Nullo quidem tempore defuerunt doctores, qui Politicam, principem illam artem, et praeceptis tradere, et usu excolere studuerunt.

24 (2) Id uero maxime dolendum est, quod multi uel noxiam, uel saltem inanem amplexi sint doctrinam.

25 (3) Machiaueli sane Politica ut explendae Principum libidini, ita stabiliendae Pontificis Romani tyrannidi plurimum inseruiuit.

26 (4) Et uulgaris, quam scholae identidem proposuerunt, do-

Oooo

ctrina

ctrina ciuilis uerbosas potius disceptationes, quam accommodatas ad uitam ciuilem praeceptiones, complexa est.

27(5) Quocirca diuini utique beneficii loco habendum est, quod, post susceptam feliciter Reformationem, natiuo etiam decori redita sit Politica perinde, atque aliae disciplinae.

28 (6) Ita, ut excitati a Germanis Galli, aliique populi ad praestantissimam hanc Philosophiae partem, rite excolendam, studia sua conferre coeperint.

29 (7) Quae quidem studia quam felices identidem successus habuerint, ex historiae literariae scriptoribus cognoscere, curae omnino operaeque pretium est.

PARS PRINCIPALIS.

IN omni fere Republica duplex occurrit uinculum, ciuile, seu seculare, et sacrum, seu ecclesiasticum. Hinc duae oriuntur Sectiones primariae, una de iusto et bono circa Rempublicam, respectu uinculi ciuilis, seu secularis, altera de iusto et bono circa Rempublicam, respectu uinculi sacri, seu ecclesiastici.

SECTIO I.

DE

IUSTO ET BONO CIRCA REMPVBLICAM, RESPECTU VINCVLI CIVILIS, SEV SECVLARIS.

Vinculum ciuile, seu seculare, oritur a consociatione hominum, quatenus rerum humanarum, aut ciuiliū, seu imperii, causa coeunt, adeoque Rempublicam formant. Cum autem omnis Respublica et constitui debeat, et ordinari, et conseruari, agendum hic etiam est (1) de constitutione Reipublicae (2) de ordinatione eius (3) de conseruatione eius.

MEM-

MEMBRUM I.

DE

CONSTITVTIONE REIPVBLICAE.

I. *Acceptio uocis.* II. *Descriptio.* III. *Causae.* IV. *Comparatio.* V. *Controuersiae.* VI. *Axiomata.* I I.

Accipitur uox Reipublicae bifariam, uel concretue pro materia et forma, s. coetu et ordine societatis civilis simul, uel abstractue, pro forma, s. ordine tantum, qui alio nomine politia uocatur.

2 Quo quidem sensu posteriore respública a ciuitate, tanquam forma a materia, distingui solet.

3 Scilicet neque una uocabuli, ciuitatis, acceptio apud auctores occurrit, cum modo improprie pro tota generis humani societate, tanquam maxima mundi ciuitate, modo proprie pro coetu hominum, in urbe coniuncto, modo pro integro civilis societatis corpore, eoque materialiter tantum, uel formaliter simul considerato, usurpetur.

4 Quo ipso quidem ab urbe differt, tanquam contentum a continente, quoniam urbs est locus, uariis aedificiis constructus, et ciuium habitationi destinatus, adeoque ciuitatem recipiens, ita tamen, ut, quemadmodum urbs, dispersa ciuitate, manere potest, ita ciuitas, pereunte urbe, superesse queat.

5 Nos, missa strictiore nominum, reipublicae et ciuitatis, acceptance, uocem utramque concretue, et late, seu generaliter, et promiscue, seu sy nonymice, hic sumemus.

6 Ita scilicet, ut non populare ciuitatis imperium, adeoque peculiare illud regiminis genus, quod *κατ' ἐξοχήν* respública, s. ciuitas uocari solet, sed cuiuscunque formae societatem civilem designet.

7 II. *Describi* autem potest respública, seu ciuitas, hoc accepta sensu, per societatem hominum, diuina prouidentia, sub certo imperio, seu summa potestate, uni, uel pluribus in uniuersum collata, pacto, uel expresso, uel tacito, communis securitatis felicitatisque causa, coniunctorum.

8 Quae quidem descriptio et plana est, et adaequata, ab ea utique diuerſa, quam Pufendorfius, Hobbesium secutus, affert.

9 Scilicet confundit uir illustris ciuitatem cum imperante, quan-

O o o o 2

do

do eam definit, quod sit persona moralis composita, cuius uoluntas, ex pluribus pactis implicita et unita, pro uoluntate omnium habetur, ut singulorum iuribus et facultatibus ad pacem et securitatem communem uti possit.

10 Ut autem definitio nostra penitus intelligi possit, potiores Reipublicae causas, ea comprehensas, indagare iuuat.

11 III. *Causae* igitur tales sunt impellens, finalis, efficiens, materialis, et formalis.

12 De causa quidem impulsiva, quae homines ad constituendas ciuitates mouerit, inter doctores non conuenit.

13 Alii quippe, homines temere et fortuito, instar atomorum, coaluisse, statuunt cum Epicuro, quem ideo refellit Cicero.

14 Alii, Athenaeum secuti, arte coquendi homines in ciuitatem allectos fuisse, fabulantur.

15 Alii, ignis et caloris, nec non artis musicae, item eloquentiae blandarumque persuasionum uim societatis ciuilis causam extitisse, somniant.

16 Alii, ciuitates ideo introductas fuisse, contendunt, ut alter alterum religione commodius posset instruere.

17 Alii, homines ideo ciuilem elegisse societatem, credunt, quoniam ea omnium perfectissima sit, uitaeque commodiori aptissima.

18 Alii, nominatimque Aristotelici, hominem, quippe animal sociale, (*ζῷον πολιτικόν*) naturali quodam instinctu ad societatem ciuilem ferri, disputant.

19 Verum harum opinionum aliae, sola mentis, a certa ratione abstractae, meditatione enatae, nullum habent momentum, aliae uerisimiliores quidem uidentur, de primaria tamen constitutarum ciuitatum causa accipi non possunt.

20 Nam extra ciuitatem in societatibus minoribus, saltem in familiis, separatas quidem rationes habentibus, arcto tamen foedere coniunctis, ea suppetunt, quae uitam sat commodam reddere, hominem homini conciliare, adeoque naturalem societatis amorem explere possint.

21 Ergo non ciuilis demum societas ideo expetenda esse uidetur, neque ab appetitione societatis in genere ad appetitionem societatis in specie, seu ciuilis, concludi potest.

22 Quid?

22 Quid? quod tantum abest, ut societatis ciuilis indoles ad excitandum sui amorem apta sit, ut potius naturali hominis inclinationi prorsus repugnet.

23 Scilicet in ciuitate homo imperio subiicitur, atq; iacturam facit libertatis, qua tamen, post uitam et honorem, nihil charius habet.

24 Ex alieno, non suo, pendet arbitrio, propriumq; commodum, cui naturaliter intentus est, publico posthabere debet.

25 Fortunarum omnium, quin uitae necisque ius ei concedat, necesse est, sub cuius potestate, ut membrum ciuitatis, uiuit.

26 Quæ aliaque plura humanae utique propensioni sunt aduersa.

27 Dicendum igitur est, causam impulsuam constituendae ciuitatis existere potuisse metum malorum, homini ab homine imminentium, securitatisque, aduersus ea obtinendae, studium.

28 Nimirum, aucto genere humano, tanta etiam inualuit malitia, ut alter alterum laceßere et opprimere eo minus dubitauerit, quo magis, deficiente uindicandi resistendique potestate, scelorum impunitas audaciam stimulare potuit.

29 Ad compeßendam igitur talem malitiam auertendaque pericula, inde nascitura, certo utique remedio opus fuit.

30 Quale remedium cum alia uia parari non potuerit, nisi confociatione hominum, ad mutuam sui defensionem uoluntates, uires, et actiones omnes adhibentium, eiusmodi confociationem utique decerni firmarique oportuit.

31 At frustra uisum fuit, homines plures in unam congregari societatem, mutuoq; ad tuendam securitatem pacto obstringi, nisi et certum stabiliretur imperium, quod paciscentes ad explendam fidem adigere, omniumque uoluntates et actiones ad communem salutem perpetuo dirigere possit.

32 Quamuis enim lex naturae homines ad seruanda pacta non minus, quam ad colendam societatem, sat firma constringat obligatione, deficiente tamen cogendi puniendique potestate, eiusmodi legem migrare homines non uerentur.

33 Eam ob causam imperium utique introducendum fuit, quod poenarum metu id extorquere ualet, quod uirtutis amor, ipsiusque Dei, seueri, a leni, uindictis, reuerentia elicere non potest.

34 Tali igitur imperio rite constituto, existere coepit ciuitas.

35 Quae quidem ciuitatis origo eo firmitus teneri potest, quo magis et Rationi congruere, et confirmandis, quas Politica tradit, doctrinis inseruire uidetur.

36 Cum enim hoc modo respublicae diuina prouidentia, ob nobilissimum finem, mutuam scilicet hominum incolumitatem, censeantur constitutae, imperii ciuilis et sanctitas, et amplitudo hinc colligi potest.

37 Quod autem ciuitates aliae uiolentia iniusta coactae, aliae, imperio melioribus sponte delato, exortae dicuntur, id sententiae huic nequaquam obstat.

38 Vna eademque ubiuis manet caussa primaria, metus, seu mutuae securitatis felicitatisque necessitas, etiamsi non eodem ciuitas omnis constituta sit modo, uariaeq; cum principe illa caussa occasiones, s. caussae secundariae concurrerint, ut recte iudicat Hertius.

39 Nimirum, siue uoluntaria, siue minus uoluntaria subiectione homines eorum subierint imperium, quorum potentia, uel auctoritas, praeualere uisa est, utrobique metus existere potuit caussa.

40 Proinde modus expetendi, uel extorquendi consensus, ad constituendum iuste imperium necessarii, a caussa, cur homines in societatem coaluerint, summamque agnouerint potestatem, utique discerni debet.

41 Sic quidem, nullo non tempore homines dominandi habenduae libidine adductos, imo latrociniorum caussa coalitos, ui ac potentia primos stabiliuisse dominatus, illustri Boehmero, aliisque, eandem amplexis sententiam, hoc magis concedimus, quod sacra pariter, ac profana historia talem imperiorum originem confirmat.

42 Neque adeo improbabile est, plerosque principatus, saltem antiquiores, ab impiis potius, quam piis, esse introductos.

43 Nihilo tamen secius causam, cur homines imperium, etiam iniusta introductum ui, subire, idque suo deinceps consensu firmare maluerint, quam, eo excusso, pristinam sibi asserere libertatem, metum extitisse, putamus.

44 Si enim, ut ipse uir celeberrimus ait, prima imperia, latrocinis conflata, ruditatem feritatemq; suam exuerunt, ac iustiores inierunt

runt rationes, nullum est dubium, quin homines, ui subacti, periculorum, in naturali libertate nunquam non impendentium, metu adeoque securitatis desiderio, in subiectionem consentire decreuerint.

45 Finis itaque, scilicet causa finalis, cur homines, dimissa libertate naturali, in ciuitates concesserint, aliorumque imperio, etiam uiolento et iniusto, sese subiecerint, est securitas, tam interna, quam externa.

46 Vocant hunc finem nonnulli primum, eidemque subiungunt secundarium, quem in *ἀνταρξία*, seu rerum, ad necessitates commoditatesque uitae sufficientium, apparatu, consistere, dicunt.

47 Qui tamen finis, cum etiam extra ciuitatem necessaria uitae subsidia suppetant, non adeo magnum ad condendas ciuitates momentum attulisse uidetur.

48 Causa efficiens principalis, eademque remota, est Deus, qui, ut ordinis bonique omnis est auctor, ciuilem quoque societatem, in securitatis praesidium, homini suggessit.

49 Ideo diuina prouidentia ciuitates esse stabilitas, dicimus.

50 Proxima sunt homines, societatem ciuilem coeuntes, certumque imperantium et parentium ordinem constituentes.

51 Unde, quae materia et forma sit ciuitatis, simul apparet.

52 Materia scilicet est coetus hominum, mutuae securitatis causa coniunctorum, forma autem est regimen, seu imperium, uni, uel pluribus concessum.

53 Eiusmodi coetus non ingenti quidem multitudine semper constare debet, cum primas ciuitates admodum paruas extitisse, historiae testentur.

54 Tantus tamen hominum numerus utique requiritur, ut inuadenti ciuitatem hosti par esse, suamque securitatem tueri possit.

55 De modo autem, quo imperium, tanquam forma, in coalescentem hominum coetum, tanquam materiam, introductum, ipsaque adeo ciuitas perfecta fuerit, non magis inter doctores conuenit, quam de causa impulsua constitutae ciuitatis.

56 Plerique, Pufendorfium secuti, duo hic pacta et unum decretum interuenisse, putant, alterum scilicet pactum inter ciues singulos de coeunda societate ciuili, alterum inter imperantem ac subditos futuros de conferendo imperio, decretum uero de eligenda imperii forma.

57 Alii,

57 Alii, ex sententia Huberi, tria pacta, seu tres conuentionis gradus, statuunt, quorum primo pax, altero Respublica, tertio forma Reipublicae contineatur.

58 Quidam duo hic pacta, alterum de cohabitatione mutuaque tum uoluntatum, tum uirium coniunctione, alterum de imperio, requirunt, ita sentiente Hertio.

59 Nonnulli denique cum Hobbesio unum duntaxat pactum, singulorum scilicet cum singulis, admittunt.

60 Quid uero de diuersis his opinionibus habendum sit, Iuris naturalis, ac sigillatim Iuris publici, ut uocant, uniuerfalis doctores passim exponunt.

61 Scilicet primum, quod Pufendorfius requirit, pactum ad ipsam ciuitatis constitutionem haud pertinere, alterum uero simul decretum complecti dicitur.

62 Idem fere iudicium de tribus Huberi pactis ferri solet.

63 Hertius a Pufendorffio non aliter dissentire censetur, nisi quod decretum secundo complexus sit pacto.

64 Vnum uero pactum, quod Hobbesius, absolutam Regibus potestatem uindicaturus, statuit, prolixè refellitur a Pufendorffio, Hertio aliisque.

65 Nos mutuo quidem consensu ad quamque ciuitatem constituendam opus esse, putamus, cum nulla societas, nisi naturali unius erga alterum obligatione nitatur, sine omni pactione existere possit.

66 Quandoquidem uero non uno eodemque modo omnes, ut diximus, ciuitates sunt exortae, nec easdem ubique conuentiones interuenisse, credimus.

67 Voluntaria ac libera imperii constitutio duobus fortasse pactis perfecta fuit, altero inter ciues de ineunda societate ciuili, et introducenda Reipublicae forma, altero inter imperantes et parentes de ratione imperii, h. e. de summa potestate, certo modo in unum, siue hominem, siue coetum, transferenda.

68 At homines, ui et potentia subacti, unico duntaxat pacto, saltem tacito, in ciuitatem coalescere potuerunt.

69 Quale quidem pactum utique oportuit superuenire, si imperium, iniusta quaesitum ui, legitimum pariter ac tutum certumue fieri debuit.

70 Sola

70 Sola quippe uolentia nec ius tribuit, nec securitatem.

71 Quocunque autem modo constituta fuerit ciuitas, ita se habere intelligitur, ut omnium, quibus constat, ciuium uoluntas per uoluntatem imperantis exeratur, habeaturque adeo huius uoluntas pro uoluntate omnium.

72 IV. *Comparatur* ideo ciuitas cum persona morali composita, cuius uoluntatem refert imperans, ita, ut, quicquid hic uoluerit, id omnes etiam ciues uoluisse censeantur.

73 Moralis dicitur persona, habito respectu conditionis moralis, h. e. quatenus ad leges refertur, et certos inde fortitur effectus.

74 Hoc ergo differt a persona naturali, siue in sensu metaphysico considerata, quae talis dicitur ratione conditionis naturalis, h. e. quatenus natura est intelligens, seu suppositum (ὁφισάμενον) intellectu praeditum.

75 Qualis quidem persona Boetio dicitur rationalis naturae substantia indiuidua.

76 Sigillatim in Jure persona uocatur homo, in conditione quadam ciuili uiuens, certosque inde effectus participans.

77 Est autem persona moralis alia simplex, alia composita.

78 Simplex uel publica est, h. e. homo, in munere publico, siue politico, siue ecclesiastico, uiuens, e. g. magistratus, uel priuata, h. e. homo, extra officium publicum uitam degens, uti ciuis, seu subditus.

79 Composita, seu mystica, aut ficta, est coetus, pluribus quidem hominibus constans, sed unum gerens nomen, unamque sustinens conditionem, ac ueluti personam, e. g. Senatus, Consistorium, Concilium, Parlamentum.

80 Et talis quoque persona moralis composita est ciuitas, cuius uoluntas per uoluntatem imperantis sese exerit.

81 Scilicet, cum omnes, qui ciuilem coeunt societatem, unum respicere debeant finem, communem nempe securitatem ac felicitatem, omnium quoque uoluntates ad consequendum hunc finem dirigi oportet.

82 At tanta est opinionum inclinationumque humanarum diuersitas, ut ea, quibus eiusmodi finis obtineri possit, nec diuident omnes, nec ultro agant.

Pppp

83 Quare

83 Quare necessarium utique est, omnium uoluntates certa quadam constantique ratione ita coniungi, ut, dissentiendi reluctantiae libertate prorsus sublata, ad unum omnes propositum coniti possint.

84 Hoc autem aliter fieri non potest, quam tali constituto imperante, cuius uoluntas de rebus, ad communem ciuitatis finem pertinentibus, pro omnium ac singulorum uoluntate haberi possit ac debeat.

85 Dico, talem oportere esse imperantem, cuius uoluntate de negotiis, ad Reipublicae salutem spectantibus, ciuium uoluntas representari possit.

86 Proinde sub certis utique conditionibus hoc intelligi, fas est.

87 Ita nimirum, si imperans et iudicio sano ad negotia Reipublicae prudenter utiliterque tractanda apto polleat, et ea tantummodo uelit, quae fini ciuitatis inferuiant, nec fundamentalibus, si quae extent, legibus aduersentur.

88 Non enim absoluto imperantis arbitrio ita se subiecisse censenda est ciuitas, ut, quicquid ille uoluerit, haec ratum habere debeat, ut quidem sentire uidentur Hobbesius et Houtuynus.

89 Populi eatenus imperio ciuili se submiserunt, quatenus illud seruit conseruationi, quae ad praesentis uitae felicitatem ducit, cui omne imperium superstructum est, et omnia illa media Principi sunt concessa, sine quibus finis obtineri non potest, ait Tulleken.

90 In rebus igitur, ad finem ciuitatis pertinentibus, uoluntas imperantis pro uoluntate omnium utique est habenda, siue ille imperans unus sit homo, siue unus coetus.

91 Scilicet si regimen ciuitatis est penes unum hominem, ciuitas id uelle intelligitur, quod homo ille in negotiis, ad communem salutem spectantibus, ex prudenti consilio uoluerit.

92 Sin summa rerum certo collata est concilio, id demum pro uoluntate ciuitatis habetur, quod maior pars hominum, concilium tale constituentium, eadem ratione decreuerit, ut infra in tractatione de formis Rerumpublicarum uberius hoc declarabimus.

93 Eodem fere sensu, quo ciuitas dicitur persona moralis, etiam uocatur corpus, idemque immortale, non physice, sed moraliter, ita,

ita, ut, quamuis singuli decedant ciues, populus tamen manere censeatur, aliis in decedentium locum semper succedentibus.

94 Corporis huius caput est imperans, seu maiestatem summamue potestatem tenens, idemque uel unus homo, ut modo diximus, uel unus coetus.

95 Membra autem sunt ciues, seu subditi, habito respectu imperantis sic dicti, ceteroquin uariis inter se nominibus distincti.

96 Scilicet ambiguum est ciuis nomen, cum modo subditum, modo imperii ciuilibis participem, modo iurium alicuius Reipublicae, uel municipii capacem denotet.

97 Nec unius generis sunt ciues, seu subditi, sed admodum uariis.

98 Quippe, ratione durationis, alii sunt perpetui, alii temporarii, et illi uel originarii, seu indigenae, uel adscititii, seu adscripti.

99 Ratione qualitatis, status, et existimationis, sunt uel periti, uel rudes, alii nobiles, alii ignobiles, quidam diuites, nonnulli pauperes.

100 Verbo, quam uaria sunt bona animi, corporis et fortunae, tam diuersi etiam dantur ciues, de quibus prae aliis legi potest Hertius.

101 V. *Controuersiae* potiores, hic agitari solitae, sunt sequentes.

102 (1) An futurae fuissent Respublicae, si homines in prima perstitissent integritate?

103 Cum ciuitates ex metu improbitatis ad obtinendam securitatem constitutas esse, dixerimus, eae uix locum inter homines malitiae expertes, aut integros, habiturae fuissent, nisi distinctionem, supra in I. N. adductam, inter imperium coactiuum, uim quandam (*δυναμιν ἀναγκαστικὴν*) complexum, et imperium directiuum, in bono ordine, adeoque disparitate consistens, admittere uelimus.

104 (2) An prima imperia immediate a Deo sint constituta?

105 Diuina quidem prouidentia Respublicas condi, diximus, at immediate (*αἰεσίως*) a Deo uix alia constituta est praeter Iudaicam illam Theocratiam, de qua ex instituto scripserunt Sigonius, Bertramus, Cunaeus, Conringius, Reimerus, et Blechschmidius.

106 (3) An Respublica, salua ipsius dignitate, ex metu malitiae constituta dici possit?

107 Quod hominum uitia constituendae ciuitati occasionem dederunt, id splendorem eius non magis minuit, quam legum bonorum

narum praestantia eo uilescit, si propter malos feruntur mores.

108 (4) An prima Reipublicae forma fuerit regnum?

109 De prima imperii ratione nihil certi habetur, ceteris tamen formis antiquius existisse uidetur regnum, non absolutum, sed limitatum, ut infra dicemus.

110 (5) An peregrinos in ciuitatem adsciscere consultum sit?

111 Si iustum cooptandorum obseruatur discrimen, habita circumstantiarum, e. g. morum, ratione, peregrini magno utique emolumento ciuitati esse possunt.

112 (6) An regnum Saturni, sub quo primi homines auream dicuntur degisse aetatem, integrum Adami statum denotauerit?

113 Sic quidem concinna Saturni cum Adamo comparatione comprobauit Hertius.

114 (7) An non ciuitas ipsius naturae instituto prouenerit?

115 Ex ordinata societatum simplicium serie naturaliter prouenisse societatem ciuilem, multi quidem politici, Ciceronem secuti, existimant, quorum uero sententiam, quippe meris subnixam coniecturis, recte refellunt Hertius, Boehmerus, alique.

116 VI. *Axiomata* sunt: (1) Non naturae quidem opus est ciuitas, quasi naturali quodam ordine ex primis simplicibusque hominum societatibus extiterit.

117 (2) Attamen diuinæ utique prouidentiae opus eatenus censeri potest, ut, suggerente ac dirigente Deo, eum, quo consistit, ordinem nacta sit.

118 (3) Scilicet, gliscente hominum malitia, tale securioris certiorisque societatis uinculum stabiliri, uoluit benignissimum Numen.

119 (4) Cohibet enim imperium ciuile mala, naturali libertati adhaerentia, temperatque inhonesta animi desideria, quibus homines, impune peccandi licentia freti, indulgere solent.

120 (5) Certe non urbes starent, non agri, non domus, nisi summa esset potestas, quae legibus, iudiciis ac poenis agendi omittendique rationem decerneret.

121 (6) Haec demum potestas efficere potest, ne fortioris praeda fiat infirmior, neue parricidis, caedibus, furtis ac uastitatibus cum stirpe extinguantur familiae, cum familiis gentes.

122 (7) Quapropter cauere debent homines, quibus in Republica

blica ordinata uitam degere contigit, ne felicitatis incolumitatisque praesidium, diuinitus concessum, in libidinis improbitatisque materiam conuertant. MEMBRUM II.

DE

ORDINATIONE REIPUBLICAE.

Ordinatio, seu directio pendet ex imperio, seu maiestate, circa quam considerari possunt (1) Indoles eius in genere, (2) Iura, seu partes eius, (3) Exercitium eius, (4) Acquisitio eius.

ARTICVLVS I

DE

INDOLE MAIESTATIS IN GENERE.

I. *Notatio uocis.* II. *Descriptio.* III. *Ortus.* IV. *Affectiones.* V. *Correlatum.* VI. *Axiomata.* I I.

Vox maiestatis nonnullis dicitur a statu maiori, haud secus, ac mentiri sit quasi contra mentem ire, argumentatio quasi argutae mentis oratio, mutuum quasi de meo sit tuum, testamentum quasi testatio mentis.

2 Scilicet allusue ob uocis et rei conuenientiam, iudice Zieglero.

3 Optima autem deriuatio est a comparatiuo maius, sicut a uetus dicitur uetustas, a tempus tempestas, ab honos honestas.

4 Quanquam, si primitiua, seu originalis, habeatur uox, ueritati ac dignitati rei magis congruere, existimat Hornius.

5 In quadruplici uero significatione accipitur uox maiestatis.

6 (1) Pro qualibet rei eminentia, e. g. quando oratio bene composita, matrona, aut homo auditu ac uisu uenerabilis maiestatem habere dicitur.

7 (2) Pro externo dignitatis splendore, e. g. quando Principibus, ciuitatibus, aliisque uniuerstatibus maiestas tribuitur.

8 (3) Pro potestate publica, etiamsi non summa, e. g. quando praetoris contemta maiestas uindicari dicitur l. 9. ff. de iurisdic.

9 (4) Pro potestate quadam absoluta, seu summa, superiorem haud recognoscente, adeoque maiestati propria.

10 Posteriori sensu rursus uel concretius sumitur, pro monarcha,

Pppp 3

maie-

maiestatem, seu summam potestatem habente, uel abstractiue, pro ipsa summa potestate, ut h. l.

11 Talis autem potestas aliis nominibus dicitur ditio, summa rerum, imperium, summum sceptrum directiuum, absoluta imperantis potestas, celsitudo Principis, plenitudo potestatis, suprematus, seu superioritas territorialis.

12 Quamquam analogam duntaxat maiestatem, qualis Imperii nostri ordinibus competat, designare dicitur superioritas territorialis, de qua ex instituto scripserunt Lynckerus, Hertius, Mingius et Struuius.

13 Graecis maiestas uocatur ἀρχὴ πολιτική, h. e. imperium politicum, ἀντιστοιχοῦσα, seu κυρία ἀρχή, h. e. imperium summum, ἀνεξέχουσα, h. e. summa potestas, nec non κύριον, h. e. imperium.

14 II. *Describi* autem potest maiestas, quod sit potestas summa, a Deo per populum uni homini, siue coetui concessa, ea omnia in ciuitate ordinandi, quibus subditi securitatem et incolumitatem, tam externam, quam internam, obtinere, adeoque ad gloriam Dei mutuamque felicitatem bene uiuere possint.

15 Grotio dicitur summa potestas, cuius actus alterius iuri non subsunt, ita, ut alterius arbitrio irriti reddi nequeant.

16 Quae quidem definitio non plane reiicienda est, obscuritate tamen laborare uidetur.

17 Zieglero, Conringio, aliisque dicitur suprema et libera potestas administrandi, s. regendi societatem ciuilem ad finem propositum.

18 Hertius eam nominat facultatem eminentem ordinandi ciuitatem cum omnibus suis partibus ad suum finem.

19 Alii aliter eam describunt, in eo tamen omnes conueniunt, quod summa ubique in ciuitate sit potestas.

20 Summa dicitur, non absolute, ac si uniuersalis sit, omnia mundi imperia complectens, adeoque in totum terrarum orbem uim suam extendens, sed respectiue, intuitu illius ciuitatis, quae tali potestati est subiecta.

21 Ideo nempe, quia (1) in territorio suo nullam agnoscit potestatem superiorem, nisi diuinam, (2) quia reliquarum in ciuitate potestatum fons et caput est, (3) quia ad eam omnia in imperandi parendique

rendique ordine debent referri, ita, ut supra eam, contra eam, et sine ea nihil possit lex, aut ius ciuitatis, ut loquitur Boeclerus.

22 Finis eiusmodi summae potestatis, ut in definitione diximus, est securitas ac felicitas ciuitatis, quippe finis proximus, gloria autem Dei, ut finis remotus, ad quem omnia ultimo referri oportet.

23 Sicut enim ciuitates diuina prouidentia sunt constitutae, ita etiam maiestas, ciuitatum rectori, uel rectoribus concessa, Deum quodammodo auctorem habet.

24 Vnde, quid de ortu maiestatis sentiendum sit, facile patet.

25 III. *Ortus* nimirum maiestatis uarias inter eruditos controuersias excitauit, siquidem tres uulgo sententiae circumferuntur.

26 Vna est eorum, qui, maiestatem immediate (*αμέσως*) a Deo conferri, adeoque a populo tantum designari personam, maiestate diuinitus exornandam, non maiestatem ei applicari, statuunt.

27 Amplectuntur hanc sententiam maxime Hülsemannus, Oslander, Henniges, Hornius, eiusque commentator, Kuchenbeckerus, alique, his potissimum rationibus adducti.

28 (1) Quia infimae etiam sortis homo, imperium nactus, insignem plane characterem, diuinitus impressum, humanaque potentia longe superiorem, accipit, exemplo Saulis, Dauidis, Piasii, aliorumque, quos sigillatim excitarunt Hornius et Kuchenbeckerus.

29 (2) Quia Deus tam singularem maiestatis curam agit, ut conspirationes, contra ipsam conflatas, admirando plane modo prodant, imo percussores maiestatis solo eius conspectu a nefando scelere deterreat; ut exemplum Iacobi VI. Angliae Scotiaeque Regis, comprobant, et singulari docet dissertatione Crellius.

30 (3) Quia omnes omni tempore gentes diuinam imperantium originem certis nominibus, uti *Διούγενεις*, *Διοτρεφεῖς*, Elohim, seu Dii, Dei uicarii, uncti Dei, Dei gratia regnantes, significarunt, ideoque maiestatem, ueluti diuinitatem quandam, uario profecuti sunt cultu, imo statuas eiusdem et imagines reuerenter habuerunt, ut exemplis sat multis comprobant Kuchenbeckerus, Hertius, Becmannus, alique.

31 Altera est eorum, qui, ciuitatis rectorem mediate (*ἐμμέσως*) maiestate a Deo insigniri, contendunt, ita scilicet, ut populus, consen-

su

su suo imperium transferendo, maiestatem producat, Deus autem huic instituto confirmatione sua suae numine annuat.

32 Videtur haec Grotii, eorumque, qui Grotium sequuntur, esse opinio, his subnixa fundamentis.

33 (1) Quia summa potestas, instar aliorum iurium, pactis et conventionibus, seu legibus, ut uulgo dicuntur, fundamentalibus, uoluntati diuinae, seu legi naturali, conuenienter, transferri solet.

34 (2) Quia in arbitrio populi est, cui, et qua ratione imperium conferre uelit, h. e. an monarchiam uelit constituere, an aristocratiam, an democratiam.

35 (3) Quia, Rege defuncto, aut extincta regnantis familia, summa potestas ad populum ita recidit, ut, nisi fundamentales adsint leges, eam denuo, prout placuerit, dispensare possit.

36 Tertia denique est eorum, qui, media incedentes uia, maiestatem in genere, seu abstractiue spectatam, a Deo, tanquam causa summa et prima, produci et conseruari, in specie autem, s. concretiue consideratam, a populo, ciuitatem imperiumque constituyente, tanquam causa proxima, pactis in certo homine, uel coetu stabiliri, docent.

37 Quae quidem sententia, quippe prioribus probabilior, multos inuenit patronos.

38 Scilicet palam quidem est, in conferenda maiestate populum magnas habere partes, suoque arbitrio uariis eam modis constituere posse, ac definire.

39 Attamen Deus etiam sua hic interuenit auctoritate, non nude approbando constitutam maiestatem, sed eam, ut primus summusque ipse est stator et conseruator, per Rationis dictamen suggerendo, ordinando, modoque singulari instruendo.

40 Ne multis, causa maiestatis efficiens principalis et summa est Deus, qui Reges constituit, intermedia autem et instrumentalis sunt homines, siue superiores, uti procures, siue inferiores, totus populus, quo interueniente, Deus sceptrum et imperia dispensat.

41 Neque sanctitati imperantium eo quicquam decedit, quod maiestas a Deo non immediate, sed mediate per populum, imperium pactis suis, sed nutu diuino, definiunt, conferri dicitur.

42 Manet itaque Deus auctor et stator maiestatis, ad obeundas
ipsum

ipſius uices, decernente ac ſuffragante populo, legi naturali conuenienter, in terra conſtitutae, eoque nomine reuerenter ſancteque colendae.

43 Neque ſententia haec de mediata maiestatis origine Hildebrandinis patrocinator, ceterisue Jeſuitis pseudonymis, qui, Papam ſuum in coelum euecturi, omnem Regum Principumque poteſtatem a mero ciuium inſtituto proficiſci, contendunt.

44 Qua quidem de cauſa maximas identidem controuerſias, praefertim in Gallia, agitatae eſſe, teſtatur Boeclerus.

45 Neque cumlatiue, aut communicatiue, ſed abdicatiue ac priuatiue, maiestatem transfert populus, h. e. omnem omnino poteſtatem imperanti contedit, nullamque ſibi partem, ſiue quoad $\chi\epsilon\tilde{\eta}\sigma\iota\nu$, ſiue quoad $\kappa\tau\tilde{\eta}\sigma\iota\nu$, reſeruat.

46 Proinde zeli admodum indiſcreti arguuntur Galli, qui pro immediata iſta maiestatis a Deo origine, quaſi publicae tranquillitatis Palladio, adeo propugnauerunt, ut eius communi approbatione recipienda, imo Regia confirmandae auctoritate, conſilium aliquando agitaerint, teſte Gramondo.

47 Imo non deſunt, qui, opinionem iſtam perinde, ac doctrinam de apotheoſi, ex arcano dominationis, hominumque aſſentatione ortam eſſe, iudicant, cum Naudaeo, Lyſero, Treuero, aliisque.

48 Scilicet gentiles ciuitatum rectores id ante omnia egiffe ſcribuntur, ut imperium perinde, ac leges a Diis Deorumue auctoritate ſe accepiſſe, populo perſuaderent.

49 Quod ut eo facilius fieri poſſet, adhibita dicitur ſacerdotum miniſtrorumque opera, qui, muneribus praemiisque allecri, ſententiam hanc, plebi inculcatam, oraculis, teſtimoniis, uactionibus, et conſecrationibus confirmarent.

50 Praeterea multi doctores, nimia erga imperantes ueneratione capti, in animum ſibi induxiſſe uidentur, tum demum firmas fore poteſtates, ſi immediate a Deo ipſae proficiſci credantur.

51 Nonnullos denique ſacrorum quorundam textuum $\psi\alpha\upsilon\delta\epsilon\sigma\mu\eta\upsilon\epsilon\iota\alpha$ eo adduxiſſe iudicatur, ut immediatam maiestatis a Deo originem tam acri ſtudio defenderent, ita cenſente iam citato Treuero.

52 Plura de hac ſententia legi poſſunt apud Kulpiſium, Vitriarium,

Qqqq

um, Hertium, Noodtium, Epstenium, Boehmerum, Thomafium, Becmannum, et Gribnerum.

53 IV. *Affectiones* maiestatis, seu proprietates, quae ex natura maiestatis fluunt, eique semper adhaerent, sunt potissimum sequentes.

54 (1) Vnitas, qua summa potestas, tam absoluta, quam certis limitibus circumscripta, siue penes unum sit, siue penes plures, semper una est.

55 Scilicet populus, seu coetus hominum, ciuitatem coeuntium, eamue pacto constituentium, subiectum quidem maiestatis modumque iura eius exercendi perinde, ac formam regiminis, suo, ut diximus, arbitrio decernit.

56 Ita, ut initio uel omnia omnino iura liberumque eorum exercitium imperanti concedat, uel quaedam eximat, eorumue usum certo definiat modo.

57 Hinc tamen nequaquam duplex existit maiestas, realis et personalis.

58 Talis nimirum, qualem, praeter Kirchnerum, Althusium, Liebenthalium, Besoldum, Boxhornium, Limnaeum, monarchomachi fingunt, nominatim Buchananus, Hottomannus, Seysellius, Pareus, Miltonus, quique princeps eorum habetur, Brutus, h. e. Languetus, siue, ut alii malunt, Beza, aut Mornaeus.

59 Hi quippe imperanti personalem tribuunt maiestatem, realem uero, personali potiore, cum ea semper concurrentem, et nunquam non efficacem, populo uindicant.

60 Idque eatenus, ut imperans, personali sua maiestate abutens, a populo, ui potestatis realis, in ordinem redigi, imo, si praefracte refragetur, etiam cogi possit.

61 Quae quidem sententia eo absurdior improbiorque merito iudicatur, quo magis diuersam parentium imperantiumque rationem confundit, sacra maiestatis iura peruertit, et absolutum quoque imperium ad populi arbitrium restringit.

62 Hoc quippe fundamento nituntur pessimae monarchomachorum conclusiones, aut definitiones, quarum bis centum fere extare, scribit Vasquius.

63 Tales sunt, quod summa potestas semper radicaliter sit penes popu-

Populum, quod populus uniuersus Principi, recte imperanti, debeat parere, at male iuribus concessis utentem ad frugem reducere, quod populus uniuersus Principe sit maior, quod ciues, maxime ordines, seu procures, nec non magistratus inferiores, Regi, perperam agenti, sese possint opponere, etc.

64 Et quid absurdius dici potest, quam quod duo in eodem genere dentur summa, duae scilicet potestates summae, quarum altera sit penes populum, altera penes Principem?

65 Nonne manifesta hinc existit contradictio, siue utraque dicatur aequalis, siue una altera superior?

66 Id enim in suo genere summum proprie dicitur, quod supra reliqua omnia est, adeoque eodem respectu nec sibi aequale quicquam admittit nec se superius,

67 Quapropter sententia haec merito a cordatis damnatur uiris, ac sigillatim a Stahlio, Clasenio, Boeclero, Hertio, Boehmero, Alberti, Colero, quique in monarchomachos calamum strinxerunt, Alberico Gentili, Barclaio, et Hornio.

68 An uero populus, ex sententia Grotii, dici possit subiectum maiestatis commune, Princeps uero, aut concilium, optimatibus constans, subiectum proprium, siue, ut Lampadius, Vitriarius et nonnulli alii uolunt, ille subiectum essentiae, hic uero, aut hoc existentiae, in utramque disputatur partem.

69 Alii quippe sententiam hanc prorsus impugnant, eamque ab illa de duplici maiestate, reali et personali, parum distare, putant, uti Feldenus, Zieglerus, Osiander, Henniges, Hornius, aliique.

70 Alii contra, e. g. Lampadius, Pufendorfius, Kulpisius, Vitriarius, Grafwinckelius, Boeclerus, Beierus, et Gribnerus, eam utique admittendam esse, iudicant.

71 Dummodo ita accipiat, ut populus tum demum sit commune maiestatis subiectum, si subiectum proprium uel nondum sit constitutum, uel rursus sublatum, Princeps autem, uel senatus optimatum, tanquam subiectum proprium, in simplici ac regulari imperii forma iura maiestatis exclusiue, non communicatiue, exercent.

72 H. e. ita, ut populus priuatiue et abdicatiue, seu plene et proprie maiestatem imperanti concessisse, adeoque ius, quod transtu-

lit, nec simul exercere, nec, nisi mortuo imperante, aut extincta regnantis familia, recipere posse intelligatur.

73 Cum enim populus summam eiusmodi potestatem priuatiue, non cumulatiue, in imperantem transferat, et tempore interregni recipiat, imo in democratia præsertim absoluta, in solidum teneat, eum pro tali utique subiecto habendum esse, censent, cui eiusmodi potestas originarie insit.

74 Nos, si ingenue sententiam nostram exponere debemus, talem utique appellationem hanc deprehendimus, ut, quam probó etiam sensu accipiat, quam plurimis tamen difficultatibus subiecta maneat.

75 Præterquam enim, quod uoces existentiae et essentiae, ex inis, ut laegerus loquitur, Metaphysicae uisceribus desumtae, alienum facile sensum admittant, ipsa subiecti communis et proprii nomina admodum ambigua uidentur.

76 Nec dum satis discussa uidentur dubia, quae contra explicationem, a Grotio factam, de maiestate, post Regem eiectum, aut familiam Regis extinctam, ad populum redeunte, de subiecto proprio et communi uisus, e. s. mouent sententiae huius aduersarii, supra a nobis excitati.

77 Proinde uel summa cum cautione in strictissimo sensu utendum est locutione isthac, uel ab ea plane abstinendum, dicendumque, unum duntaxat maiestatis dari subiectum.

78 Tale scilicet quod uel unus sit homo, uel unus coetus, ex optimatibus, aut ciuibus, patribusue familias uniuersis constans, et summae potestatis iura ad communem salutem pacto conuenienter in ciuitate exercens.

79 Ita, ut, subiecto tali in monarchia sublato, ac radicitus extincto, imperium uel ad eos perueniat, quibus hoc casu ex prouidentia ciuitatis, ad euitanda throni uacantis incommoda, id decretum est, uel usque eo expiret, donec ciuitas, pro ea, quam hoc casu de quo habet, potestate, in nouo id subiecto resuscitet.

80 An uero subiectum maiestatis possit esse foemina, in utramque partem præ aliis disputant Lipsius, eiusque commentator, Reinhard.

81 De summo dictatoris Romani imperio ex instituto commentatus est Müllerus.

82 (2) Vniuersalitas, qua maiestas omnes omnino personas, in territorio existentes, tanquam obiectum suum, ita complectitur, prout salutis publicae fert ratio.

83 Scilicet summa potestas consistit in dirigendo, adeoque requirit personas, quas proposito ciuitatis fini congruenter dirigere possit.

84 Tales itaque censentur omnes, quae eo comprehenduntur territorio, in quo maiestas, quippe finita, certoque terminata districtu, sese exerit.

85 Adeo, ut nemo, cuiuscunque fuerit conditionis, a summa imperantis potestate exemptum se profiteri possit, quoad in eiusdem territorio existit, nec iustam certamque exemptionis causam allegare potest.

86 Obtinet enim hic regula, quod, quicquid in territorio sit, indistincte de territorio esse censetur, donec contrarium, iusta nimirum exemptio, probetur, sic etiam docente Boehmero.

87 Exemptio autem nititur uel naturae, uel facto humano.

88 Natura a subiectione, seu imperio eximitur animus hominis, ac figillatim conscientia, utpote quae nulla potestatis humanae uicatenus cogi, aut subigi potest, ut, e. g. quod uerum rectumque esse, iudicat, pro falso maloque habere debeat.

89 Quippe, ut supra docuimus, mens humana, positis omnibus ad intelligendum iudicandumque necessariis, rem, sibi obiectam, necessario ita intelligit ac iudicat, prout natura eiusdem cognoscendique principium ferre uidetur.

90 Id, quod in materia religionis maxime attendendum esse, supra docuimus.

91 Sic tamen animus, alioqui liber, imperio humano subiectus esse dicitur, ut, interueniente iure diuino, bonis parere legibus, et honesta imperantis mandata capessere debeat.

92 Quo quidem sensu leges ciuiles, dummodo hoc proposito sint latae, hominem in conscientia utique obligare censentur, ut bene docet Hertius.

93 Facto humano ab imperantis potestate eximuntur illi, quibus peculiari pacto, priuilegio, aut instituto exemptio conceditur, aut concedenda intelligitur.

94 E. g. Iure Gentium legati a iurisdictione loci, in quo Principis sui nomine, ex mutuo de mittendo admittendoque consensu, publica tractant negotia, utique inimunes censerī debent, quicquid nonnulli, legatorum privilegia secus, ac par est, interpretantes, in contrariam disputent partem.

95 Cum autem maiestas hominum, in territorio suo existentium, personas sibi subiectas habeat, multo magis in eorum bona ius habere dicenda est.

96 Eatenus scilicet, ut ea non minus, quam personas personarumque voluntates et actiones, ad obtinendum civitatis finem, h. e. salutem publicam, adhibere possit.

97 Quanquam, pro diversa imperiorum regnorumque ratione, diversa etiam imperantis potestas hic existat, absoluto scilicet regno plus iuris, restricto autem minus habente.

98 Complectitur ius maiestatis in bona dominium eminens, h. e. potestatem omnia subditorum bona ita disponendi, prout urgens Reipublicae necessitas efflagitat.

99 De quo quidem dominio uberius fusiusque subsequenti agemus Articulo.

100 Porro uniuersalis isthaec maiestas in ipsum se extendit territorium, adeo, ut, salva singulorum proprietate, omnia inibi procurare possit, quae obtinendae conseruandaeque civitatis saluti conducere videntur.

101 Qua quidem potestate amplissima continentur iura, mox explicanda.

102 (3) Aequalitas, qua maiestas eadem est in parua ciuitate, atque in magna, eadem in democratia, uel aristocratia, atque in monarchia, eadem denique in regno electiuo, ac successiuo, patrimoniali, ac non - patrimoniali.

103 Scilicet, cum maiestatis natura in eo consistat, ut una, summa et independens sit potestas in ciuitate ubique, non sane ex territorii conditione, forma regiminis, imperiue ratione aestimari debet.

104 Proinde nec ciuitatis amplitudo, uel paruitas, nec tituli externi, nec inaugurationum solemnia, honorumue ommissio, nec regnorum differentia, summae imperantium potestati addere quicquam

quam possunt, aut detrahere, ut præ aliis hoc exposuit Boehmerus.

105 Quid? quod nec capitulatio, s. conuentio iurata, nec alienae in ecclesiasticis potestatis recognitio, nec obligatio feudalis, nec pensio annua, nec foedus inæquale potestatem isthanc imminuit.

106 (4) Sanctitas, qua maiestas omnino inuiolabilis est, et ueneranda, h. e. immunis ab omni ui et coactione, omnique honoris cultu, pro gentis cuiusque institutis ac rioribus, prosequenda.

107 Fluit hoc maiestatis attributum ex augusta ipsius natura.

108 Cum enim summa sit potestas, ab ipso Deo; etiam si mediate, constituta, ciuitatumque rectori, uel rectoribus diuino numine, ad summum illum coeli terraeque dominum quodammodo repraesentandum, eiusque uices in mundo obeundas, concessa, sancta etiam ab hominibus haberi debet.

109 Sancta nimirum, quia summa est, a nemine mortalium dependens, nulli in ciuitate communicabilis, nullis hominum legibus subiecta.

110 Dico, nullis hominum legibus, ut, qualis sit Principis immunitas, indicem.

111 Scilicet, cum ideo summa dicatur potestas, quod nullam in terris superiorem agnoscat, ab humanis etiam legibus, seu institutis ciuilibus, immunis sit, necesse est.

112 Sunt enim leges, proprie dictae, iussa superiorum, siue, ut Seneca easdem uocat, uirtutes armatae, quae ui superiore armantur.

113 Ergo nullius omnino hominis uoluntati subiecta est maiestas, nulli ad reddendas actionum suarum rationes obstringitur, a nullo propter malefacta puniri potest.

114 Nec momentum hic habet distinctio inter leges, secundum uim coactiuam (*βιαστικῆς*) consideratas, quibus maiestas dici debeat soluta, et leges, secundum uim directiuam (*ὑπονομικῆς*) spectatas, quibus ea utique sit subiecta.

115 Nam sine superioritate ac subiectione nulla plane uis iusta existit, nec, nisi per modum instrumenti (*ὀργανικῆς*) uim suam exercere potest lex, cum contra maiestas, tanquam superior, (*κυρία*) sibi subiectos constringat.

116 At diuinis utique legibus tam naturalibus, quam posituiis, perinde subiecti sunt imperantes, atque alii homines.

117

117 Quippe, ut omnium omninoque creaturarum, ita omnium quoque hominum, ueluti subditorum naturalium, dominus est Deus, adeoque huius etiam legibus omnes, cuiuscunque fuerint conditionis, obstricti censi debent.

118 Vniuersus terrarum orbis ciuitas est, summo Rectori, Deo, subiecta.

119 Non magis igitur Princeps eo ipso, quod Princeps est, ciuis mundanus esse desinit, quam sceptro ac diademate hominum numero eximitur.

120 Hinc ius naturae principatu potentius dicitur atque imperio.

121 Talis autem subiectio nequicquam summæ detrahit potestati.

122 Ipse Deus, pro summa sua perfectione, non nisi iusta facere potest et ferre, adeoque, ut scholastici loquuntur, ueluti aeternam quandam legem in gubernandis rebus, a se conditis, sequitur.

123 Neque tamen hoc summam eius potestatem imminuit, aut ullum potentiae defectum inducit, sed uirtutem, perfectionem, et eminentiam declarat.

124 Quippe non posse facere malum perfectio est, non impotentia.

125 Atqui diuinæ huius potentiae, quæ non nisi intra fines iuris agere potest, uicaria est magistratuum summa potestas, Deoque in terris proxima, et ideo post Deum sanctissima.

126 Effrenis uero illa licentia agendi, quicquid lubet, excussa iuris reuerentia, quæ alia est, quam prædonum ac latronum, h. e. eorum, qui non uilissimi hominum, sed infra homines, et humani generis non pars, sed busta et pestes censi debent?

127 Quapropter qui hoc fūco, quasi omnibus omnino legibus soluti essent imperantes, magistratuum aures obsident, illi magistratum extinguunt, omnemque ipsi maiestati maiestatem, et id, quo solo illa sacrosancta est, eripiunt, ut docte pieque scripsit Cocceius.

128 Quo cum conferri possunt H. L. Wernherus et Buddeus.

129 Consequitur hinc, imperantem eis etiam conuentionibus obstringi, quæ fundamentales uulgo leges uocari solent.

130 Cum enim pacta et contractus seruare ius naturæ omnibus præcipiat hominibus, etiam Princeps ad fundamentales eiusmodi leges seruandas obligatum se profiteri debet.

131 Non

131 Non quidem ui subiectionis, ab hominibus iniunctae, sed ui promissionis, libera ab ipso uoluntate sub auspiciis imperii factae, ut infra docebimus.

132 Sancta igitur et inuiolabilis manet maiestas, etiamsi huiusmodi perinde pactis, atque diuinis obstringatur legibus.

133 Nullo eidem modo resistendum est, neue maledicendum unquam, ut peculiari hoc dissertatione docuit Becmannus.

134 Debita cum ueneratione agnosci debet diuina eius dignitas, ex ipsis titulis, insignibus, uariisque cultus generibus apparens, de qua pariter legi meretur modo citatus Becmannus.

135 Quae quidem omnia subiectionis ratio a ciuibus postulat.

136 V *Correlatum* igitur maiestatis, seu summae potestatis, est subiectio, h. e. qualitas moralis, subditis inhaerens, eosque ad fidem, obsequium, reuerentiam, aliaque his annexa officia, imperanti proposito ciuitatis fini conuenienter praestanda, obligans.

137 Est subiectio correlatum maiestatis, adeoque ex cognitione unius pendet cognitio alterius, cum relata se mutuo explicent.

138 Proinde idem eius est finis, eadem causa efficiens, idem obiectum, ac maiestatis.

139 Scilicet aequae propter communem ciuitatis salutem, Deo sic ordinante, a ciuibus in omnia, territorio comprehensa, et imperio ciuili non exempta, per pactum introducit.

140 Nuncupantur hinc subditi, quos nonnullis seruos, sequitori autem aetate homines, seu ligios, quasi ligatos, h. e. proxime et immediate iunctos, dici solere, commemorat Hertius.

141 Complectitur autem subiectio fidem et obsequium, quaeque his coniuncta sunt, officia specialia, ad obtinendum ciuitatis finem necessaria, de quibus infra ex instituto agetur.

142 Quae quidem officia ut tanto certiora existant, sacramentum adhiberi solet, homagium barbara uoce dictum.

143 Tale scilicet iuramentum, quo subditi imperantibus, sub quorum ditione certo respectu existunt, obedientiam, fidelitatem et obseruantiam, ui subiectionis debitam, confirmant.

144 Hertio dicitur asseueratio religiosa subditorum de fide, obsequio et reuerentia, summo imperanti praestandis.

f R r r r

145 De

145 De origine huius uocis uariae extant doctorum opiniones.

146 Quippe alii eam a Graecorum *ἐμὼα*, iuro, alii a Longobardorum hominio, h. e. subdito, quasi hominis sit ligium, h. e. obligatio feruitiorum, alii denique a Latinorum homo et agere, quasi homo h. e. uasallus, seu cliens, domino se acturum, eo promittat, deriuant.

147 Variis insuper nominibus efferrī solet homagium, cum modo panagium dicatur, modo baronagium, nec non iuramentum subiectionis et fidelitatis, Germanis Huldigung, quasi Gedinge hold zu seyn, Eyd der Treue.

148 Praestari solet homagium siue sub auspiciū imperii, siue post praeterlapsum aliquod tempus.

149 Idque modo in loco publico, siue coram Principe et ministris, a latere ipsi adstantibus, siue coram commissariis, speciali ad id mandato instructis, modo in conclauī, praesertim si iurantes nobilioris sint conditionis, aut etiam clerici.

150 An autem clerici aequae, ac laici, ut uulgo dicuntur, ad praestandum tale iuramentum sint obstringendi, in utramque disputatur partem.

151 Quin iure hoc exigere possit imperans, nullum est dubium.

152 Etenim (1) illi non minus, quam laici, summae potestati sunt subiecti, (2) in causis politicis aliud iuramentum, e. g. testimonii, aut purgationis, eis iniungi potest, (3) honestae sunt homagii causae, adeoque eius praestatio ipsorum auctoritati non magis obesse potest, quam imperantis maiestati quicquam decedit, si leges regni fundamentales, aut capitulationes, iuramento confirmet.

153 Nec desunt exempla Principum, quibus sacrorum antistites perinde, ac reliqui ciuium ordines, homagio se obstrinxerunt, praesertim in Anglia et Dania, ut uidere licet in Theatro Europaeo, Reinkingio, et historicis plurimis.

154 Verum satius esse, si Princeps, de suo nonnihil iure remittens, ecclesiae ministros ab homagio eximat, sequentes potissimum causae suadere uidentur.

155 (1) Quia de ipsorum fide hoc minus dubitare debet Princeps, quod ipse suam suorumque animam ipsorum curae committere susti-

sustinet, (2) quia iuramentum tale auditoribus sinistram afferre potest opinionem, (3) quia hinc facile ad abutendam in ecclesiasticis subiectionem praetextus nascitur.

156 Idcirco in plerisque hodie regnis iuramentum hoc remittitur.

157 Est autem homagium, ratione causae et effectus, aliud personale, quod intuitu personae praestatur, et subiectionem personae arguit, aliud reale, quod in recognitionem rerum, in alterius territorio existentium, iuratur, et realia potissimum onera respicit.

158 Ratione modi et adiuncti, uel absolutum est, quod sine conditione, ad agnoscendam imperantis *παμβασιλείαν* praestatur, uel restrictum, quod certas condiciones, puta subiectionem, ad certum tempus, in certum euentum, et circa certum obiectum definitam, complectitur.

159 Plura de homagio ex instituto scripserunt Breuningius, Mauilius, Engel, Thilo, Manitius et Lynckerus.

160 An homagium, inuasori praestitum, obliget, disquisiuit Abicht.

161 VI. *Axiomata* sunt: (1) Tanti sane habenda est maiestas, ut et ultra priuatas necessitudines amari debeat, et diuinae instar imaginis coli.

162 (2) Nam ex eius uigilantia omnium pendet securitas, omnium quies illius nascitur labore, sub ipsius praesidio floret omnium salus.

163 (3) Quare uenerandum esse regem, ut Dei sospitantis effigiem, pulcherrimam merito legem optimamque dixit Artabanus, Persa.

164 (4) Eamque ob causam adeo graue habetur laesae maiestatis crimen, ut triplici poena, bonorum, infamiae, et corporis afflictionum, coerceri soleat, teste Zieglero.

165 (5) Nec probiori tantum et benigniori Principi amor debetur et reuerentia, sed iniquioris etiam duriorisque patienter ferendi sunt mores.

166 (6) Diuini humanique iuris repagula perfringit, qui aduersus eos agere, aut iis maledicere sustinet, in quos nullum omnino ius habet.

167 (7) Patet hinc, quanta arrogancia, quantaue impietatis indicium sint Principum excommunicationes, a Romanis identidem Episcopis factae, et digna adeo censura a cordatioribus notatae uiris, uti Heimburgio, Banosio, Krügero, aliisque.

ARTICVLVS II.

DE

IURIBVS MAIESTATIS.

I. *Descriptio.* II. *Partitio.* III. *Explicatio.* IV. *Axiomata.*

I I.

Describi possunt iura maiestatis, quod sint ea, quae ad maiestatem, seu summam in Republica potestatem, tanquam partes ad totum, pertinent, adeoque summo imperanti ad ciuitatem, fini proposito conuenienter moderandam, necessario competunt.

2 Vocamus ea partes maiestatis, ideo, quod maiestas est quasi totum aliquod potestatum, seu potentiale, ex certis potestatibus, tanquam partibus, constans.

3 Vnde etiam dicitur complexus iurium maiestaticorum, h. e. eorum, quae imperanti ad regendam ciuitatem sunt necessaria.

4 Indiuisibilis itaque dicitur maiestas, seu nullam admittens diuisionem, non ratione sui, sed ratione subiecti, quod eam sustinet.

5 Scilicet, cum maiestas sit summa in Republica potestas, duo autem, uel plura statuere summa contradictionem implicet, non nisi in una persona, uel physice, uel moraliter tali, existere potest.

6 Nihilominus tamen ea, ut totum aliquod, per partes, formaliter inter se distinctas, concipi, et per tales etiam administrari potest.

7 Vocantur iura maiestatica alijs nominibus iura imperii, iura regni, sacra regni, et regalia, qua tamen uoce propter ambiguitatem parceutendum esse, monet Hertius.

8 Dicimus, ad summum imperantem ideo maiestatica pertinere iura, ut ciuitatem fini proposito conuenienter moderari possit.

9 Fundamentum itaque iurium maiestaticorum est natura et finis ciuitatis, h. e. salus et securitas eius, tum interna, tum externa.

10 Nimirum ciuitas nihil aliud est, quam coetus hominum, mutuae securitatis causa sub summa aliqua potestate ita coniunctorum, ut personae et res, in ciuitate existentes, a potestate illa fini praestituto congruenter dirigi debeant.

11 Quicquid igitur iuris ad obtinendum hunc finem necessarium uidetur, id summo utique imperio datum esse intelligitur.

12 Finis enim, ut saepe diximus, norma est mediorum ac mensura.

13 Vnde,

13 Vnde, quam uaria iurium maiestaticorum sint genera, facile colligi potest, etiamsi non uno eadem modo scriptores distribuunt.

14 II. *Partitio* scilicet ab aliis fieri solet ratione obiecti, prout res uel sacrae sunt, uel profanae, haeque uel ciuiles, uel militares.

15 Ad sacras quidem res refertur ius sacrorum et religionis, ad ciuiles autem ius ferendarum legum, constituendorum magistratuum, aliaeque plura, ad militares denique ius belli et pacis.

16 Nonnullis distributio, a quantitate et qualitate desumpta, placet.

17 A quantitate alia iura dicuntur esse uniuersalia, alia particularia, eaque uel obiectum, uel subiectum, uel formam accidentalem, uel causam efficientem respicientia.

18 A qualitate uel ordinaria existunt, uel extraordinaria, quae una cum aliis partitionum generibus habet Hertius.

19 Nota etiam est diuisio in maiora et minora, uulgaris quidem multisque improbata, non tamen omnino reiicienda, ut recte existimat Gribnerus.

20 Nec desunt, qui ea partiri malunt in iura immanentia, seu disquiparantiae, et transeuntia, seu aequiparantiae, quorum illa Rempublicam ipsam, haec uero exteros respiciunt.

21 Nos, finis potissimum rationem hic esse habendam, diximus.

22 Scilicet ad publicam ciuitatis salutem, communemque eius felicitatem, tam externam, quam internam, referri oportet, quicquid iuris maiestas complecti dicitur.

23 Externa igitur tranquillitas postulat, ut studio, quam fieri potest, maximo pax colatur, eaque, si proteruo a quopiam ausu uiolentur, iusto reducatur bello, unde ius belli et pacis, aliaeque huic annexa iura emergunt.

24 Cum autem nec pacis, nec belli negotia sine legatorum opera expediri possint, oritur hinc ius legationis.

25 Et, siquidem nulla fere Respublica sine aliarum amicitia, necessitudine et auxilio tuta esse potest, foederibus opus est, indeque ius foederum existit.

26 Internae uero salutis tria maxime fulcra statui possunt, religio, iustitia et opes.

27 Religio, prout externum Dei cultum denotat, certisque adeo

modis ad ordinem, decus, felicitatemque ciuitatis non minus, quam hominum singulorum salutem, uel soli Rationi, uel etiam Reuelationi conuenienter dirigenda est, parit ius sacrorum.

28 Cum autem ad pium ordinatumque religionis exercitium perinde, atque ad bonos mores ciuitatisque commodum et ornamentum, maxime profint scholae, artiumque bonarum officinae, oritur hinc ius scholarum.

29 Iustitia ante omnia requirit regulas, ad quas ciuium actiones possint componi, iusteque perfici, unde ius ferendarum legum, seu nomotheticum.

30 Secundum leges iudicanda sunt ciuium negotia, ac dirimendae eorum lites et causae, ideoque iudiciaria opus est potestate, ut Princeps certos ordinatosque constituere possit iudices.

31 Cum enim homines priuati, salua Reipublicae tranquillitate, sibi ipsis ius dicere, quodque alteri ab altero debetur, propria sibi ui asserere, aut uindicare nequeant, talia requiruntur iudicia, quae summae subsint potestati.

32 At frustra forent leges, frustra iudicia, nisi malum aliquod, h. e. poena, eos maneret, qui contra leges facere, publicamque adeo securitatem turbare ausint.

33 Idcirco ius poenae, alias ius gladii dictum, Principi competit.

34 Cum autem ius tale perinde, atque cetera, ad prudentiae regulas attemperari, adeoque, prout eae tulerint, modo exerceri debeat, modo intermitteri, alia hinc potestas nascitur, uulgari nomine ius aggratiandi dicta.

35 Opes uel naturales sunt, quae naturae beneficio obtingunt, ut agrorum, sylvarum, montium, similesque terrae prouentus, uel artificiales, quae hominum studio parantur et opera, uti merces.

36 Hinc uaria existunt iura, quae minora uulgo nuncupantur, uti ius foresti, metalli fodinae, commerciorum, nundinarum, e. s.

37 Cumque ciuitatis omnino inter sit, ut suis quisque rebus rite utatur, etiam maiestatis est, curam hic agere, rectumque bonorum usum salutaribus institutis, e. g. legibus sumptuariis, definire.

38 Imo in omnes res, territorio suo comprehensas, perinde atque in personas, sibi subiectas, ius quoddam habet Princeps, quod dominium eminens dici consuevit.

39 Quae

39 Quae quidem iura omnia ut eo melius commodiusque in Reipublicae salutem exerceri possint, opus est ministris, consilio, fide et industria conspicuis, quorum adeo constituendorum ius Princeps pariter habere debet.

40 Quemadmodum et propter salaria, iis assignanda, non minus, quam propter alios sumtus, publice priuatimque faciendos, ius tributorum ipsi competit.

41 Quid uero circa singula, quae inde fluunt, iura obseruari mereatur, breuiter strictimque, prout instituti fert ratio, nunc exponere, operae pretium est.

42 III *Explicatio* itaq; praecipuorum eiusmodi iurium esto sequens.

43 (1) Ius belli et pacis, nec non legationum et foederum, in Iuris prudentia Gentium maximam iam partem tradidimus.

44 Quocirca nihil amplius hic monendum uidetur, nisi quod Princeps, uiuius istius, ex subditis suis milites conscribere, etiam inuitos ad militaria cogere officia, arma comparare, bellicum instruere aerarium, aliaque huius generis negotia suscipere possit.

45 Itaque locum hic habet tum ius uitae et necis, indirecte spectatum, in personas ciuium, tum dominium eminens in eorum bona.

46 (2) Ius sacrorum infra in Sectione secunda explicabitur.

47 Cum enim in posteriore illa Politicae nostrae parte omnia si-mus pertractaturi, quae ad ciuitatem, respectu uinculi sacri consideratam, pertinent, etiam de iure sacrorum, seu potestate, ut dicitur, ecclesiastica externa, agendi erit locus.

48 (3) Ius ferendi leges alio nomine dicitur potestas legislatoria, seu nomothetica, quae, docente Grotio, uersatur circa uniuersalia, atque ad eam Politicae partem uulgo refertur, quae secundum Aristotelem dicitur architectonica.

49 Quo quidem nomine tam late patet haec potestas, ut in omnia prope iura maiestatica, seu regalia disquiparantiae, sese diffundat, suamque ibi uim quodammodo exerat.

50 Nectantum condendo leges hoc absoluitur ius, sed etiam interpretandi tollendique facultatem complectitur.

51 Quid autem lex sit, quidue continere debeat, supra est dictum.

52 Pro

52 Pro diuersa autem ciuitatis forma, diuersum plerumque nomen nanciscitur lex ciuilis, cum in monarchia absoluta dicatur constitutio Principis, in aristocratia senatusconsultum, uel magistratus edictum, in democratia plebiscitum.

53 Vbicunque autem feratur, decretum esse debet, agenda et omittenda ciuibus praescribens, adeoque rectam uiuendi rationem communemque certae ciuitatis salutem pro scopo habens.

54 Vnde apparet, necessarias utique esse leges ciuiles, etiamsi et naturales, et positiuae leges diuinae rectum iustumque hominibus praecipiant.

55 Scilicet nec singularia illa negotia, quibus finis cuiuslibet Reipublicae obtineri potest, leges diuinae, quippe generaliores ac simpliciores, definiunt, nec poenam ad coercendos improbos necessariam semper continent.

56 Et quamuis certa Numinis diuini uindicta omnes legum uiolatores maneat, paucissimi tamen solo illius metu a malo deterrentur, praesertim cum lento plerumq; gradu ad puniendum procedat benignissimus sapientissimusque Deus.

57 Ergo praesentissimum aliquod malum iis repraesentetur, necesse est, qui leges, tam humanas, quam diuinas, migrare ausint.

58 Neque tamen propter solam uim externam obseruandae sunt leges ciuiles, sed quia in conscientia obligant, etiamsi res, diuino alioquin iure permissas, uetent, aut indifferentes contineant.

59 Cum enim Principi, non iniusta praecipienti, tanquam Dei uicario, obedire, ipse Deus naturali pariter ac positiua lege iubeat, legem, a Principe latam, uiolare utique nefas haberi debet.

60 Hoc ipso autem a legibus differunt statuta, utpote quae non, nisi ex confirmatione Principis, siue tacita, siue expressa, nec, nisi eos, quorum causa fuerunt condita, obligant.

61 Est enim statutum, proprie dictum, nihil aliud, quam ius, a magistratu inferiore, seu potestate subalterna, ex concessione imperantis, huiusue consensu, constitutum, illius loci, ubi constituitur, subditos, aut ciues obligans, ut bene docet Boehmerus.

62 Nimirum potest quidem magistratui inferiori concedi ius instituta quaedam ad politiam ciuitatis necessaria condendi, imo eo ipso,

ipso, quod ciuitatis administratio ei concessa est, etiam facultas nonnihil eorum, quae ciuitati bene administrandae inseruiunt, statuendi concessa intelligitur.

63 Non alia tamen obligandi uis eiusmodi statutis inesse censenda est, quam quae summi imperantis concessione eiusue auctoritate nitatur.

64 Quae quidem concessio cum ex delegata magistratus potestate, seu demandata ciuitatis administratione, colligi possit, non necessario confirmanda esse a Principe statuta, existimat Boehmerus.

65 Sed certiora esse statuta confirmata non confirmatis, omnino putauerim.

66 Cum autem non naturalem semper aequitatem sequantur leges ciuiles, sed publicae utilitatis nitantur ratione, quaestio hinc existit, quanta hic Principis sit potestas?

67 Quicquid materia pacti fieri possit, sub legem cadere posse, et contra, quicquid pacto non possit constitui, id nec lege posse decerni, existimat Gribnerus.

68 Quae quidem regula uerissima est, si ante eam recte intelligatur ponaturue, quodnam sit illud, quod, conuentione interposita, possit admitti, quodue minus.

69 Alioquin ex principio incerto ducitur conclusio aequae incerta.

70 Taceo, non sine discretionem accipiendum esse, quod Principis arbitrio ita suam populus uoluntatem submisisse dicitur, ut, conuentione q. interposita, ratum habere uelit, quicquid ille sanciret.

71 Cum enim omnium, quae constituta sunt, imperiorum causa sit mutua ciuitatum securitas et incolumitas, id etiam Principis arbitrio, ueluti conuentione quadam, concessum esse intelligitur, quod obtinendo huic fini inseruire possit.

72 Hactenus, ut, quamuis Principi, aliud quid, quam quod publica fert salus, imperanti, resistere, aut uim facere, haud liceat, non iure tamen, sed facto tale quid fieri, existimandum sit.

73 Proinde dubium admodum est, an praeter utilitatem, aut necessitatem publicam, sublata rerum proprietate, promiscuam auferendi licentiam introducere liceat, quamuis alioquin res aliena, accedente pacto, uel consensu, citra furti, uel latrocinii culpam, atque possit auferri.

Ssss

74 (4) Ius

74 (4) Ius constituendi iudicia, seu potestas iudiciaria est, cuius in imperans constituit magistratus, et iudices, cum inferiores, cum superiores, qui subditorum actiones ad leges applicent, de causis cognoscant, et suum cuique ius tribuant.

75 Tales itaque magistratus Principis nomine iurisdictionem exercent, quae tres potissimum partes complectitur, cognitionem, decisionem et executionem.

76 Estque, ratione obiecti, uel civilis, uel criminalis, alia secularis, alia ecclesiastica, de qua posteriore infra dicitur.

77 Zieglerus tres iurisdictionis facit species, imperium merum, imperium mixtum, et iurisdictionem simplicem.

78 Merum imperium ipsi est habere gladii potestatem, h. e. quamlibet aliam grauiorem coërcitionem ad animaduertendum in homines facinorosos.

79 Aliis uocatur publica super criminalibus causis iuris dicendi potestas, tres complectens gradus, primum, quo mors naturalis irrogatur, secundum, quo ciuitas adimitur, tertium, quo poena leuior exercetur.

80 Mixtum imperium ipsi dicitur potestas modice coercendi, cui etiam iurisdictio inest, h. e. coërcitio modica, iurisdictioni expediendae, tuendae, et exequendae, deferuiens.

81 Hoc itaque imperium mixtum et merum inter se differunt, quod hoc cum iurisdictione nihil habeat commune, illud autem iurisdictioni cohaereat.

82 Iurisdictio simplex ipsi est, quae non in coercendo, sed in iure reddendo consistit.

83 Talis iurisdictio, ratione subiecti, et obiecti, uel uoluntaria est, uel contentiosa.

84 Illa est, quae inter uolentes circa actus, sponte susceptos, e. g. donationis, aut testamenti insinuationem, coram quocunque iudice, omnique die, sine ordinaria causae cognitione, solemnitatis et auctoritatis gratia exercetur.

85 Haec uero, quae inter inuitos, in iudicio contententes, coram iudice competente, circa actus, accuratam causae cognitionem efflagitantes, e. g. tutoris et curatoris dationem exercetur.

86 Ratio-

86 Ratione causae efficientis, alia est ordinaria, s. propria et principalis, quam quis iure proprio habet, alia delegata, seu mandata, quam quis beneficio mandantis habet, alia prorogata, quae consensu litigantium ab eo exercetur, qui alias litigantes non sunt subiecti.

87 Nostri Saxonum institutis iurisdictio distinguitur in altam, seu superiorem (Ober-Gerichte) et bassam, seu inferiorem (Nieder - Unter - oder Erb - Gerichte).

88 Quae uero causae ad utramque pertineant, doctores ex constitutione prouinciali passim docent.

89 (5) Ius puniendi est potestas certis delictis statuendi poenas.

90 Pertinet hoc ius ad officium Principis uindicatiuum, sicuti potestas legislatoria ad officium eius directiuum.

91 Necessitas eius ex iis, quae supra diximus, huc repeti potest.

92 Scilicet tanta hominum est corruptio, ut, nisi certum aliquod malum improbos maneret, nec ulla legum consisteret auctoritas, nec secura ullibi foret salus.

93 Quare Grotio poena dicitur malum passionis propter malum actionis.

94 Plenius describi potest, quod sit coercitio, seu ultio delicti, a superiore, aut magistratu, ius puniendi habente, certi inflictione mali, ob ciuitatis salutem, ac laedentis laeq; utilitatem, rite facta.

95 Requiritur ergo ad poenam (1) delictum, seu factum, in legem commissum, (2) superior, uindicandi facultatem habens, (3) malum, inuito molestiam afferens, adeoque a delinquendo deterrens.

96 Obiectum poenae sunt omnes illi actus externi, qui alicui directe, uel indirecte imputari possunt, supra in Ethica descripti.

97 Et tales maxime sunt illi, qui societatem civilem eiusue tranquillitatem turbant, adeoque legibus sunt prohibiti.

98 Fines poenarum tres omnino numerantur, (1) emendatio peccantis, (ὁμοιωσις) (2) compensatio, uel satisfactio, (τιμωρία) (3) exemplum (παράδειγμα).

99 Quos tamen omnes ad unum, civilis nempe tranquillitatis conseruationem, ne simili in posterum delicto laedatur, reduci posse, statuit Treuerus.

100 Distinguitur poena, ratione effectus, in positiuam et priuatiuam.

101 Positiua, alio nomine poena sensus dicta, complectitur malum aliquod actuale, seu positium, quo, uindicandi delicti causa, delinquens per modum coactionis afficitur.

102 Priuatiua, quae etiam poena damni dicitur, consistit in priuatione alicuius boni, ob delictum facta.

103 Ratione causae efficientis, uel legalis est, quae a lege statuta, adeoque certa est, uel arbitraria, quae arbitrio iudicis relinquitur.

104 Ratione obiecti, alia est corporalis, qua corpus delinquentis punitur, alia non-corporalis, uti coercitio pecuniaria, s. multa.

105 Corporalis uel capitalis est, qua caput, seu uita delinquenti adimitur, uel non-capitalis, qua corpus, salua uita, affligitur, idque modo cum, modo sine sanguinis profusione.

106 Capitalement uero poenam infligendi potestas proprie dicitur ius uitae et necis, quod imperans directe in ciuium uitas habet, quemadmodum indirecte id exercet ratione belli, ut supra dictum.

107 In infligenda autem poena, tum delicti habenda est ratio, tum finis.

108 Prout nimirum aliud alio est grauius ac nocentius, ita aliud etiam alio seuerius puniri debet.

109 Quam ob rem potiores attendendae sunt circumstantiae.

110 Tales sunt (1) subiectum, quod uel culpa, uel dolo, mediate, uel immediate deliquit, (2) obiectum, in quod delictum est commissum, (3) effectus, s. damnum, in Rempublicam inde redundans.

111 Considerari in primis debet delinquentis conditio, seu sexus, aetas, status et dignitas, pro cuius diuersitate etiam diuersos poenarum gradus adhiberi, fas est, cum poena sensus in uno maior existat, quam in altero.

112 Et, siquidem ius naturae ob publicam salutem poenas quidem praecipit, nequaquam uero definit, ius uero diuinum positium paucissimas describit, Principis cuiusque arbitrio hic standum est.

113 Is quippe, pro eo ac Reipublicae utilitas exigit, poenas tam capitales, quam non-capitalis, constituere, et, qua ratione unumquodque delictum coerceri debeat, ordinare potest.

114 Neque adeo in definiendis poenis una ciuitas alterius obligatur instituto.

115 Plura

115 Plura de poenis ex instituto tradunt Zieglerus, Hochstetterus, Eisehartus, Boeclerus, Geislerus, Mylius, et Dürrius.

116 (6) Ius aggratiandi est potestas delinquentibus poenam remittendi, seu ueniam certas ob causas concedendi.

117 Dicimus, certas ob causas, quoniam in utendo hoc iure circumspeditione opus est ac prudentia, ne, uenia frequentius concessa, legum auctoritas infringatur, impunitatisque spe hominum alatur malitia.

118 Causae autem potiores sunt, (1) si poena nullum habitura sit effectum, (2) si necessitas publica tolerare potius, quam punire certa malefacta iubeat, (3) si persona punienda singularem mereatur fauorem.

119 Ius autem dandi delinquentibus ueniam in eis tantum poenis exerceri potest, quae legibus humanis sunt definitae, adeoque non minus, quam ipsae leges, ex Principis pendent arbitrio.

120 At poenam, ab ipso Deo constitutam, non magis remittere debet imperans, quam leges diuinas mutare, cum potestas eius, quippe a Deo accepta, Dei potestate maior esse non possit.

121 Qualis quidem poena cum sit supplicium, quo homicidium puniri debet, nulla hic Principis dispensatio locum habet, ut peculiari hoc dissertatione docuit Heinrici.

122 Quicum ii conferri merentur, qui dispensandi aggratiandi que suis illustrarunt commentationibus, uti Clasenius, Struuius, Roehrensée, Engelbrechtus, et Ittigius.

123 Peccant igitur, qui, uel nimio assentandi studio, uel intempestiua moti misericordia, iusto maiorem hic Principi potestatem tribuunt, ut recte in sua de assentationibus ICtorum dissertatione docet Leyserus.

124 (7) Dominium sequitur eminens, siue supereminens, quam Schilterus, discriminis quicquam hic faciens, eminens Reipublicae ciuili, supereminens herili tribuat.

125 Eminens dicitur, quia superius est dominio uulgari, ui cuius quisque de re, legitime acquisita, pro arbitrio, et nomine proprio disponere potest, ut supra docuimus.

126 Vocatur hoc dominium Hugoni de Roy altum, aliis potestas πρὸς αὐτὴν, nec non ratio status.

S s s s 3

127 Est

127 Est autem nihil aliud, quam potestas, ui cuius imperans singulorum ciuium res et bona, prout necessitas ciuitatisque salus efflagitat, disponere et adhibere potest.

128 Tribuendum esse hoc ius maiestati, tum huius natura, tum Reipublicae indoles docet.

129 Cum enim maiestas id omne complecti debeat, quod obtinendae conseruandaeque ciuitatis saluti, quippe omnis imperii ciuili fini et scopo, inseruire possit, tale etiam dominium ipsi competat, necesse est, sine quo finem istum consequi non datur.

130 Respublica autem, seu ciuitas, eo ipso, quod, communis felicitatis causa, ciuili se subiecit imperio, ad conferenda omnia, quae felicitas ista, urgente praesertim necessitate, exigere possit, sese obstrinxisse censetur.

131 Hoc itaque nomine unam refert personam, quae, sicuti unam in rebus, ad salutem publicam pertinentibus, uoluntatem habere iudicatur, ita unum quoque et commune patrimonium, illius respectu finis, tenere censetur.

132 Qui enim communi frui cupiunt felicitate, illi communibus etiam uiribus ad eam adipiscendam retinendamque conati debent.

133 Distinguitur dominium eminens in ordinarium, et extraordinarium.

134 Ordinarium dicitur, ui cuius Princeps res communes, publicas et nullius in suum suaeque ciuitatis usum disponere, adeoque uaria hoc nomine iura exercere potest, e. g. ius uenandi.

135 Extraordinarium uocatur, ui cuius imperans, poscente necessitate, subditorum bona, uel eorum partem destruere, alienare, uel alio modo adhibere potest, prout ad superandam talem necessitatem conseruandamque Reipublicae salutem bonum fuerit uisum.

136 Eiusmodi necessitas existit tempore belli, obsidionis, pestis, incendii, famis, similisque calamitatis publicae, quae e. g. destructionem aedium, collationem pecuniae postulat.

137 Talis ergo hic requiritur necessitas, in qua publica periclitetur salus, cuius adeo conseruandae causa eminens illud dominium in ciuium bona, uel res exerceri possit.

138 Extra necessitatis eiusmodi casum usus huius dominii licitus haud

haud est, adeoque Regis Achabi, Nabotho vineam eripientis, iniursum fuit factum, ut peculiari id dissertatione descripsit Rhodius.

139 Poscit etiam aequitas, ut eis, qui bona sua eorumque partem ciuitatis causa amiserunt, ab imperante ceterisque ciuibus integris damnum, si fieri possit, restituatur, quicquid in contrariam disputer partem Hornius.

140 An autem ius tale ad exterorum etiam bona extendi possit, hactenus, ut aliorum non subditorum bona in necessitatem utilitatemque ciuitatis suae dispensare Principi liceat, uarie disceptatur inter eruditos.

141 Grotius quidem id negat, in temporarios autem subditos, e. g. qui, propter mercaturam aliamue causam, summam ad tempus potestatem huius illiusque ciuitatis agnoscere debent, tale quid licere, putat Boeclerus, modo rerum, in publicos usus, insumptarum, fiat compensatio.

142 Nec magis inter doctores conuenit, num eminens hoc dominium ad regium illud ius referri debeat, quod I. Samuel. VIII. descriptum legitur, quodque erudite exposuit Schickardus.

143 Nota etiam est controuersia, quae superiore seculo inter Hornium, dominii defensorem, et Lyserum, eius impugnatorem, hic Vittembergæ multis agitata fuit scriptis, singulari studio recensita a Buddeo.

144 Lyseri sententiae etiam accessit Zieglerus, dominium eminens licentioris Politicæ commentum nuncupans.

145 Verum, praeterquam quod de nomine magis, quam de re identidem disceptetur, hic pariter, atque in aliis rebus, ab abusu probe secernendus est usus, utpote qui propter illum tolli haud debet.

146 Ceterum de dominio eminenti singulares prostant commentationes Crusii, Politani, Sablonetae, Conringii, Boecleri, Schneideri, Nergier et Stoesleri.

147 Haec fere praecipua sunt iura maiestatica, quorum aliquam hic facere explicationem operae pretium duximus.

148 Cum autem reliqua itidem exponere instituti ratio haud permittat, ea noscere cupientem ad eos remittere liceat scriptores, qui sat prolixis eadem commentariis persecuti sunt.

149 Inter

149 Inter tales habentur Arnifaeus, Hornius, Mylerus, Zieglerus, Graswinckelius, Koehnenius, Schefferus, Sixtinus, Cammanus, Schelguigius, alique plures.

150 IV. *Axiomata* sunt: (1) Utilis quidem et necessaria est iurium maiestaticorum in Politica tractatio.

151 (2) At cauendum est, ne uel nimia eorum multiplicatione uana oriatur subtilitas, uel, neglecto ordine, difficilis fiat enumeratio.

152 (3) Quippe, ut uno omnia fundamento nituntur, sic una etiam connexionione alia ex aliis duci possunt.

153 (4) Proinde si cui uulgarem illam in maiora et minora partitionem amplecti lubet, is sibi persuadeat, intellectis maioribus, facillimam minorum esse intellectionem.

154 (5) Imo in maioribus etiam noscendis facilis suppetit ratio, si magistratus natura probe sit perspecta.

155 (6) Scilicet praecipuum huius officium est, omnia, quae ciues suscipiunt, negotia ad communem ciuitatis felicitatem legibus dirigere.

156 (7) Ergo ius nomotheticum, tanquam princeps latissimeque patens, cetera fere iura omnia ita complectitur, ut, eo cognito, reliquorum cognitio facilis euadat, ac certa.

ARTICVLVS III.

DE

EXERCITIO MAIESTATIS.

Exercitium Maiestatis uel regulare est, uel irregulare. Regulare est in Rebus publicis simplicibus ac regularibus, idque siue penes unum in Monarchia, siue penes plures, eosque uel optimates in Aristocratia, uel uniuersos patres familias in Democratia. Irregulare est in Rebus publicis mixtis et irregularibus.

INSPECTIO I.

DE

REBUS PUBLICIS SIMPLICIBVS AC REGVLARIBVS.

Sunt

Sunt tales, ut in praemissa modo partitione diximus, Monarchia, Aristocratia et Democratia.

DISCURSUS I.

DE

MONARCHIA.

I. *Acceptio.* II. *Descriptio.* III. *Divisio.* IV. *Axiomata.*

I L

Accipitur nomen monarchiae, origine Graecum, in uario sensu. 2 Quippe (1) sumitur pro imperio uniuersali, quale Turci, seu Mahomedani suo tribuunt Sultano, eum totius mundi dominum uocantes, nec non Pontificii Papae, utpote quem in omnes Imperatores, Reges et Principes potestatem habere, contendunt, recte hoc nomine confutati ab Arniseo aliisque scriptoribus.

3 Talis itaque significatio mere est fictitia, cum rerum humanarum conditio, qualis hodie est, nullibi talem admittat monarchiam, ut recte indicant Zentgræuius, Becmannus, et Rechenbergius.

4 (2) Vsurpatur pro maximo mundi imperio, quale in quatuor, ut uulgo uocantur, monarchiis dicitur extitisse, quas quidem monarchias, praeter Sleidanum, uarii descripserunt auctores, eosque inter nouissime Ianus et Hærtungius.

5 An uero Imperium Romanum quarta sit monarchia, peculiari dissertatione ex instituto. disquisiuit Becmannus.

6 (3) Accipitur pro summo unius in certam ciuitatem imperio, eoque uel generaliter sumto, quatenus dominatum et tyrannidem complectitur, uel specialiter pro regno tantum, ratione et occupationis, et administrationis, legitimo.

7 Quae quidem significatio uere est politica, adeoque huius loci.

8 II. *Describi* itaque potest monarchia, sic accepta, quod sit status, in quo summa potestas penes unum est hominem, qui solus, Imperatoris, Regis, Principis, alioque nomine insignitus, regimen uel libere, uel minus libere, certo fini conuenienter, exercet.

9 Dicitur status, uocabulo hoc in uulgari, quanquam minus Latina, significatione sumto, pro certo imperantium et parentum

Tttt

ordine

ordine, in aliquam Ciuitatem, siue Rempublicam introducto.

10 Subiectum monarchiae est unus homo, physice, seu naturaliter talis, qui generali quidem nomine monarcha uocari potest, plerumque autem specialem gerit titulum, e. g. Regis.

11 Quamquam nec regnum, nec Regem ex titulo, sed ex potestate aestimari oportet, cum multi sine nomine Regis summam teneant potestatem, nonnulli sine summa potestate regnum habuerint titulum, ut exemplis probat Hertius.

12 An uero monarchia, seu regnum, ceteris imperii formis antiquius sit, et praestantius, in utramque hic partem disceptari solet.

13 Democratiam monarchiae perinde, atque aristocratiae, ideo multi praeferrunt, quod propius ad naturalem accedat libertatem, cuius amore homines maxime trahantur.

14 Vnde colligunt, patres familias, dum ciuilem conuerint societatem, certum sibi elegerint ducem, aut imperatorem, non simul et semel omni omnino potestate se abdicasse, sed certam sibi reseruasse partem, saltem in iudicandis decernendisque rebus, ad communem ciuitatis utilitatem pertinentibus.

15 Alii contra, eique plurimi, monarchiam ceteris formis et meliorem esse, contendunt, et antiquiorem.

16 Antiquitatem quidem exemplis, ex historia tum sacra, tum profana petitis, probant, qualia inter alios afferunt Knichen, Schönbornerus et Boehmerus.

17 Praestantiam uero his potissimum argumentis comprobant.

18 (1) Quia sit status maxime naturalis, cuius simulacra etiam aliis praeter hominem creaturis impresserit Deus, e. g. apibus, unum regem sequentibus, sideribus, unum moderatorem, solem, habentibus, et corpori, multis compacto membris, sed uni subiecto capiti.

19 (2) Quia conseruandae ciuitatum paci et felicitati prae aliis conducatur, tum propter celeriores negotia publica expediendae rationem, tum propter auctoritatem maiorem.

20 (3) Quia omnium longissime durare possit, quippe cum sociorum in imperando, seu collegarum, inuidia et aemulatione careat, adeoque minoribus subsit infidiis.

21 Dici-

21 Dicimus porro, Rectorem status monarchici regimen libere, uel minus libere, certo fini conuenienter exercere.

22 Patet hinc, non unius, sed diuersi generis esse monarchias.

23 III. *Diuidi* itaque potest monarchia, ratione principii ac formae accidentalis, seu modi et finis, tum in liberam et restrictam, tum in rectam, mediam, et corruptam.

24 Libera, seu absoluta ac pura monarchia dicitur, in qua imperans summam potestatem, sine conditione delatam, habet, adeoque iura maiestatis suo arbitrio exercet, proprioque de rebus ciuilibus iudicio statuit.

25 Et talis monarchia non modo ea est, quam imperans ui bellica acquisiuit, sed etiam illa, quam libero consensu populus constituit.

26 Nihil enim prohibet, quo minus absoluta regnandi potestas a populo, saltem ad tempus, in Principem transferri, imo regnum limitatum contraria populi uoluntate in absolutum mutari possit.

27 Cum enim omnis imperii ratio pacto nitatur, talis etiam esse potest, qualem pacifcentes eam esse, uoluerunt.

28 Imo cum imperium limitatum modum ac mensuram accipiat a pactionibus, seu legibus fundamentalibus, tales autem sint facti, tamdiu imperium censetur absolutum, quamdiu eiusmodi pactiones non probantur.

29 In absoluta igitur monarchia imperans non alieno, sed suo, ut diximus, arbitrio, iura maiestatis exercet, nec populi, nec ordinum procerumue consensum requirere necesse habens.

30 Attamen non solum, quid possit, sed etiam, quid debeat, eum ponderare oportet, nec, quantum sibi permissum, meminisse solum, sed et quatenus commissum sit, ut bene docet Cicero.

31 Quod uulgo ita effertur, Maiestatis est facere, non quod libet, sed quod licet.

32 Proinde et diuinis semper legibus, et formae, semel receptae, conuenienter Rempublicam gubernare, ciuiumque personas, actiones et bona, pro eo, ut par est, dirigere debet.

33 Adeoque nec regnum ciuile in despoticum conuertere, nec, populo inuito, transferre, diuidere, aut quocunque modo alienare

T t t t

licet,

licet, cum potestas talis, quippe fini Reipublicae plerumque aduersa, Principi concessa censeretur nequeat.

34 Vulgaris enim distinctio inter regna, quae in pleno proprietatis iure, siue in patrimonio Principis existant, et ea, quae populi uoluntate sint delata, adeoque ad ulumfructum tantummodo concessa, non magis omnibus probatur, quam doctrina de regnis fideicommissariis, teste Gribnero.

35 Quod si Princeps imperio sese abdicare uelit, id quidem, nisi pactum obstet, aut promissum, facere potest, ita tamen, ut regnum iusto tradat successori, uel liberam de successione statuendi potestatem populo, eiusue ordinibus relinquat.

36 Illustriora abdicationis exempla in dissertatione de uita academicae prae uita aulica electione adduxi, ex instituto autem de hoc argumento commentatus est Schurzfleischius.

37 Ceterum eiusmodi abdicatio ignotum Principum aulae prodigium non inepte dicitur Famiano Stradae.

38 Restrictum, seu limitatum, regnum est, in quo summa imperantis potestas certis pactis, cum populo initis, ad certum agendi omittendiue modum restringitur, adeoque certis ueluti limitibus circumscribitur.

39 Dicuntur talia pacta leges fundamentales, ex communi scilicet loquendi more, quemadmodum in contractu, etiam inter pares inito, conditio uim legis habere dicitur, explicante Hornio.

40 Scilicet pacta uocantur, spectato eorum ortu, constituendiue modo, leges autem, habita ratione effectus, seu obligationis, adeoque in sensu improprio, non proprio, dicuntur leges, ut peculiari commentatione docuit Stahlkopfsius.

41 Aliis uero nominibus uocantur conuentiones, cautiones scriptae, iura regni, compactata, capitulationes, reuerfalia, articuli, formulae regendi imperii, nec non leges regiae.

42 Quanguam appellatio legis regiae non omnibus hic probatur, quippe qua absolutam liberrimamque potestatem Romanorum Imperatori concessam esse, statuunt, secus ac Schoockius docuit.

43 Causa uero, cur eiusmodi conuentiones dicantur fundamentales, est, quia illis, ueluti basi et fundamento, ciuitatis structura sic inniti-

innititur, ut, eis sublatis, mutatisue, alia forma regiminis existat.

44 Describi itaque possunt, quod sint conuentiones, inter futuros imperantes et parentes initae, quibus imperantes ad certum regnandi modum, in exercitio iurium maiestatis obseruandum, promissione, uel simplici, uel iurata, salutaris moderationis causa, libera sese uoluntate obstringunt.

45 Dicimus, leges eiusmodi fundamentales esse conuentiones.

46 Alii uero sponsones eas appellare malunt, uoce hac in sensu generaliore accepta, pro cuiusuis generis stipulationibus, seu promissionibus.

47 Incuntur eiusmodi sponsones inter imperantes et parentes, h. e. inter Principes, Reipublicae gubernationem suscipientes, et populum, huiusue status, ordines ac proceres.

48 Materia, circa quam tales fiunt conuentiones, sunt actus, ad imperium iuriumue maiestaticorum exercitium pertinentes, tam ecclesiastici, quam seculares.

49 Hinc leges fundamentales aliae sunt sacrae, aliae politicae.

50 Illae religionem eiusue exercitium respiciunt, e. g. circa mutationem religionis certi quid disponentes.

51 Hae certas condiciones, e. g. modum perueniendi ad imperium aut successionem, ratione certae gentis, certius sexus, complectuntur.

52 Eiusmodi lex fundamentalis est lex Salica, sceptrum Gallicum folis maribus uindicans, de qua duae prostant orationes, una Chichelli, Cantuariensis quondam Archiepiscopi, et altera Cocceii.

53 Forma legum fundamentalium interna, seu essentialis, consistit in sponsones de certo imperii administrandi modo, uerbis siue simplicibus, siue iuratis, suscepta, externa autem in pactorum consignatione, solemniter, e. g. in comitiis, unanimi totius populi, huiusue procerum, aut delegatorum consensu facta.

54 Prout autem eiusmodi pactionibus summa imperantium potestas magis minusue circumscribitur, ipsae etiam modo liberiores, modo adstrictiores hinc uocari solent.

55 Summam uero potestatem maiestatemue imperantium cum eiusmodi pactis fundamentalibus consistere posse, ex eo patet,

T t t t 3

quod

quod modum duntaxat exercendae eiusmodi potestatis definiant.

56 At conditio et modus rem habendi sunt qualitates, rei extrinsecus accedentes, quae, etiamsi rem afficiant, eamque hoc nomine ab aliis distinguant, non tamen ipsam rei substantiam destruunt.

57 Proinde non minus summa manet potestas, suoque splendore fulget, si exercitium eius certis adstringitur pactionibus, quam si absolutum id prorsus est, liberoque Principis arbitrio relictum.

58 Quemadmodum candela, vitreae inclusa capsulae, aequae, atque extra eam posita, lumen spargit, ut simili rem illustraturus, scribit Limnaeus.

59 Quo quidem stante, Princeps hoc magis in conscientia talibus obligatur pactis, quod communi naturae lege fidem, maxime iuratum, seruari, fas est.

60 Scilicet cum imperantes non minus, quam subditi, naturaliter neantur iure, etiam pactionibus perinde, atque homines priuati, obstringuntur.

61 Hinc Princeps in contractibus, ut priuatus, considerari dicitur, hactenus, ut contractum, etiam cum subdito initum, implere debeat, siquidem ab eius obligatione nec potestatis plenitudo, nec ulla ipsum clausula eximit.

62 Libertas paciscendi, uel non paciscendi, quam initio habuit, data acceptaque fide, perinde, atque inter priuatos, in necessitatem seruandi, quod pactum est, transit.

63 Nec obstat, quod priuatus ad praestandam, quam dedit, fidem, a Principe cogi possit, Princeps autem nulla priuari coactione ad implendum contractum adigi debeat.

64 Nam diuersitas haec executionem, non obligationem pacti respicit.

65 Ad seruandum promissum eodem Princeps adstringitur uinculo, ac subditus, par utrobique est necessitas, par inde conditio.

66 At diuersa personarum qualitas diuersum inducit exequendi modum.

67 Non externa quidem ui cogi potest a subdito Princeps, interno tamen obligationis sensu hoc magis adigi debet, quod sibi, ut Dei uicario, diuinæ etiam sanctitati et iustitiae conformiter agendum esse, intelligit.

68 Et

68 Et quia hoc nomine mutuam inter homines fidem asserere ac uindicare debet, ipse etiam suo aliis exemplo praeat, necesse est.

69 Idcirco fidem, etiam si in toto terrarum orbe exularet, penes Principem tamen reperiri oportere, dixit Carolus V.

70 Accedit, quod sancta fidei obseruatione non exigua nitatur gloria, cuius studio Principes potissimum duci, conuenit.

71 Ea quippe Principum fors est, ut praecipua rerum ad famam sit dirigenda, cum, contempta fama, etiam uirtus contemni censeatur.

72 Quare impium prorsus dogma est, quod Principibus identidem insusurrare solent pseudopolitici, Sanctitas, pietas, fides priuata bona sunt, qua iuat, Reges eant.

73 Quod si autem Princeps, plus potestatis sibi arrogando, quam par est, leges fundamentales, seu pacta, cum ciuitate inita, uiolet, peccat quidem, actusque facit irritos, imo ad satisfaciendum Reipublicae in conscientia obligatur.

74 At imperium ideo haud amittit, nec populi iudicio eatenus subest, ut statim pro tyranno haberi, hocque nomine ui armisque inuadi, regno expelli, aut morte multari possit.

75 Non enim, nisi a superiori, aut pari, iudicari potest Princeps.

76 Quocirca non magis uim ei opponere licet, quam parentibus, quorum etiam iniuria, nisi cum extremo coniuncta sit periculo, ferenda dicitur.

77 Nec obstat, quod nullus conuentionum fundamentalium effectus uideatur futurus, si nulla ad eas seruandas ui Principem compellere liceat.

78 Nam satis poenaram Deo, uindicti iusto, periuri dant Principes.

79 Additur interdum pactis fundamentalibus clausula commissoria, qua Princeps imperium sub ea suscipit conditione, ut, si promissa non seruauerit, subditos ab omni fide et obedientia, sibi alioquin debita, liberos habere uelit.

80 Quam quidem clausulam omni carere effectui, nonnulli statuunt, eam tamen uim utiq; habere, inter alios existimat Gribnerus.

81 Cum autem Princeps non, nisi, causa probe cognita, in commissoriam incidisse clausulam, iudicandus sit, opus est arbitris, qui Principis facta examinare possint.

82 Tales arbitri non possunt esse ciues, quippe qui, pro ea, qua plerumque agitantur, inconstantia, seditionum turbarumque materiam facile hinc essent captaturi.

83 Ergo uel ordines certiue procures, uel, eis deficientibus, certi iudices ac defensores publici constitui debent, qui, simul ac limitatum Principi imperium committitur, factis eiusdem attendendi, eaque, si forte minus recta fuerint uisa, in conuentibus examinandi potestatem accipiant.

84 Tales autem iudices non solum in disquirendis Principum malefactis peccata publica a priuatis rite dignoscere, sed etiam lenissima, quibus reducti in uiam Principes cum populo conciliari possint, remedia adhibere debent.

85 Quantas enim turbas, quantasue clades seuerior agendi ratio in eiusmodi casibus post se traxerit, historiae loquuntur.

86 Plura de pactis fundamentalibus ex instituto tradiderunt Wendelerus, Falckius, et Roehrensee.

87 Hactenus de prima monarchiae diuisione, sequitur secunda, qua aliam rectam, aliam mediam, aliam corruptam esse, diximus.

88 Recta monarchia est, in qua Princeps ad publicum maxime bonum consilia et facta sua refert, iura maiestatis receptae imperii formae conuenienter exercens.

89 Talis monarchia et absoluta potest esse, et limitata, prout utramque descripsimus.

90 Media uulgo dicitur regnum despoticum, seu herile, nec non dominatus, in quo Princeps, ut dominus, subditis, tanquam seruis, imperat, adeoque maiorem, quam monarcha, potestatem obtinet.

91 Quippe in personas et res subditorum plusquam eminens habet dominium, de regno eiusque incolis pro arbitrio statuit, eiusue formam mutare potest.

92 Tale imperium est Moscorum, Turcorum, Tartarorum, aliorumque Asiae populorum.

93 Media autem dicitur monarchia, quia non quidem tyrannicum plane imperium complectitur, neque tamen, ut in regno, recte constituto, publicum primario bonum pro fine habet.

94 Corrupta denique monarchia uocatur tyrannis, seu status, in quo

in quo imperans summam potestatem uel iniuste acquisiuit, uel, ubi iuste acquisita fuerit, in propriae instrumentum libidinis turpissime et crudelissime conuertit.

95 Sumitur ergo nox tyrannidis non pro imperio summo, aut dominio, sed pro imperio iniusto, saeuo ac uiolento.

96 Quemadmodum tyrannus non quemlibet monarcham, aut regem hic denotat, quo sensu ipsum Iouem Deorum tyrannum ab Aristophane uocari, nomine a Chaldaeis Syrisque deducto, scribit Arnisaeus.

97 Neque etiam pro eo sumitur, qui potestatem perpetuam in ciuitate, libertati adueta, tenet, ut talis occurrit apud Æ. Probum.

98 Sed talis intelligitur Princeps, qui uel dominatum armis iniustis artibusque scelestis rapuit, eundemque ad explendas animi cupiditates usurpat, uel rerum summa, legitime obtenta, abutitur.

99 Hinc tria tyrannorum existunt genera, unum eorum, qui titulo tales, alterum eorum, qui exercitio tales, et tertium eorum, qui et titulo et exercitio tales dicuntur.

100 Tyranni titulo, seu iure, tales sunt, qui nullo successionis, aut electionis, iure ad principatum peruenerunt.

101 Dicuntur alias inuafores, conqaestores, potestatis alienae usurpatores, qui Reipublicae libertatem inuadunt, iustumue Principem regno spoliant.

102 In cuiusmodi inuaforem, dum alienam attentat potestatem, ea omnia licent, quibus uis iniusta repelli, ac Principis legitimi imperium factum tectumque conseruari possit.

103 Peracta autem inuafione, non tantum populi, sed legitimi etiam Principis consensus ad firmandum iure imperium requiritur, utpote sine qua ne subditorum quidem iuramento iustum euadere potest imperium, ut inter alios ex instituto hoc docuerunt Cocceius et Abichtius.

104 Tyranni exercitio, seu usu, tales sunt, qui imperium iusto quidem titulo acquisiuerunt, eo autem iniuste, in propriam scilicet libidinem subditorumque perniciem, abutuntur.

105 Tales quidem tyrannos admodum difficiles cognitu esse, nec unam alteramue actionem tyrannicam tyrannum statim efficere,

V u u u

cere,

cere, inter alios docet auctor apologia, pro Ioanne Basilide scriptæ.

106 Quare de tyranno, ut de Republica Platonica, philosophandum esse, dicit Osiander.

107 In eo tamen Politicorum plerique conueniunt, quod in genere tyrannus sit ille, qui ad explendam animi libidinem suamque duntaxat utilitatem procurandam omnia refert.

108 Quinam uero singulares tyranni sint characteres, in dissertatione, de Cromwello habita, uberius exposui, ipsorum uero instituta figillatim recenset Hertius.

109 Famosi exemplum tyranni historia Romana exhibet in Tarquinio superbo, utpote qui omnes tyranni notas habuisse dicitur, quemque hoc nomine ex instituto descripsit Maluezzi.

110 An autem recte fuerit eiectus, disquisiuit Buddeus.

111 Denique tyranni titulo et exercitio tales sunt, qui imperio, iniuste parto, iniuste etiam ad propriam libidinem utilitatemque abutuntur.

112 Quid uero iustum, quid iniustum sit in tales tyrannos, scriptores politici uarie exponunt, eosque inter prae alius Becmannus.

113 De tyrannide contra seditiosam Iesuitarum doctrinam scripsit Hornius.

114 IV. *Axiomata* sunt: (1) Sicut non una corporum naturalium est facies, ita nec moralium, h. e. Rerum publicarum, seu ciuitatum,

115 (2) Aliae quippe formae sunt regulares, seu primi ordinis (*πρῶτης*) aliae irregulares, seu secundi ordinis (*ὑποῖτης*).

116 (3) Inter illas praestantior quidem ceteris putatur monarchia, attamen et sua habet incommoda perinde, ac commoda.

117 (4) Nec stabiliri feliciter potest, nisi populi indoles locique ratio tulerit.

118 (5) Scilicet sicut in aliis rerum generibus ea, quae praestantiora sunt et elegantiora, non omnibus semper conueniunt.

119 (6) Ita in Rebus publicis nec eam, quae praestantissima alias censetur, formam omnium populorum mores et instituta admittunt, docente Mariana.

120 (7) Idcirco qualiscunque recepta fuerit forma, aequi bonique ea haberi debet.

121 (8)

121(8) Nam approbat Deus omnes, dummodo imperiorum rationi et naturae sint consentaneae, ut recte iudicauit Melanchthon.

DISCVRSVS II.

DE

ARISTOCRATIA.

I. *Descriptio.* II. *Oppositum.* III. *Axiomata.*

I I.

Describi potest aristocratia per statum polyarchicum simplicem, in quo optimates summam potestatem eiusque iura ad communem utilitatem indiuisim exercent.

2 Dicitur status polyarchicus, idemque simplex, in discrimen tum status monarchici, tum Reipublicae mixtae, seu compositae.

3 Optimates autem, in hoc statu regnantes, a quibus etiam Graecum aristocratiae nomen originem suam habet, sunt uiri uirtute eminentes, h. e. tales, qui facultate ciuitatem bene recteque gubernandi sunt instructi, hocque nomine ceteris meliores.

4 Non itaque absolute et simpliciter, ratione moralis duntaxat uirtutis, tam in actu, quam in habitu spectatae, optimates dicuntur, sed hypothetice et secundum quid, respectu praestantiae in suggerendis consiliis regendisque hominibus conspicuae.

5 Scilicet eo digniores quidem haberi debent tiri, senatum Reipublicae constituentes, quo magis morali excellunt uirtute.

6 Attamen, si indoles ciuitatum, in humana praesertim imperfectione, consideratur, ei utique boni ceterisque meliores censi debent, qui administrandae Reipublicae prae aliis sunt idonei.

7 Quod autem Aristoteles talem requisierit aristocratiam, quae ex uiris secundum uirtutem simpliciter (*ἀπλῶς*) bonis, non secundum suppositionem quandam (*ὑποθετικῶς*, siue *πρὸς ὑπόθεσιν*) talibus sit conflata, id quidem, ut Bodinus putat, culpari haud debet.

8 Boni quippe politici est optimam in quouis genere Rempublicam describere, etsi talis uix ullibi inter homines, tanta nunc infirmitate laborantes, existat.

9 Sufficiunt itaque uiri dignitate, prudentia meritisque erga Rempublicam insignes, qui consilia sua ac studia, pro eo, ut decet, ad ciuitatis salutem referant.

10 Et tales propter civilem suam eminentiam (ἐξοχὴν) et officii sui dignitatem summaeque potestatis communionem (κοινωνίαν τῆς κυρείας) optimates utique nuncupari merentur.

11 Aliis autem nominibus dicuntur senatores, nobiles, patricii.

12 Hinc concilium, eiusmodi uiris coniunctum, dicitur senatus, estque adeo persona quaedam moralis composita, non secus, atque una persona physica, Rempublicam gubernans.

13 Idcirco indiuisim iura maiestatis ab optimatibus exerceri, dicimus, quia non singuli, sed uniuersi, non uiritim, sed collectivè spectati, imperium tenent.

14 Et tale maiestatis exercitium in cognoscenda aristocratia spectari debet, non habitus externus, nec magistratus conditio.

15 Apparet hinc, eandem in aristocratia simplici potestatem habere optimates uniuersos, quam Princeps, aut Monarcha habet in regno, aut imperio.

16 Nimirum habent ius belli et pacis, faciunt foedera, stabiliunt commercia, mittunt legatos, etiam primi ordinis, ferunt leges, quae singulari nomine Seta et magistratuum edicta uocari solent.

17 Ipsorum iudicio omnes in ciuitate subsunt, etiam senatores singuli.

18 Diuerso autem modo possunt constitui, prout uel ipsi optimates novos in decedentium loca collegas surrogandi ius habent, uel populus uniuersus novos eligit senatores.

19 Idque uel per eminentiores probioresque quosdam ciues, sacramento adstrictos, uel per suffragia, centuriatim, curiatim, aut tributim collecta.

20 Habita potissimum ratione uel census, a ditioribus expectandi, uel aetatis, uel familiae nobilioris, maiorisue experientiae.

21 Nec perpetui sunt omnes optimates, sed quidam temporarii, ad certos duntaxat annos summo fungentes imperio, citra obligationem ad reddendas finito tempore rationes.

22 Etiam successionem hereditaria perinde, atque electione libera, magistratum in aristocratia obtineri posse, certum est, quamuis succedendi rationem certo hic modo definire, utique consultum sit.

23 Quod si numerus optimatum lege est definitus, sine consensu populi

populi non magis augeri minuiue potest, quam formam ciuitatis receptam mutare licet.

24 Sin indefinitus fuerit, nihil prohibet, quo minus, postulante necessitate, in collegarum numerum alii quandoque adscisci possint, dummodo unanimi id fiat consensu.

25 Et tali etiam consensu opus est, quoties de rebus, ad ciuitatem pertinentibus, statuendum decernendumque est.

26 Ita, ut, dissentientibus nonnullis, maior consentientium pars concludat.

27 Sin autem uota sint paria, nihil agitur, sed negotium in statu suo manet, uel tamdiu disceptando repetitur, donec unus alterue, mutata sententia, ceterorum suffragiis accedat, adeoque imparia, efficiat uota, ut infra pluribus dicemus.

28 Ceterum habet aristocratia non minus, quam aliae Rerum-publicarum formae tum commoda sua, tum incommoda et mala, quae ubi, neglectis remediis, ad extremum perueniunt, ciuitas in corruptum degenerat statum.

29 *El. Oppositum* igitur aristocratiae est oligarchia, h. e. imperium paucorum diuitem, qui priuatae, non publicae utilitati student.

30 Sicque in malam accipitur partem oligarchia, ex communi loquendi usu, pro Republica uitiola, quae aristocratiae est praeuariatio (*παρεμβασις*) merusque ciuitatis polycraticae abortus, et Xenophonti status diuitem (*πλετοκρατία*) dicitur.

31 Scilicet hoc potissimum aristocratia et oligarchia inter se differunt, quod in illa ciues meliores imperium in communem salutem, legibus institutisque conuenienter, administrant, in hac uero pauci quidam diuites summam potestatem, opibus, aut ui acquisitanti, in libidinis propriaeue utilitatis instrumentum conuertunt.

32 Falluntur ergo, qui, omiſſis diuitiis, oligarchiam solo impetantium numero metiuntur, paucos tantum in ea propriae utilitatis studio domiari, docentes.

33 Patethinc, quales ciuitatis oligarchicae sint characteres.

34 Nimirum (1) si imperium opulentioribus tantummodo patet, (2) si quaestus et opulentia pro fine actionum habetur, (3) si penes ditiores armorum potestas et exercitium est.

Vuuu 3

35 Hinc

35 Hinc uaria oligarchiae dantur genera, quae sigillatim explicat Müllerus,

36 Ipsa autem tyrannide eo deterior censetur talis oligarchia, quo plures summam in ea potestatem usurpant, quaeque ciuitatis sunt, ad proprium referunt commodum.

37 III. *Axiomata* sunt: (1) Est omnino, quod aristocratia, si recte fuerit constituta, singularem mereri commendationem dicatur.

38 (2) Quippe si optimos imperare, naturae consentaneum est, aristocratia hoc ipso, quod optimatum constat imperio, praestantissima censi debet.

39 (3) Cumque in uno uix eae reperiuntur uirtutes, quibus ad secundam opus est gubernationem, in aristocratia unius imbecillitatem alterius prudentia supplere potest.

40 (4) Ita, ut uniuersi et coniuncti singulis separatisque meliores existant.

41 (5) Dum enim suam quisque uirtutis partem confert, et alter alterum consulendo, decernendo expediendoque iurat, non potest non optima hinc emergere uniuersitas.

42 (6) Scilicet haud secus, ac coena, collatis plurium symbolis, instructa, (*δείπνον συμφορητόν*) lautior euadit ea, quae unius paratur sumtu.

43 (7) Sane elaboratum existit corpus beneque perfectum, in quo singulae partes, diligenter excultae, apta quadam dispositione inter se congruunt.

44 (8) Hoc demum medicina inter Aegyptios ad summam olim perfectionem est deducta, quod circa singulas eius partes singuli occupati fuerint artifices.

45 (9) Imo Zeuxis, ad pingendam Helenae imaginem a Crotoniatis conductus, uenustissimas quasque uirgines in unum congregauit, et, decerpta ex singulis aliqua formae gratia, artificiosa plurium particularum connexionem pulcherrimum effecit corpus.

46 (10) Instar omnium fere exemplorum est illustris Venetorum Respublica, inde a tot seculis optimatum regimine, a Contareno, Giannoto, Arnisafo aliisque descripto, felix.

DISCURSVS III.
DE
DEMOCRATIA.

I. *Acceptio uocis.* II *Descriptio.* III *Contrarium.* IV *Axiomata.*

I I.

Vox democratiae non in strictiore hic sensu sumitur pro ochlocratia, politicae contraria, h. e. pro Republica uitiosa, in qua plebs summam tenet potestatem.

2 Sed latius hic accipitur pro synonymo Politiae, aut Reipublicae regularis.

3 H. e. pro ciuitate, in qua populus imperium tenet, quaeque adeo status popularis, dominatio popularis, nec non timocratia, a censu, quem Graeci *τιμηκρα* appellant, dicitur.

4 II. *Describi* itaque potest democratia per statum polyarchicum simplicem, in quo populus uniuersus imperium, seu summam potestatem in publicam totius Reipublicae salutem institutis congruenter administrat.

5 Subiectum igitur, quod iura maiestatis hic exercere potest, dicitur populus, idemque uniuersus, seu totus, et indiuisim spectatus, unumque coetum, concilium, aut corpus constituens.

6 Per populum uero intelliguntur ciues, seu patres familias, non seorsim, sed coniunctim spectati, siue non singuli, sed uniuersi, in conciliis congregati.

7 Scilicet unus e ciuium numero, qui cum aliis coniunctim est dominus Reipublicae, diuisim eorum fit subditus, quibus imperium est delatum.

8 Hinc Politicorum habetur axioma, quod uniuersi ciues collectim iura maiestatis habeant, singuli non, nisi potentia.

9 Distinguenda igitur est a populo uiliior illa multitudo, hominumque in ciuitate pars, quae uulgari nomine plebs uocari solet, h. e. ceteri ciues sine senatoribus, exponente Caio in l. 28 ff. de V. S.

10 Vnde plebei dicuntur ciues sine senioribus ciuitatis, ciuibusue dignioribus (*χωρὶς τῶν ἀξιωματικῶν*) et apud auctores Latinos saepe opponuntur patriciis.

11 Quantus autem populus in democratia esse debeat, exacte qui-

quidem definiri non potest, tanta tamen multitudo utique requiritur, quanta ad obtinendum ciuitatis finem sufficit.

12 Qui finis cum publica sit securitas et tranquillitas, etiam omnis, quae consequendo huic fini inferuire possit, potestas populo comperat, necesse est.

13 Quapropter falsus est Hornius, democratiis maiestatem plane denegans, cum contradictio subſit, si dicatur, Rempublicam regulari constare imperio, ob communem salutem introducto, nec tamen summam habere potestatem, seu maiestatem.

14 Ad exercendam uero eiusmodi potestatem statuendumue de negotiis, ad Rempublicam pertinentibus, opus est comitiis, tum ordinariis, tum extraordinariis.

15 Ordinaria, seu ſtata, dicuntur, quae certo legibusque definito tempore quotannis haberi solent, extraordinaria uero, quae extra ordinem, conuocato rite populo, instituuntur.

16 In talibus igitur comitiis, seu conuentibus populus, in certos distributus ordines, e. g. curias, tribus, centurias, aut classes, sententiam suam declarat.

17 Dicitur talis declaratio uulgo uotum, aut suffragium, scilicet nominibus his in sensu singulari sumtis.

18 Nam uotum alias certam pollicitationem, seu promissionem, Deo factam, suffragium uero etiam rem, aut pecuniam, siue pro admissione ad munus quoddam, siue pro beneficio, a superiore impetrando, datam, aut promissam, denotat, ut peculiari hoc dissertatione exposuit Zieglerus.

19 Vt autem in expediendis hac uia negotiis recta teneri possit ratio, ante omnia statuendum est, quod maior suffragiorum pars debeat concludere, adeoque sententiae non ponderandae sint, sed numerandae.

20 Scilicet nullum aliud suppetit remedium, quo dissentientes ad concordiam redigi, ac deliberationes ad exitum perducere possint, quam si maiori consentientium parti ceteros accedere oportet.

21 Neque obſtat, quod ipsam potius rei ueritatem, quam sententiarum numerum attendere, et sapientiorum paucorum consilia plurium, non adeo bona, aut salutaria suadentium, assensionis praeferre, naturali rationi sit consentaneum.

22 Nam

22 Nam probe discerni debet deliberatio practica a theoretica.

23 Nimirum comitia non propter ueritatem, nude indagandam, sed propter negotia, in commune bonum decernenda, habentur.

24 In his autem decernendis plurium consensus utique praeuallere debet, cum nulla subsit ratio, cur numero minori debeat cedere maior, utpote cui et minor inest, et eo quid amplius.

25 Annon iustum potius est aequumue, ut ea sententia, quae maiori nititur parte, etiam maiori rationis pondere ualere censeatur?

26 Nam ubi maior pars, ibi et perspicacia maior adesse creditur.

27 Ergo sic argumentamur, aut omnium consensus ualere debet, aut paucorum, aut plurium.

28 Atqui non omnium, utpote qualis consensus uix impetrari potest, uel, si impetretur, nulla de suffragiorum ualore quaestio superest.

29 Nec paucorum, siquidem naturali, ut diximus, rationi aduersatur, partem maiorem, qua minor comprehenditur, sequi debere minorem.

30 Ergo maioribus utique uotis standum esse, concluditur.

31 Nec alium, nisi ex maiori suffragiorum parte statuendi iudicandiue morem in omnibus pene ciuitatibus obtinuisse, historiae testantur.

32 Quare, quod maior pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, inquit Scaeuola l. 19 ff. ad municip. conf. l. 36 et 39. ff. de re iudic. l. 160. §. 1. ff. de R. l. l. 2. ff. quod cui. uniuers. l. 17. §. 6. ff. de recept. arbitr.

33 Quid? quod aequissima haec decidendi ratio in aliis quoq; societatibus, quae uniuersitatem quandam, aut collegium aliquod, seu corpus commune, etiam extra ciuitatem, constituunt, imo in causis quibuscumque, inter plures occurrentibus, obseruari solet.

34 De singulari Pontificiorum ratione in eligendo uideri potest Cocceius.

35 Sed possunt tamen nonnulli existere casus, in quibus maior suffragiorum pars ad iudicandum decidendumue minime ualeat.

36 Tales sunt, e. g. (α) ubi singulorum causa agitur, (β) ubi decisio, saluis legibus, uel diuinis, uel humanis, fieri nequit, (γ) ubi conuentus non omnibus rite est denuntiatus.

XXXX

27 De

37 De quibus aliisue casibus legi pariter meretur idem Cocceius.

38 Sin paria sint uota, nihil agitur, sed negotium, ut supra iam diximus, tamdiu in statu suo naturali manet, donec imparitate sententiarum mutatio fieri possit.

39 Dicitur talis suffragiorum æqualitas uulgo calculus Mineruæ.

40 In generaliore nimirum sensu, non specialiore, quo Graecis id demum genus parium in iudicio sententiarum calculus Mineruæ erat, quo reus absoluebatur.

41 Scilicet originem traxit haec appellatio ex fabula illa, qua Orestes, in Areopago parricidii accusatus, Mineruæ, abs se implo-
ratae, calculo, ad facienda damnantium absoluentiumque uota pa-
ria, adiecto, a poena criminis liberatus scribitur.

42 Quanquam alia insuper exempla similis liberationis, pro-
pter paria iudicum suffragia *ισοψηφία*, factae, ex scriptoribus exci-
tauit modo citatus Cocceius, et, qui singulari hoc argumentum dif-
fertatione exposuit, Boeclerus.

43 Cum igitur, ut modo monuimus, uotis paribus nihil agatur,
facile apparet, cur reus hoc casu a crimine absolua-
tur.

44 Nempe ad reum condemnandum requiruntur condemnantes.

45 At suffragantes eo ipso, quo, sibi inuicem contradicendo, pa-
ribus suffragiis nihil agunt, nec reum condemnasse censi debent,

46 Nam, ubi nihil actum intelligitur, ibi nec reus priorem suum
statum amisisse, h. e. pro condemnato haberi, sed statum talem re-
tinuisse, h. e. pro absoluto putari debet.

47 Videlicet prior rei, seu accusati, status condemnatione muta-
tur, absolutione autem manet, siquidem maior tantummodo pars
suffragantium noui aliquid facere, et statum priorem mutare pot-
est, ut docte loquitur Cocceius.

48 Ideo nempe, quoniam omnia collegii membra in suffragiis
aequale ius habent, quod eis auferri nequit, nisi numero plures sint,
qui ita, ut ipsi sentiunt, sentiant in contrarium.

49 Hoc enim casu sententiae numero maiores ui etiam fortio-
res censentur.

50 At uotis paribus, ubi ad mutationem non satis momenti ad-
est, et par utrinque pondus uelut aequilibrio rem suspendit, neu-
tra suffragantium pars decidit.

51 Cum

51 Cum autem hoc modo consultationes fiant irritae, neque expediri possint negotia, singulari utique lege, quid facto opus sit, definiri debet.

52 Decerni nimirum oportet, utrum tali in casu fortunae iudicio, seu sorti, res sit committenda, an ea praeualere debeat pars, cui senior, aut director collegii, suffragio suo accedat.

53 Et talis quidem lex eo magis necessaria haberi debet, quo difficilius utique uidetur, intanta hominum obstinatione, negotio semel iterumque repetito, imparia efficere uota.

54 Quod si suffragia fuerint diuersa, hanc expediendi rationem suadet Cocceius.

55 Primum colligenda sunt suffragia eorum, qui contra dissidentes unam amplectuntur sententiam, e.g. reum a crimine absolentium, et eundem poenae damnantium.

56 Deinde, si plures condemnantes ratione modi, e.g. poenae, dissentiunt, iungendi sunt ii, qui propius idem sentire uidentur.

57 E.g. si tres iudices reum condemnent, unus quidem quindecim, alter decem, et tertius quinque imperialium, media tenenda est sententia, quia sub maiori summa, quindecim, continetur minor, nempe decem, in quam, ueluti mediam, is, qui maiorem sustinuit, consentire censetur.

58 Quae omnia exemplis notatu dignis illustrat modo citatus Cocceius.

59 Porro aequalitatem in democratia sollicitè obseruari, fas est, ne alius in alium, aut prae alio ius sibi arroget, quod non habet.

60 Quem quidem in finem mature obsistendum est ciuium opulentiorum ambitioni, hominumque, noua molientium, conatibus.

61 Omnibus, bene mereri cupientibus, peræq; pateant dignitates.

62 Nam tum demum praestantes bonique ciues euadunt, si maxima uirtutis praemia, puta honores et magistratus, pro meritorum ratione omnibus ex aequo tribuuntur.

63 Cum autem hoc fieri nequeat, si magistratus sunt perpetui, non facile committendum est, ut diuturna et continua quis dignitate fungatur.

64 Quod tamen eo nequaquam extendi debet, ut sua cuiquam

Xxxx 2

uirtus

uirtus, præstantia et auctoritas pœnæ loco ab inuidis haberi possit.

65 Quare merito damnatur iniustum illud exilii genus, ostracismus, quo eminentiores uirtute ciues ab Atheniensibus ostracorum, seu testularum, h. e. calculorum, suffragiis olim fuerunt multati.

66 Initio quidem ostracismus Athenis perinde, ac petalismus, ab arborum foliis, (πετάλοις) in suffragando adhibitis, nomen habens, Syracusis ad imminuendam ciuium opulentiorum potentiam euitandamque honorum cupiditatem institutus esse uidetur.

67 At perverso post usu pessimum malitiæ instrumentum euasit.

68 Tale nimirum, quo ciues, fortunæ auctoritatisque nomine suspecti, ceteroquin autem innocentes, ciuitate fuerunt expulsi.

69 Atqui ad inuidiam nemini sua nocere debet dignitas l. 6. de his, quæ ui metusque causæ.

70 Et commendatione potius, quam detestatione digni sunt, qui res suas meliores et cumulatiores reddere possunt l. 4. §. i. ff. de muner. et honor. et l. 10. C. arbitr. tut.

71 Nec poenas, sed præmia uirtutum bene merentibus tribui, conuenit, l. 4. de stat. et imagin.

72 Proinde apud Athenienses tam improbum inualuisse morem, hoc magis est mirandum, quod præcipua quadam prudentia ceteros superasse Graecos, statumque suum popularem præ aliis felicem præstitisse scribuntur.

73 Sed, sicut maxima plerumque mala eiusmodi Respublicas, quippe naturalem prope libertatem tenentes, premunt, ita uix diuturna est earum felicitas.

74 Scilicet factiones, tumultus et discordiæ id tandem efficiunt, ut in pessimum degenerent statum.

75 III *Contrarium* igitur democratiae est ochlocratia, nonnullis laocratia dicta, h. e. status uitiosus, in quo deterior populi pars, seu effusa plebis turbulentiæ multitudo ad propriæ libidinis utilitatisque rationem imperat.

76 Respondet eiusmodi status tyrannidi in monarchia, cum mores utrobique sint similes, communis scilicet salutis neglectio, ciuium meliorum oppressio, legum salutarium euerfio.

77 Eiusmodi autem corruptionis auctores plerumque existunt demagogi, seu assentatores populi, quorum descriptionem sat uiuam exhibet Hertius.

78 Qua-

78 Quapropter eorum machinationes in tempore sunt elidendae, siue sacro addicti sint ordini, siue ciuili.

79 Quod si tandem in anarchiam degeneret status popularis, uix aliud suppetit remedium, quam principatus constitutio.

80 IV. *Axiomata* sunt: (1) Ad naturalem proxime libertatem accedit democratia, ideoque ceteris ciuitatum formis antiquior haberi posset, nisi monarchiam, ut supra diximus, primum extitisse, historiae testarentur.

81 (2) Nec desunt commoda, quibus singularem ea commendationem mereri posset.

82 (3) At, sicut non omne omnibus populis imperium applicari potest, ita nec democratiam stabilire consultum est, nisi gentium instituta moresque ferant.

INSPECTIO II.

DE

REBUS PVBLCIS MIXTIS ET IRREGVLARIBVS.

I. *Descriptio*. II. *Cognatum*. III. *Axiomata*.

I L

D*escribi* potest Respublica mixta, seu composita, per statum, in quo summa potestas neque penes unum hominem, neque penes unum coetum indiuisim, sed penes uno plures diuisim est.

2 Scilicet quando nec unus Princeps, nec unum concilium, optimatibus, aut patribus familias constans, iura maiestatis in solidum exercet, sed optimates, patresue familias cum Principe, uel cum optimatibus patres familias concurrunt, Respublica dicitur mixta.

3 Non enim tunc simplex et pura est forma, siue monarchia, siue aristocratia, siue democratia, sed composita et mixta, in qua duae, uel plures formae simplices in unam coeunt, adeoque permiscuntur.

4 Quod sicuti uariis fieri potest modis, ita uariae ciuitates hinc existunt.

5 Nam modo tres formae simplices, modo duae ita possunt coalescere, ut unam aliquam mixtam efficiant, eamque uariis constitutam modis.

6 Quamdiu autem in mixta Reipublicae forma imperium ad communem salutem refertur, nihil uitiosi eidem inesse censendum est.

Xxxx 3

7 Id-

7 Idecirco irregularis quidem et extraordinaria, non autem monstrosa, deformis et morbida uocari potest.

8 Quamuis enim nonnullae ciuitates ita sint mixtae, ut inconcinnum quid ciuitati, bene administrandae, pene aduersum continere uideantur, hoc tamen nomine non omnes statim uitiosae euadunt, aut corruptae.

9 Dantur munimenta, quae, siquidem a regulari structurae forma recedunt, irregularia sunt, neque tamen ideo mala, sed in se optima saepe et fortissima.

10 Sic irregulares dicuntur Respublicae, respectu trium, quibus opponuntur, formarum regularium, seu simplicium, a quarum structura politica diuersam habent formam.

11 Scilicet cum forma regularis sit ea, in qua imperium est penes unum uel hominem, uel coetum, indiuisim, irregularis forma dicitur ea, in qua uno plures summam potestatem diuisim in Reipublicae salutem administrant.

12 At enim, inquis, maiestas, seu summa potestas est indiuisibilis.

13 Respondemus, eam intensiue quidem et respectu totius Reipublicae esse indiuisibilem, non autem extensiue, ratione potentialium, quibus constat, partium, ac diuersorum, circa quae sese exerit, obiectorum.

14 Nimirum integra quidem maiestas, seu summa potestas, omnes omnino partes complexa, indiuisim in Reipublicae ciuitatisue corpore est, at partes eius, h. e. iura maiestatica inter plures utique diuidi possunt.

15 Ita, ut, e.g. certa iura Princeps, certa concilium optimatum, uel patrum familias seorsim habeat, eaque, altera parte inconsulta, proprio arbitrio, fini tamen ciuitatis institutisque receptis conuenienter, exercere possit.

16 Hoc igitur sensu Respublicas irregulares existere, nullum est dubium, quicquid in contrariam partem disputent Schoockius, Oldenburgerus, Scharfchmidius, Kulpisius, aliiq; confutati partim a Pufendorfio, partim ab illustribus Ictis, Thomasio et Wernhero.

17 II. *Cognatum* uero Reipublicae mixtae et irregularis est systema ciuitatum, h. e. complexus plurium Rerumpublicarum, quae, com-

communi quidem uinculo inter se colligatae, unum conſtituunt corpus, at ſummum tamen imperium ſingulae retinent.

18 Cum enim eiſmodi Reſpublicae compoſitae non ſolum ſimplicem ſiue monarchiae, ſiue ariſtocratiae, ſiue democratiae formam admittant, ſed mixtae etiam Reipublicae habitum ſaepe induant, non immerito huc referri poſſunt.

19 Dicuntur Reſpublicae tales compoſitae alias corpora gentium.

20 Duo autem praecipua ſyſtematum ſunt genera, aliud eorum, quae per communem Regem exiſtunt, et ſyſtemata regnorum dicuntur, aliud eorum, quae perpetuo plurium ciuitatum foedere conſtant, et ſyſtemata Rerum publicarum uocantur.

21 Scilicet quando plura, eaque diſtincta et ſeparata, regna ab uno quidem et eodem gubernantur Rege, non tamen unum ideo regnum conſtituunt, ſed ſuas ſingula formas ſuasque rationes ſeparatim habent, prius exiſtit genus.

22 Exemplum praebent regna Hungariae et Bohemiae, uni ex domo Auſtriaca Imperatori ſubiecta, nec non regna Hiſpaniarum, ſub uniſ diſtione Regis exiſtentia.

23 Imo non deſunt, qui, ipſum Germaniaſ imperium huc referendum eſſe, putant.

24 Eiſmodi autem ſyſtema regnorum uel iure hereditatis, uel pacto matrimonii, uel libera populi conuentione, alioque modo conſtitui poteſt.

25 Poſterius ſyſtematum genus oritur, quando plures ciuitates arcto inter ſe foedere ita coniunguntur, ut certas imperii partes, ad externam maxime ſecuritatem pertinentes, non, niſi ex communi conſenſu exercere uelint, ſalua ceterum manente ſingularum ciuitatum libertate, deque negotiis reliquis ſtatuendi facultate.

26 Vt autem tale exercitium tanto facilius fieri poſſit, certus plerumque locus deligitur, in quo certo tempore certi inſtituuntur conuentus, imo perpetuum concilium, ex certis ſingularum ciuitatum delegatis conſtans, habetur.

27 Eiſmodi ſyſtema ciuitatum exhibent ſeptem Belgii confederati prouinciaſ, et tredecim Heluetiae pagi, Cantones uulgo dicti.

28 Dicuntur talia ciuitatum ſyſtemata alias Reſpublicae Achai-
cae,

cae, appellatione ab Achaeis, uel Graecis, simili olim foedere coniunctis, desumpta.

29 Singularem de systematibus ciuitatum dissertationem scripsit Pufendorfius.

30 Diuersam uero a systematibus rationem habent regna, in unum coalita, quando scilicet ex duobus pluribusue fit unum.

31 In his enim una est iurium communio, una gubernationis forma, una omnium conditio.

32 De uaria regnorum coniunctione scripsit Rechenbergius.

33 III. *Axiomata* sunt: (1) Cum planius uideatur et commodius nomen Reipublicae mixtae, quam irregularis, id quidem huic praefendum esse, multi existimant.

34 (2) Nihil tamen prohibet, quo minus in eodem utrumque sensu accipi possit.

35 (3) Nec magis Respublica irregularis, in se considerata, pro uitiosa haberi debet, quam exceptio a regula pro iniusta.

36 (4) Quacunque ratione ciuitates sunt mixtae, standum est formis, semel receptis, nec, nisi consentientibus iis, quorum interest, ulla fieri debet mutatio.

37 (5) Quippe ad conseruandam ciuitatis tranquillitatem satis est, si iura maiestatica legibus institutisque conuenienter administrantur, nec turberetur ordo, inter imperantes parentesque semel statutus.

38 (6) Etiam systemata ciuitatum salutari constituta uidentur consilio.

39 (7) Scilicet ad tollenda, quae inter ciuitates alioquin intercedere possent, dissidia, ad temperandum imperium, bellico forte iure acquisitum, ad tuendam uiribus animisque coniunctis Reipublicae salutem.

ARTICVLVS IV.

DE

ACQUISITIONE MAIESTATIS.

Ordinaria maiestatis acquisitio fieri potest uel electione, uel successionem.

In-

INSPECTIO I.

DE

IMPERIO ELECTIVO.

I. Praenotia. II. Electionis descriptio. III. Axiomata.

I.

Praenoscere debemus, de ordinaria maiestatis acquisitione hic agi. 2 Scilicet dantur etiam extraordinarii maiestatem, seu summum imperium, idque in statu monarchico, acquirendi modi, tum legitimi, tum illegitimi.

3 Illegitimorum varia sunt genera, uti largitio, fraus, ambitus.

4 Ad legitimos autem referri possunt emptio, pactum gentilitium, dos, uoluntaria subiectio, occupatio, iure belli facta, et fors.

5 Sigillatim de occupatione bellica notandum est, eam tum demum inter legitimos imperium acquirendi modos esse habendam, si iusta belli causa submitatur.

6 Cum enim uictor, si iure suo stricte uoluisset uti, uitam deuictis adimere potuisset, aequum sane est, ut ueniam adepti uictoris cedant imperio, uitaeque conseruatae beneficium parendo agnoscant.

7 Accedit, quod bellum cum altero, cui debitam pro iniuria satisfactionem praestare noluit, suscipiens, in quamuis conditionem, ex armorum euentu pendentem, tacite consensisse censeatur.

8 Eamque ob causam uictor bello subactos, si forte necessariam ad firmandum imperium pactionem inire detrectent, etiam ut ad consentiendum adigere potest.

9 Sin iniusta fuerit occupatio, improbis armis facta, confiderandum est, utrum inuasor democratiam conuerterit in monarchiam, an, eiecto monarca, in regnum sese intruserit.

10 Priore casu acquisitionis uitium subsecuto consensu hoc facilius purgari potest, quod populus aequae in monarchia, atque democratia, sub bono praesertim Rege, uitam feliciter degere, adeoque libertatis popularis desiderium non adeo longa patientia et aduersitudine deponere posse iudicatur.

11 Posteriori autem casu obligatio imperium, male acquisitum, restituendi non prius expirat, quam Rex legitimos ipsiusque heredes sine exiuncti, aut ipsi, consensu utcumque declarato, regnum cefferint.

Yyyy

12 Ap-

12 Apparet hinc, eiusmodi occupationem plane diuersam esse ab ea, quam supra explicauimus in l. N. p. 482. pos. 48.

13 Differunt scilicet (a) ratione obiecti, (b) ratione fundamenti, (c) ratione adiuncti, seu modi, (d) ratione finis.

14 Nam illa acquirit res nullius, nititur dominio, homini in res creatas diuinitus concessio, et consistit in corporali rei apprehensione, citra turbam, aut uiolentiam, ad subleuandas uitae necessitates facta.

15 Haec autem personas et res, in certo imperio ac dominio existentes, alterius potestati, iure belli, ui armisque, hostis debilitandi causa, subiicit.

16 De sortitione pariter sciendum est, eam ueteribus quidem, sicut in aliis actibus dubiis et controuersis, ita etiam in distribuendis honoribus admodum fuisse usitatam, ut Atheniensium dignitates, sorte acquisitae, (*ἀρχαὶ κληρωταί*) testantur.

17 Quare in casibus dubiis, et ubi humanum consilium non sufficit, rem sorti plerumque committi, dicit I Ctus in l. 1. ff. de iudic. conf. l. 24. §. 17. ff. de fideicommiss. libert. l. 5. ff. famil. hercisc. et Nou. 162. cap. 3. in fin.

18 Repeti huc etiam possunt ea, quae supra in l. N. et G. de sorte diximus.

19 Cum autem, teste Heluidio apud Tacitum, sorte et urna non discernantur mores, haud facile per sortem deferendus cuiuspiam est principatus, nisi necessitas, implorata Numinis ope, ad tale remedium recurrere iubeat.

20 Qualis quidem necessitas existere potest, quando uel persona, imperio praeficiendae, genere, uirtutibus, potentia, aut diuitiis sunt pares, uel numerus suffragiorum aequalis est, adeoque commodior rem decidendi uia haud suppetit.

21 Hoc casu fors uocari solet suffragatoria, qualis in eligendis etiam sacerdotibus, seu ministris ecclesiae, adhiberi posse, erudita dissertatione probauit Ludonicus.

22 Sed extraordinaria est talis electio, nunc agendum de ordinaria.

23 II. Describi potest electio ordinaria, quod sit actus, quo populus, eiusue delegati, aut optimates, certum hominem gubernande Rei-

Reipublicae idoneum designant, eidemque imperium, facta acceptatione, liberis suffragiis conferunt.

24 Dicimus, electionem fieri a populo, eiusue delegatis, aut optimatibus, quia populus quidem eligendi potestatem originarie habet, eam tamen per alios plerumque exercere solet.

25 Tales itaque possunt esse ordines, optimates, regniue proceres, siue omnes, siue aliquot tantum, quibus electio, facilius ac commodioris negotii causa, speciatim est commissa.

26 Quo pauciores enim sunt eligentes, eo facilior existit electio.

27 Porro libera eligentium debent esse suffragia, cum unam eandemque singuli habeant eligendi potestatem, quamvis non ut singuli, sed ut uniuersi, eligant.

28 Ita scilicet, ut uel omnium, uel plurimorum suffragiis Rex constituatur.

29 Quippe hic perinde, atque in aliis actibus, per suffragia decernendis, maioris partis sententia eatenus praeualet, ut, nisi aliter sit prouisum, dissentientes ei subscribere debeant.

30 De singulari Pontificem Romanum eligendi modo plurimi prostant scriptores, maximam partem excitati a Becmanno.

31 Quibus ex recentioribus adiungi possunt Leti et Merzenfeldt.

32 Eligendum, dicimus, debere esse hominem gubernandae Reipublicae idoneum, h. e. eis instructum dotibus, quas regnandi prudentia deposcit.

33 Vtrum uero indigena, seu ciuis, extraneo, seu peregrino, praeferi debeat, an illi hic, a doctoribus in utramque disceptatur partem.

34 Pro indigena sequentes potissimum afferri solent rationes.

35 (1) Quia populi regniue indolem magis perspectam habeat, quam exterus, (2) quia maiore subditos amore complecti credatur, (3) quia gens libera ciui facilius, quam peregrino, parere soleat.

36 Externo prae incola haec patrocinari dicuntur argumenta.

37 (1) Quia regioni amplissimas plerumque accessiones adiungat, (2) quia emulationis materiam inter ciues nobiliores praeripere possit, (3) quia principatum beneficii nomine tenens, melius imperare censeatur.

38 Sed, utram hic sententiam sequi consultum sit, prudens rerum

Yyyy 2

ciui-

ciuiliū arbit̃er ex circumſtantiarum ratione facile diiudicabit.

39 Prout autem electionis modus uel nondum determinatus eſt, uel certis iam pactis inſtitutisue definitus, etiam electio uel abſoluta eſt, uel reſtricta.

40 Abſoluta, ſeu uoti proriſus liberi, eſt, qua perſona quaelibet ad capeſſendam maiestatem apta, ex libera eligentium uoluntate, regno admoueri poteſt.

41 Reſtricta, ſ. uoti limitati, eſt, quæ ſecundum certas leges, conuentiones, aut conditiones, ab eligentibus obſeruandas, fieri debet.

42 Porro, ſi populus ipſum duntaxat Principem eligit, electio dicitur ſpecialis, ſin omnes ex eo prouenturos, ſeu poſteros, electio dicitur generalis.

43 Fit autem electio uel in Republica conſtituenda, uel conſtituta.

44 In Republica iam conſtituta, dum, Rege, uel Principe deſuncto, noua agitur electio, exiſtit interregnum, h. e. ſtatus extraordinarius, tamdiu durans, donec nouum ciuitatis caput conſtituatur.

45 Et tale quidem interregnum dicitur ordinarium, in diſcrimen ab eo, quod, extincta familia regnatrice, aut mota de ſucceſſione controuerſia, in regno ſucceſſiuo oritur, et extraordinarium uocari poteſt, auctore Hertio.

46 Quo cum conferri poteſt, qui ex inſtituto de interregnis ſcripſit, PuſENDORFius.

47 Durante eiſmodi ſtatu, tantum quidem abeſt, ut imperium ciuile plane ceſſet, ac, ſoluto omni uinculo, in anarchiam ſtatumue naturalem recidat ciuitas, ut potius et nexus inter ciues maneat, et ſummæ poteſtatis exercitium ad populum redeat.

48 Cum autem uariâ hinc incommoda in Rempublicam redundare poſſint, in pleriſque regnis ſalutari prouiſum eſt conſilio, ut, uacante ſolio, certi Pro-Reges, uicarii uulgo dicti, imperii curam ſuſcipiant.

49 Et tales quidem Pro-Reges id omne, quod ipſi imperanti licet, exercere poſſe cenſentur, niſi poteſtas eorum lege ſit reſtricta.

50 At circa conſenſum populi eiſusue ordinis nec nouas introducere leges, multo minus ipſam Reipublicæ formam mutare poſſunt, nec ius ſuum, quippe perſonale, alii cuiſpiam cedere.

SI Quid

51 Quid uicariis Imperii nostri Romano-Germanici, uacante Imperatoris solio, possint, inter alios exposuerunt Schilterus, Arumæus, Schüzius, Dithmarus, Deckherfius, Gribnerus, et de Münchshausen.

52 Duabus autem dissertationibus, occasione nouissimi interregni habitis, materiam hanc ita pertractauit, ut unus instar omnium hic esse possit, excellentissimus noster Wernherus.

53 III. *Axiomata* sunt: (1) Libera quidem uoluntate fieri debet electio, qualis ea cunque fuerit.

54 (2) Politica tamen prudentia iustas eligendi causas suggerat, hoc magis necesse est, quod maxima felicitatis, uel infelicitatis pars electionem, prout bene, uel male fuerit facta, consequitur.

55 (3) Facessant igitur hinc amor inconsultus et honorum opumue cupiditas.

56 (4) Attendantur contra uirtutum meritorumque praestantia, augustae maiestati conueniens natalium splendor, par fastigio potentia et auctoritas.

57 (5) Nec facile ab ea recedendum est stirpe, quae bonos identidem Principes dedit, de Republica praeclare meritos.

58 (6) Quippe et pietas hoc postulat, et continuaturae felicitatis spes.

INSPECTIO II.

De

IMPERIO SVCCESSIVO.

I. *Origo*. II. *Descriptio*. III. *Ordo*. IV. *Distinctio*. V. *Controuersiae*. VI. *Axiomata*.

Origo successions in imperio ex generali ducenda est electione, 2 Scilicet in principio omnia quidem regna fuerunt electina, ex libera populi uoluntate ei delata, qui sufficienti ad gubernandam tuendamque Rempublicam facultate instructus est uisus.

3 Quae facultas cum animi prudentiam maxime complectatur, adeoque non magis ad heredes per naturam transferri queat, quam usus paterna filio assignari potest, nec regnum successiuum naturaliter datur.

4 Quoniam tamen populus non solum semper Principis personam

nam elegit, sed, singulari etiam fiducia principatum in eius familia continuari, decreuit, successuum hinc exitit imperium.

5 Ita, ut omnes, quotquot in familia tali ad regendae ciuitatis gubernacula non plane fuerint inepti, regnum sine noua capessuerint electione.

6 Idque eo facilius, quo melius defuncti ex ea prosapia antecessores se gesserant.

7 II. *Describi* autem potest successio, pro facultate morali sumpta, per ius, quo personae familiae regnatricis imperium, rite acceptatum, sine noua electione institutis conuenienter acquirunt.

8 Dicimus, successionem pro morali hic facultate sumi, cum etiam pro actu sumi possit, ipsa scilicet imperii acquisitione.

9 Subiectum successionis sunt omnes ex Rege, uel Principe descendentes, adeoque nec adscendentes, nec collaterales eiusdem.

10 Scilicet, nisi alia succedendi ratio sit expressa, ea intelligenda est, quae naturaliter ad descendentes pertinet.

11 Accedit, quod successio ex uoluntate populi concedatur primi acquirentis familiae, quae inter parentes et liberos est, non inter collaterales, utpote qui non in ipsius, sed communi parentum familia existunt.

12 Porro successionem talem sine noua fieri electione, dicimus, discrimen regni electiui et successiui his uerbis indicaturi.

13 Cum autem non omnes ex familia regnante simul et semel succedant, sed eo quisque ordine ac modo, quo prouisum est, successionem institutis conuenienter fieri oportere, addimus.

14 III. *Ordo* igitur est ille, quo primogenitus huiusque descendentes iusta serie sceptrum capessunt, ita, ut, illius demum linea deficiente, secundo, aut ulteriore loco nati hanc obtineant dignitatem.

15 Dicitur talis successio linealis, quae etiam, extincta primogeniti linea, obseruatur, h. e. in deferenda successionem non gradus, sed lineae habetur ratio, ut exemplo id declarauit Gribnerus.

16 Oritur hinc ius primogeniturae, saluari introductum consilio.

17 Quippe nec diuisio regni, nec communio ad monarchiae rationem obtinendamque eius felicitatem conducit.

18 Nam, ubi plures simul domini regnant, nec regularis monarchiae

chiae status consistit, nec firma inter regnantes concordia et tranquillitas uiget.

19 Quapropter communio rixarum mater merito uocari solet.

20 Principatu autem inter plures diuiso, imminuuntur Reipublicae uires, attenuantur opes, rerum agendarum nerui, et familiae illustres ita obscurantur, ut, quo magis numero crescant, eo magis splendore deficiant ac potentia.

21 Scilicet, si promiscua regnorum diuisio admitteretur, labentibus seculis, regnum in tot dissoluendum esset particulas, ut non amplius regnum, sed praedium foret, ut scribit Kestnerus.

22 Fundamentum itaque iuris primogeniturae non est ordo naturalis, nec inaequalis liberorum conditio, nec tenerior parentum affectus.

23 Sed conseruanda illustrium familiarum dignitas, euitanda rixarum contentionumq; occasio, et obtinenda hinc utilitas publica.

24 Quanquam caussa, cur primogenitus reliquis filiis, ex Principe natis, praeferrí possit ac debeat, naturalis utique est praerogatiua.

25 Ea nimirum, quam natiuitas tribuit, cum inter heredes cetera pares aetatis utique habenda sit ratio, hactenus, ut maior aetate, seu tempore prior, etiam iure prior censerí possit.

26 Et, siquidem publica, ut diximus, utilitas hic subest, eo minus conqueri possunt fratres natu minores, quo magis in omnibus rebus id spectari fas est, quod maiori parti prodesse intelligitur.

27 Hinc proximum natu aetatis priuilegio regnum sibi uindicare, idque ius et ordinem nascendi, et naturam ipsam gentibus dedisse, scribit Iustinus.

28 Neque is tantum primogenitus hic admitti debet, qui patre iam rege natus est, sed etiam is, qui, antequam pater regnum obtinuit, est natus.

29 Paternae quippe dignitatis mutatio natiuitatis rationem haud immutat.

30 Primogenitus in ipso natiuitatis momento acquirit ius succedendi in omnia iura, quae pater mortis tempore est relicturus.

31 Cum igitur, mortuo demum patre, fiat successio, bona, hoc nomine adipiscenda, non ex tempore natiuitatis, sed mortis aestimari debent.

32 Ac-

32 Accedit, quod primogeniti ius eo nitatur respectu, quo filius est patris, qua talis, non filius patris, qua Regis, cum regia dignitas sit tantum qualitas, ex accidenti superueniens, quae substantiam patris, et effectus; hinc pendentes, non mutat.

33 Imo, si accedentis hic dignitatis habenda esset ratio, consequeretur, nec succedere posse primogenitum talem, si solus superesset.

34 Quod cum absurdum plane sit, statuendum potius est, primogenitum talem tam in acquirendis familiae iuribus, quam in acquisitionis praeferrere oportere.

35 Reliquis autem liberis certa assignatur prouisio, ad decentem sustentationem sufficiens, quae nomine, ab exteris petito apanagium dicitur, Germanis Abfindung, Fürstlicher Vnterhalt, Deputat.

36 Describitur uulgo per assignationem alimoniae prouisionalis, Principibus postgenitis factam.

37 Quales quidem Principes hinc apanagiati (apanagirte, oder abgefunden Herren) uocari solent.

38 Affinitatem cum apanagio habet paragium, barbare pro paritione hereditatum (Theilungs-Guth) dictum.

39 Estq; titulus, quo feudi pars minor a fratribus nato minoribus eorumque posteris ita possidetur, ut fratri maiori, maiorem obtinenti partem, eo nomine neq; fidelitatem, neq; hominum debeant.

40 Hoc autem apanagium et paragium inter se differunt, quod (1) paragium est per diuisionem, apanagium per prouisionem, (2) paragii portio est triens, adeoque certa, apanagii incerta, (3) paragium domini iure acquiritur, apanagium est pars domanii.

41 Quam tamen distinctionem, Schiltero sese opponens, reiecit Hertius.

42 Plura de apanagio ex instituto tractarunt (1) Springsfeldius, (2) Mylerus, (3) Schilterus, (4) Lyserus, (5) Müllerus.

43 Quibuscum conferri possunt scriptores de iure primogeniturae, nominatim (1) Tiraquellus, (2) a Saa, (3) Betsius, (4) Engelbrechtus, (5) Freherus, (6) Stenogtius, (7) Mehlbaumius, (8) Iac. Thomafius, (9) Zontgravius, (10) Baddens, (11) Ludolphus, (12) Kleinius, (13) Striglinus, alique.

44 Quam tamen nec uno quibuscumq; modo, nec quibuslibet etiam personis contingat successio, uaria hinc eius existunt genera.

45 IV. *Distingui* igitur potest successio, ratione modi acquirendi, in legitimam et testamentariam, seu institutam.

46 Legitima dicitur, qua quis lege, uel consuetudine, sine ulla hominis dispositione imperium nanciscitur.

47 Talis est, e. g. in Gallia, ubi ex Salica, cuius supra meminimus, lege masculi tantum heredes ad regnum perueniunt.

48 Testamentaria autem est, qua principatus testamento, seu ultima uoluntate, ad iustum transfertur successorem.

49 Equidem testamenta imperantium aequae, ac priuatorum, iure naturali nulla esse, multi existimant, eorum autem rationes supra refutauimus in I. N. p. 424. pos. 188. seqq.

50 Ratione subiecti, cui principatus deferri possit, successio uel agnatica est, uel cognatica.

51 Agnatica est, qua foeminae, et ex hisce nati etiam mares ab administratione regni excluduntur.

52 Cognatica est, qua foeminae etiam, earumque liberi certis sub conditionibus, ubi mares deficiunt, ad imperium perueniunt.

53 Dicitur agnatica alio nomine Francica, quoniam in Gallia potissimum ex antiqua Francorum lege, saepius a nobis excitata, Salica nimirum, obtinet.

54 Cognatica etiam Castiliana nuncupatur, quia in regno Castiliae, hodie Hispanico, a Philippo II. per testamentum introducta est.

55 Quanquam in aliis pariter regnis, e. g. Angliae, Sueciae, Daniae, ea praesertim lege sit recepta, ut foeminae indigenis nubant, non exteris.

56 Caussae, cur gentes nonnullae foemineum respuant imperium, uidentur esse hae.

57 (1) Quia populus imperium ciuile ab initio non foeminae, sed mari, eiusque heredibus masculis detulisse censetur.

58 Ita, ut primo utique instituto repugnaret, foeminam constituere reginam, aut regnum cum ea, extero nupta Principi, in alienam transferre familiam.

59 (2) Quia foeminae ne in democratico quidem statu, nedum aristocratico, imperium obtinent, licet ius populi et ibi administretur.

60 Scilicet non regnare, sed parere et parere mulierum esse, siue,

Zzzz

ut

ut Comes Oliuarezius suo olim Regi insufurasse scribitur, foeminas propter pariendum, uti religiofas seu monachas propter orandum aestimari oportere, creditum est.

61 (3) Quia indignum uidetur, sexum debiliorem præficere præstantiori, cui hoc nomine ab ipsa etiam natura imperium intelligitur esse destinatum.

62 Præsertim cum infelicissima gynæocratia exempla consent.

63 Idcirco, si qua foemina ex libero populi arbitrio ad regnum uocetur, naturali tamen iure non, nisi post omnes demum masculos eiusdem familiae, eam succedere, dicunt.

64 Sed, quicquid huius sit, certum utique est, nunquam defuisse regna, in quibus foeminae, et prudentia uiris et fortuna pares, sceptrum tenuerunt.

65 Itaque gentium institutis standum est, utpote quae mutare non minus periculosum est, quam doctis ea ratiocinationibus oppugnare temerarium.

66 V. *Controversiae* potiores, hic attingendae, sunt sequentes.

67 (1) An successio sit præstantior electione, an haec illa?

68 Pro posteriore quidem sententia plerique doctorum pugnant, nec tamen desunt, qui priorem etiam amplectuntur, uti scriptores de argumento hoc ex instituto docent, nominatim Eberhardus a Weyhe, Befoldus, Iacobus Thomasius, alique ab hoc excitati.

69 (2) An regna in dubio censeantur successiua, an electiua?

70 Hic pariter diuersae doctorum sententiae occurrunt, aliis successiua, aliis uero electiua admittentibus, teste Bœhmero.

71 (3) An hereditaria dentur regna?

72 Talia quidem habentur ea, quae iure belli sunt acquisita, quæque adeo ex libero Principis arbitrio pendent, num uero rectius alienabilia, quam patrimonialia, nominari debeant, inter eruditos controuertitur.

73 (4) An primogeniti inhabilis uice quis fungi debeat?

74 Si primogenitus propter naturale quoddam uitium, aut ætatem infirmiolem, regnandi facultate destituatur, alius utique ipsius uicem obire debet, donec se ipsum suumque populum regere possit, adeoque uitium cesset, aut tutela illustris, de qua præter scriptores

ptores, supra in I. N. p. 468. pos. III. excitatos, legi potest Ringlerus.

75 (5) An Principes gemelli simul regnare debeant?

76 Si forte per errorem non constet, uter ex gemellis prius lucem adspexerit, adeoque ius successionis prior fuerit adeptus, utrumque ad regni administrationem admitti debere, naturali æquitati consentaneum iudicant Tiraquellus, Perezus, Hunnius, Cocceius, Cramerus alique.

77 (6) An, deficiente primogenito, filia succedere debeat?

78 In utramque hoc partem disputatur, alijs, filiae, utpote regia oriundae, stirpe ex uoluntate populi prospectum esse, aientibus, alijs pro agnato sexus praerogatiuam urgentibus, teste Gribnero.

79 (7) An filius primogeniti patruo sit praefendus?

80 Siquidem filius primogeniti in patris defuncti locum succedit, adeoque potius etiam ius, quod pater ipsius habuit, consequitur, quin eo ipso, quod patrem repraesentat, etiam in propiorem patris gradum adscendit, patruo utique praeferi debet.

81 (8) An cognatorum successio etiam sit linealis?

82 In indiuiduis utique regnis successio talis obtinet, ita, ut cognatus propior excludat agnatum remotiorem, et filiae primogenitae descendentes prae filia, secundo loco nata, admittantur, quamquam, an nepos ex sorore nepti ex fratre praeferi debeat, in utramque disputatur partem, asserente eodem Gribnero.

83 (9) An liberi naturales ad regnum peruenire possint?

84 Postulat utique augusta regni maiestas, ut liberi, ex concubitu suscepti, non, nisi in regno hereditario, urgente necessitate, Reipublicae gubernationem obtineant, quamvis ceteroquin eos natalibus restitui, seu legitimari a Principe posse, nullum sit dubium, ut late hoc inter alios disserunt Arnisaeus et Stryckius.

85 (10) An quis successioni pro se liberisq; suis renuntiare possit?

86 Equidem inter liberos iam natos et nondum natos nonnulli DD. hic distinguunt, et illis, quippe ius quaesitum habentibus, non uero his, renuntiationem obesse, existimant, alii uero aliter sentiunt, uti uidere licet apud scriptores, qui materiam hanc ex instituto pertractarunt, uti Kellenbenzius, Binnus aliq; editi a Schiltero.

87 (11) An litem de successionem populus decidere possit?

Zzzz 2

88 In

88 In diuerfas pariter sententias DD. hic abeunt, aliis populi iudicium, aliis arbitros, aliis ICtorum deductiones, aliis deniq; fortem commendantibus, sed uix certius suppetit remedium, quam gladius, soluendis eiusmodi nodis plerumque adhiberi solitus.

89 (12) An successor antecefforis facta praestare debeat?

90 Si facta, e. g. contractus, nihil iniqui, aut iniusti contineant, eis omnino obstrictus censeretur debet successor, quoniam qui succedit in locum, etiam succedit in ius, adeoque defuncti factum tam actiue, quam passiue, praestare debet.

91 VI *Axiomata* sunt: (1) Sicut electio multis nominibus commendari meretur, ita nec successio suis destituitur commodis.

92 (2) Haec quippe efficere potest, ut mala interregni, partium studia, largitiones, ambitus, et discrimina pæne innumera facessant.

93 (3) Ubi certus adest successor, certum manet imperium, certa Reipublicae salus.

94 (4) Dummodo id curent Principes, ut, quos principatus sui heredes relinquere debent, ei bona institutione tales euadant, qui non magis fortunae natiuitatisque beneficio, quam uirtutum propriarum merito fastigium obtinere credantur.

95 (5) Scilicet non generatione, sed educatione bonus populorum rector euadit.

MEMBRUM III.

DE

CONSERVATIONE REIPUBLICAE.

Conseruatio Reipublicae postulat, ut (1) einecessaria porrigatur subsidia, (2) in ea debita praestentur officia, (3) ex ea nocentia propulsentur mala.

ARTICVLVS I.

DE

SVBSIDIIS, REIPUBLICAE PORRIGENDIS.

I. *Partitio*. II. *Explicatio*. III. *Axiomata*.

I I.

P *Partitio* subsidiorum, h. e. eorum omnium, quae ciuitati sustentandae conseruandaeque adminiculo et auxilio esse possunt, secundum personas praecipue ac res fieri potest.

2 Haec

2 Haec enim duo in omni Republica potissimum occurrunt.

3 Ad personas itaque referri possunt uiri, belli pacisque negotiis apti, ad res autem opes bene recteque fundatae ac constitutae.

4 II. *Explicatio* eiusmodi subsidiorum ita strictim fieri potest.

5 Viri belli pacisque negotiis apti generatim sunt omnes illi, qui partim pacis, partim belli, partim utroque tempore consilium, aut operam ad seruandam Reipublicae salutem conferre possunt.

6 Speciatim uero tales sunt ministri et milites.

7 Ministri sunt uiri, a summo imperante, uel Reipublicae administratoribus, constituti, ut, pro ea, qua pollere debent, dexteritate, uel salutaria Reipublicae consilia prudenter ac fideliter suggerere, uel alia eidem opera inferuire debeant.

8 Praecipui horum dicuntur ministri in sensu eminentiore (κατ' ἐξοχήν) quoniam in administranda Republica praecipui Principis adiutores sunt.

9 Vnde et nomen ministerii honestum illud officium denotat, quod Reipublicae praestatur, quemadmodum liber, de ministerio Richelii et Mazarini inscriptus, declarat.

10 Tales etiam dicuntur consiliarii a praecipua officii parte, quae consilia, de Reipublicae salute ineunda, complectitur.

11 Est enim consilium nihil aliud, quam certa earum rerum inuestigatio, quibus aliquis finem, sibi propositum, consequi possit.

12 Vnde et praestantia consiliariorum colligi potest, et necessitas.

13 Scilicet nullum nec maius, nec certius boni imperii instrumentum existere potest, quam bonus consiliarius.

14 Nam sine consilio sapientum nulla est Regum potentia.

15 Ciuitates ac nationes eousque prosperum habent imperium, dum uera apud eos consilia uigent.

16 Quod, ablato Palladio, Troia fuerit euertenda, quid aliud significat, quam, amissa sapientia consulendique prudentia, concidere Respublicas, et dilabi?

17 Idcirco nulla opera honestior, nulla laudabilior censei debet ea, quam minister et consiliarius, in summorum imperantium communionem adscitus, praestat.

18 Cum autem magna negotiorum ciuiliū sit uarietas, uariaq;

Zzzz 3

ideo-

ideo dentur munera, etiam uaria ministrorum genera hinc existunt.

19 Communis distinctio est in summos, seu eminentes, qui praecipuas in administranda Republica partes obeunt, medios, qui proximum ab illis locum habent, et infimos, qui minora ciuitatis negotia tractant.

20 Ministri summi et eminentes, recepto in aulis nomine, ministri status, seu consiliarii intimi uocari solent.

21 Ideo, quoniam in negotiis, ad statum publicum, ipsamue regnandi rationem pertinentibus, uersantur, adeoque sanctoribus consiliis intimi fiunt Principi suo.

22 Hinc tales ministri olim familiares Principum et amici uocabantur, de quibus concinnam scripsit dissertationem Roederus.

23 Imo et patres imperii eos fuisse dictos, uel Iosephi exemplum testatur, de quo pulchras habet meditationes Balzacus.

24 De Maecenate, amicissimo Augusti ministro, scripsit Boeclerus.

25 Tales ministri cum, maiorum instar siderum, suam in omnia negotia uim diffundere soleant, cum singulari etiam cura et circumspeditione constitui debent.

26 Quare electio eorum a libero mentis iudicio, non caeco quodam amore, alioque affectu inconsulto proficiscatur, necesse est, ut praeibelle hoc exposuit citatus Balzacus.

27 Nimirum certa attendi oportet requisita, qualia sunt (1) iusta aetas, (2) genus honestum, (3) dexteritas sufficiens, (4) uita inculcata.

28 Aetas esto media, ut ministri nec nimis iuuenes sint, nec senes.

29 Iuuenes enim, si iudicii maturitate et rerum usu destituuntur, praecipiti plerumque consilio ferri solent.

30 Ergo nautica hic lex probatur, quae futuros gubernatores prius remigare, ac deinde proretas esse iubet, quam in puppi sedentes clauum tenere possint.

31 Imo, si medicus pharmacum, recens inuentum, in corpore nobilioris eminentiorisque uiri experiri haud debet, nec committendum est, ut minister iunior cum Reipublicae damno ingenii sui faciat periculum.

32 Homines autem, senio confecti, et animi plerumque et corporis

poris infirmitate laborant, adeoque, ut sibi impares, ita aliis graues existunt ac molesti.

33 Quanquam, si optio hic datur, iunioribus praeferri debent senes, utpote qui, rerum plurimarum usu edocti, saltem consilio, si non opera, prodesse possunt.

34 Vnde senatus a senibus nomen habet, et senatores, habita aetatis ratione, etiam patres dici consueuerunt.

35 Ideo Adaldagus et Schlickius rerum ad Imperatores pertinentium intelligentissimi olim sunt habiti, quoniam alter Ottonibus tribus, alter Sigismundo, Alberto, et Friderico III. Imperatoribus, a secretis fuerit consiliis, teste Cranzio.

36 Genus requiritur honestum, seu tale, quod nullam, siue naturalem, siue ciuilem, complectatur turpitudinem, saltem hominum opinione talem.

37 Ergo non nobiles demum, equestri similiue genere orti, summorum in aula Principum ministerio adhiberi debent, sed ignobiles etiam, non excellentia generis, sed scientiarum uirtutumque magnitudine nobilitati.

38 Equidem praestantes nobilitate familias et praesidia esse Rerum publicarum, et ornamenta, lubens concesserim.

39 Nec, nobilem ignobili, si utriusque paria sint merita, anteferrī posse, negauerim, maxime ubi muneris ratio tale quid postulet.

40 At uero, quoniam parentum illustrium filii non illustres semper artes dignasque natalium splendore uirtutes sectantur, nec soli etiam magnis in aula muneribus praeponi debent.

41 Alioquin uix futuri essent ignobilioris conditionis homines, qui, etiamsi praestantissimo ualerent ingenio, studiis politicis operam dare uellent, quippe nullam in aulis emergendi spem habentes.

42 Contra nobiles plerique, solis maiorum imaginibus titulisque freti, inertes manerent, statuisque non absimiles, in quibus praeter nomen nihil est additamenti.

43 Imo hoc solo nomine ceteros homines prae se nullos putarent, maxime cum superbia nobilitatis habeatur comes, uti sigillatim de Hispanis testantur Leodius, Varillasius, et Quixottus.

44 Quare maximæ omnino laudi ducitur splendidissimis Germaniac

niae aulis, Saxonicae et Brandenburgicae, quod in constituendis ministris, dexteritatis, non natiuitatis duntaxat, rationem habere soleant, ut de posteriore illustre perhibet testimonium Besserus.

45 Complectitur autem dexteritas ea omnia, quae ad politicam maxime prudentiam requiruntur, utpote quae omnium actionum moderatrix esse debet.

46 Qualem quidem prudentiam sub imagine uirginis, tres oculos, memoriam, intellectum et prouidentiam, habentis, repraesentat illustris Pelzhoferus.

47 Scilicet memoria res praeteritas, tum usu, tum lectione cognitae, sibi proponere, intellectu ad praesentia probe diiudicanda sese applicare, prouidentia futuros rerum euentus prospicere debet prudens rerum politicarum arbiter.

48 Quibus autem adminiculis hic opus sit, in libello, quem collegium politicum speciale inscripsi, fusius traditur.

49 Quanquam, an minister necessario debeat esse literatus, in utramque disceptari solet partem.

50 Nimirum pro sententia negante has afferunt rationes, (1) quia eruditio, mentem plerumque distrahens, in rebus agendis ministro magis obsit, quam profit, (2) quia minister, doctrina sua fretus, se ipsum, non alios audiat, (3) quia studiorum amor a sedula negotiorum publicorum tractatione ministrum auocet.

51 Omnium instar exemplorum adducuntur Grotius et Polus.

52 Contra, qui aientium partes sequuntur, eruditionem ideo commendant, (1) quia minister sine doctrina prudentiam politicam uix possit acquirere, (2) quia ministro in plurimis negotiis literarum cognitione opus sit, (3) quia ministrum, nulla instructum doctrina, infimae saepe conditionis scriba docere debeat.

53 Quae quidem argumenta eo pertinere uidentur, ut minister decentius meliusue summa in aulis munera obire posse censendus sit, si necessariis doctrinae praesidiis fuerit instructus.

54 At sine literarum studiis eum ministerio prorsus imparem esse, nemo dixerit, cui, quantos identidem ministros, expertes eruditionis et ignaros, Germania pariter, ac Gallia habuerit, notum est.

55 Hinc alia etiam quaestio decidi potest, an ipse Princeps, ut
tanto

tantomelius suos constituere ac diiudicare possit ministros, eruditus esse debeat?

56 Scilicet ea quidem doctrina praeditus esse debet, quae ad regnandi artem pertinet, e. g. prudentia I. N. et G. scientia politica, cognitione historica, maxime notitiæ patriæ & aularum vicinarum.

57 Optimus tamen magister ipsi existere potest rerum agenda- rum usus, non ex schola, sed orbis politici negotiis acquisitus.

58 Inculcata denique uita in ministro requiritur, quoniam sanctiora et eminentiora, quibus praeest, munera nequitiam impietatemque haud ferunt.

59 Quippe indignissimum est maiestate regnantis, in familiaritatem suam praestantissimique partes officii hominem adsciscere, moribus corruptis et mala praebentem exempla, et aulam domini dedecorantem.

60 Taceo, quod improbam scelestamque agenti uir am uix prosperum diuinitus ministerium euenire possit.

61 Quales autem uirtutes ministro maxime conueniant, in libello, modo citato, exposui, ubi aliae simul quaestiones proponuntur, quas quidem hic percensere instituti ratio haud patitur.

62 Tantummodo de primario status ministro pauca addemus.

63 Vocabatur talis minister olim omnium officiorum magister, officiorum princeps, princeps sacri laterculi, minister dominationis, secretorum omnium arcanorumque Regis arbiter.

64 Hodie receptis in aula nominibus, quanquam minus Latinis, dicitur Premier-Minister, et ministrissimus, de quo singulares scripserunt dissertationes Olpius, Schmidius et Struuius.

65 An uero talem constituere ministrum consultum sit, in utramque disceptatur partem.

66 Qui negandum hoc esse, putant, sequentes adducunt rationes.

67 (1) Quia Principis sui gratia fretus, nimiam plerumque potestatem sibi arroget, uti Dux Lermæ, Philippi III. R. H. minister, (2) quia exterorum largitione corruptus, pessima Principi mala intentare possit, ut Bironius, Henrici M. R. G. intimus, (3) quia funesto tandem exitu suam dedecoret dignitatem, uti Oliuarezii, An-

Aaaaa

cru,

crii, Clefelii, aliorumque exempla testantur, in peculiari a me dissertatione adducta.

68 Aientes uero his potissimum argumentis nituntur.

69 (1) Quia tutius sit uni, quam pluribus, arcana regni committere, (2) quia, uno tantum inter ministros eminente, noxia inter partes aemulatio cesset, (3) quia unus, Principis gratia ualens, ad negotia, felicius expedienda, plurimum conferre possit.

70 Et hæc aliq; argumenta tanti utique uidentur, ut nos etiam, ea, quæ casu, nec semper eueniunt, probe distinguentes, primum status ministrum aulis regnisque utilem omnino iudicemus.

71 Dummodo ita sit comparatus, sicque sese gerat, uelut in libello, sæpius allegato, docui.

72 Ceterum de ministro status legi merentur (1) Felwingerus, (2) Pastorius ab Hirtenberg, (3) Silhonius, (4) Schroeterus, (5) Iacob. Thomasius, (6) Struuius, (7) Balzacus, (8) Gröningius, aliq; plures.

73 Cum autem ministri status in amplioribus Principum aulis certum plerumque collegium constituent, certum quoque præsidem habere solent, qui uulgo Cancellarius dicitur.

74 Nomine scilicet a cancellis desumpto, intra quos mediis in chartis actisque publicis confidere quondam solebat, et senatum habere, quanquam alii alias. afferant explicationes.

75 Ex instituto de cancellariis scripserunt Horstius, Mallinkroot, Kirchnerns, Struuius, et Wenckerus.

76 Nunc sequuntur ministri, quos medios, seu secundos diximus.

77 Tales sunt consiliarii, in tot fere ordines descripti, quot minorum in aulis dantur genera.

78 Furius septem enumerat classes, quibus continentur sequentes.

79 (1) Consiliarii quaestorii, seu pecuniae publicae, (2) negotiorum politicorum, seu gubernationis, (3) rei militaris, (4) annonae, seu rei frumentariae, (5) iurisdictionis ciuilis, (6) causarum criminalium, et (7) officii censorii.

80 Horum praecipuos in libello, sæpius allegato, descripsi.

81 Ex instituto autem de consiliariis scripserunt (1) Hippolitus a Collibus, (2) L. B. a Smirziz, (3) Petrus Magnus, (4) Le Bleu, (5) a Frisowiz, (6) Besoldus, (7) Conringius, (8) Röhrensee, aliique.

82 In-

82 Infimorum denique ministrorum numero ueniunt illi, quos primi medique ordinis consiliarii ad expedienda negotia et scripta publica adhibere solent.

83 Tales inprimis sunt secretarii, a secretis ita dicti, h. e. a locis, quæ Principum summorumque ministrorum conuentibus, rerum tractandarum causa habendis, erant destinata, indeque apud ecclesiasticos potissimum scriptores secretaria dicebantur.

84 Itaque recens Latinitatis æuum secretariorum nomen indidit, cum antiquiore magis certe eleganter, sed minus officio conuenienter, aut apposite, scribae uocarentur, ut loquitur Naudæus.

85 Tot autem secretariorum genera pariter occurrunt, quot consiliariorum, quibus operam præstare debent, dantur ordines.

86 Requisita eorum, et officia in libello, crebrius citato, exposui.

87 Quicum conferri possunt tractatus, ex instituto de secretariis scripti, e. g. Pamphili Persici, Sansouini, Hermolai Modestini, seu uero nomine Cürickii, Schilteri, et Wenckeri.

88 Dictum est hactenus de ministris, tum summis, tum mediis, tum infimis, tanquam uiris, in administranda Republica subsidium præstantibus.

89 Agendum nunc esset de militibus, et sigillatim de eorum præstantia, diuersitate et ordinatione.

90 Cum autem tractatio talis prolixior sit futura, quam nostræ quidem instituti fert ratio, ad eos nos referre liceat scriptores, quos supra excitauimus in l. G. p. 579. pos. 59.

91 Quanquam eorum præcepta, summatim ordinateque digesta, in opere politico exhibet Knichenius.

92 Sequuntur nunc opes, maximum certe ciuitatis subsidium.

93 His enim uel ad parandam, uel ad augendam ciuitatis potentiam, maximam inesse uim, sigillatimque pecuniam quasi reginam esse rerum humanarum, inter omnes constat.

94 Sed bene recteque fundatas ac constitutas requirimus opes.

95 Ad obtinendas seruandasque eiusmodi opes maxime pro sunt commercia, uectigalia, tributa, aeraria, eorumque augmenta.

96 Quam necessaria quidem, quamque utilia sint commercia, iam supra sub finem l. G. exposuimus.

97 Qua autem uia institui possint, feliciterque prouehi, paulum hic disquirere, operae est. pretium.

98 Ante omnia scire hic oportet, quibus maxime rebus una ciuitas prae altera abundet, quibus indigeat, cum alioquin de exportandis importandisque statui haud possit.

99 Nec crudae, ut uocantur, materiae, uti lana, metalla et ligna, ubi magna earum copia suppetit, in alienas semper ciuitates transuehi debent.

100 Sed ad eos adhibendae sunt usus, ex quibus maiora in Republicam commoda et lucra redundare possint.

101 Eamque ob causam adornanda sunt opificia, constituenda ergastula publica, exstruenda in locis amplioribus orphanotrophia.

102 Talia nimirum, in quibus alumni publicos, quibus sustentantur, sumtus laborando mereri debeant.

103 Certa insuper ordinanda sunt collegia, in quibus homines rei mercatoriae periti ea sedulo curent, quibus commercia rite stabiliri atque conseruari possint.

104 Quo quidem pertinere uidentur cursus publici, seu postae, navigationes, societates mercatoriae, banca, aliaque mercatorum instituta, de quibus in libello, aliquoties nominato, fit mentio.

105 Necessae etiam est, ut monopolia et propolia, siquidem commerciis officere uidentur, fetueris prohibeantur legibus.

106 Nec impune dimittendi sunt infidi illi mercatores, qui, bonis suis luxuriose dissipatis, aliorumque pecuniis fraudulenter ad se tractis, bancruptores, ut uulgo dicuntur, aut falliti euadunt.

107 Præterea mensurarum ponderumque habenda est ratio, ut iustitia saltem obseruetur et aequitas, siquidem uniformes in omnibus terris mensurae magis optandae sunt, quam sperandae, ut bene iudicat Zieglerus.

108 Inprimis probam curari oportet monetam, utpote quae maximum est commerciorum in societate humana instrumentum.

109 Ideo ius cudendae monetae inter praecipua refertur regalia.

110 Ita, ut ne probam quidem monetam, nedum falsam, sine grauisima poena ei cudere liceat, qui regali destituitur auctoritate.

111 Cum autem ad parandam probioris monetae copiam maxime

me conducant fodinae metallicae, sedula earum gerenda est cura.

112 Quamuis enim decima duntaxat pars domino territorii pro concessa metalli effodiendi potestate, canonis metallici loco, pendi soleat, ex eo tamen maximum prouenit commodum, quod reliquum, iusto pretio redemptum, cudendæ monetæ ab ipso adhibetur.

113 Quod uero fodinae metallicae Principis tantum sint, isque demum iure, ut dicitur, mineralium leges de earum usu præscribere possit, id publicae omnino utilitati conuenit, ut recte in suo de iuribus maiestatis commentario docet Zieglerus.

114 Ceterum de metallis eorumque fodinis prae aliis legi merentur Rechenbergius, Linckius, et Kirchmayerus.

115 Denique ad exercenda rite commercia opus est hominum multitudine.

116 Itali certe, Galli, Angli, et Belgae auri argentique causa non magnopere in uiscera terrae descendunt, ut tamen pecunia abundant, incolarum efficit frequentia.

117 Quare augendis identidem hominibus curam impendi oportet, amplificando urbes, erigendo colonias, recipiendo peregrinos, indulgendo immunitates, concedendo priuilegia, permittendo liberum religionis exercitium, modicas præscribendo usuras.

118 Plurimum quoque hic profunt scholæ nobiliores, academiae equestres, scientiarum artiumque officinae, aulae splendidae, ad excipiendos comiter peregrinos propensae.

119 Ne tamen multitudo hominum in urbibus nimirum amplis et frequentibus damno esse possit, praesertim tempore pestis, certus etiam modus hic statui debet, saltem in exstruendis ad habitandum aedibus, multiplicandisque in una domo familiis, uti Londini olim prouidit Elisabetha, Regina.

120 Necq; concedendum est, ut unius maxime generis homines, e. g. monachi, milites, comoedi, abundant, sed, descriptis in certos ordines ciuibus, iustam ubique proportionem seruari oportet.

121 Praeterea cauendum est, ne otio torpeant homines, et numerus tantum sint, ad fruges consumendas nati.

122 Cumque maximum ciuitatis malum sit luxus, seueris eum legibus cohiberi oportet, uti uestiariis, sumtuariis, de quibus legi possunt Schoockius, Rechenbergius, aliique.

A a a a 3 123

123 Ad sustentandos denique homines opus est alimentis, seu rebus ad cibum potumque necessariis, eamque ob causam cura annonae sedulo est agenda, de qua inter alios scripserunt Heringius, Struuius, et Röhrensee.

124 Quaeri hic solet, an nobiles mercaturam exercere possint?

125 Alii nobilitate plane indignum id esse iudicant, alii contra distinguunt inter mercaturam politicam, rerum peregrinarum rariorumque, per auersionem uendendarum, et quaestuosam, rerum uulgarium, per sectionem distrahendarum.

126 Sed receptis loci cuiusque moribus hic standum esse uidetur.

127 Plura de commerciis nosse cupiens, legere potest Becherum, E. B. a Schroeter, Marquardum, Conringium, Zieglerum, Bodinum, Marpergerum, et Roehrensee.

128 Quod ad uectigalia, in sensu speciali pro oneribus, in publicae securitatis auctoramentum, mercium transuehendarum causa, debitis, sumta, attinet, ea maximum utique commodum Reipublicae afferre possunt.

129 Dummodo cauta in iis exigendis adhibeatur circumspectio.

130 Ne scilicet uel sine discrimine pro cuiuscunque generis soluantur mercibus, uel graui nimis sint, et mercaturae, adeoque bono publico aduersa, ut copiosius id declarat Conringius.

131 Tributa pariter, ceteraque collectarum genera ad augendas ciuitatum opes maxime conducunt.

132 Id quod uel solae accisae, ut dicuntur, consumptionis testantur, quas ideo non immerito aurifodinas uocat personatus quidam scriptor, Christianus Teutophilus.

133 Nec dubium est, quin, si recta pariter ratione constituentur, æquissimum perinde ac commodissimum sint gabellæ genus, ut in eruditis ad capitulationem Carolinam annotationibus id probauit illustri noster Wernherus.

134 Nimirum (1) æquitatem obseruari, fas est, ne alii onerentur nimis, alii intempestiue subleuentur, (2) nulla in exigendo uolentia adhiberi debet ab hominibus impense duris, (3) exhausta publicis calamitatibus loca tamdiu eximenda sunt, donec, collectis uiribus, onera sustinere queant.

135 An autem sacri ordinis personae a tributis sunt immunes?

136 Ta-

136 Tales quidem censei debent propter tenuem minusue quaestuosam uiuendi rationem, nisi possessiones habeant, ex quibus ad publicos utique usus, saltem tempore necessitatis, aliquid conferre debent.

137 Idque ideo, quoniam, ubi de communi agitur salute, aequales etiam aequalia praestare debent, et bona ecclesiastica non minus, quam cetera, communi ope sunt conseruanda.

138 Vt autem omnes redditus in publicum, uti par est, usum dispensari possint, aerarium requiritur, idemque tam extraordinarium, quam ordinarium.

139 Scilicet cum duorum fere generum publici sint sumtus, alii ad omnes Reipublicae usus destinati, alii ad extremos reseruati casus, duobus etiam aerariis opus est.

140 Inter peculiare autem modos aerarium augendi speciatim refertur praestatio subsidiorum, seu militum auxiliiorum pro certa pecunia, qualem in bello, contra Gallos gesto, gloriosissimum Borussiae Regem ad maximos quondam usus accepisse, memini.

141 Plura hic consilia suppeditant scriptores de aërio, nominatim Besoldus, Klockius, Henelius, ab Aschaffenburg, Wendelerus.

142 Quibuscum conferri possunt, qui de incrementis ciuitatum modis ea consequendi sunt commentati, quales praeter eos, quos supra excitauimus, sunt Helmondus, et Leibius.

143 Quanquam plerique rerum politicarum scriptores hoc etiam argumentum attigerunt, inprimis Boeclerus, Rautnerus, Seckendorffius, Flamizerus.

144 III. *Axiomata* sunt: (1) Certa utique subsidia ad conseruationem sui Reipublicae deponunt.

145 (2) At, quantacumque ea fuerint, haud stabilem praestabunt salutem, nisi coniuncta cum uirtute potentia Deum habeat fautorem.

146 (3) Diuina quippe prouidentia, quam fortunam uulgo nuncupant, certissima regnorum est seruatrix, prospero omnia successu dirigens.

147 (4) Insaniunt ergo Epicurei, qui, humanis omnia consiliis metientes, nullum diuinæ prouidentiae locum hic tribuunt.

148 (5) Nobis aeternae ueritatis est sententia, tum demum, porrectis

rectis hominum subsidiis, florere ciuitates, si, florentibus pietate et iustitia, prouido regantur Numine.

ARTICVLVS II.

DE

OFFICIIS, IN REPUBLICA PRAESTANDIS.

I. *Fundamentum.* II. *Officia imperantium.* III. *Officia subditorum.*IV. *Axiomata.*

I. I.

F*undamentum* officiorum, h. e. actuum, tam ab imperantibus, quam a subditis, pro certa obligatione, diuinis humanisque legibus conuenienter, praestandorum, est finis ciuitatis.

2 Cum enim causa, finis, et intentio magnum ad actiones humanas momentum afferant, etiam officiorum non minus, quam iurum, mensura sunt atque norma.

3 Omnis autem ciuitatis hic demum finis est, uel esse debet, ut homines, in ea congregati, secure, tranquille et commode, h. e. bene beateque uiuere possint.

4 Ideo homines naturali sese abdicarunt libertate, ideo ciuile constituerunt imperium, ideo tam arcto sese obstrinxerunt uinculo.

5 Quicquid ergo ad beatam in ciuitate uitam pertinere uidetur, id hominibus, in ea uiuentibus, curandum sedulo est agendumque.

6 Haec summa est officiorum, in ciuitate praestandorum.

7 Eo coniunctis annitendum est uiribus, eo omnes dirigendae sunt actiones, eo singuli atque uniuersi sua referre debent studia.

8 Qua uero ratione tam imperantes, quam parentes, officia, hoc nomine requisita, praestare debeant, sigillatim nunc consideremus.

9 II. *Officia imperantium* partim cognoscendo perficiuntur, partim dirigendo.

10 Cognitio in eis uersari debet, quibus tum prudentia politica in genere, tum etiam notitia status in specie comparari potest.

11 Scilicet non scholasticas quidem doctrinas addiscere debet Princeps, quales inepti quidam doctores praescribere solent, merito notati a Treuero.

12 Attamen ea utique studia ipsi tractanda sunt, quibus animus ad obeunda rectoris munia resque praeclare gerendas praeparari quodammodo potest, aut confirmari.

13 Ta-

13 Talia, ut supra diximus, sunt lus N. et G. Politica, et Historia, utpote quam Principum scholam merito dixit Boeclerus.

14 Maxime hic etiam profunt panegyrici, a uiris eruditis rerumque politicarum gnaris conscripti, summisque dicti Principibus.

15 His enim obiecta uirtutis imago aemulationem accendere, et futuros etiam, quales se Principes Reipublicae praestare debeant, condocere potest, ut bene hoc inter alios declarant Erasmus, Celarius, et Kirchmayerus.

16 Nec ueteres tantum legi merentur, quales Mamertinus, Eumenius, Plinius, alique scripserunt, sed recentiores etiam, nostris quippe temporibus magis accommodati.

17 Quos inter uti nouissimus, sic praecipuus, imo instar omnium, is haberi potest, quem, perfectum optimi Principis exemplar descripturus, Caroli VI. Augusti Imperatoris, nunc regnantis, Maiestati deuouit Academiae nostrae Orator, omni doctrinae, uirtutis meritorumque laude celebratissimus, Bergerus.

18 Id tantum caueat Princeps, ne immoderato studiorum amore capiatur, sed, Agricolae exemplo, cupidum scientiae animum coerceat, teneatque, quod difficillimum est, ex sapientia modum.

19 Quippe homines, in fastigio constitutos, non diu literis incumbere, sed rebus gerendis se dare oportere, prudenter suasisit Grotius.

20 Et nimium doctrinae studium impedimento esse regnantibus, molestamque ipsis euadere eruditionem nimis curiosam, bene agnouit Ludouicus XI. G. R.

21 Notitia status obtinetur indagando materiam Reipublicae tum primariam, tum secundariam, perinde, atque eius formam.

22 Primaria quidem materia est populus, cuius cognosci oportet indolem, studia, opes, ordines, instituta ac leges, secundum quas administratio debeat fieri.

23 Secundaria est regio, quam ita explorare debet imperans, ut, qualis sit eius natura, quibus maxime rebus abundet, quibusue indigeat, quid ferre possit, quid minus, perspectum habeat.

24 Quam quidem ob causam cum uniuersi territorii sui, tum singulorum locorum descriptiones, ad Geographiae ac Topographiae modum consignatas, identidem euoluat, necesse est.

Bbb bb

35 Hac

25 Hac instructus cognitione facile et domum suam, et aulam, et ciuitatem ad propositum dirigit finem.

26 Domum quidem ita curare debet, ut bona cum coniuge etiam liberos bene educatos habeat, quippe pulcherrima regiae domus ornamenta.

27 Proinde filii ab ineunte statim aetate eis imbuendi sunt studiis, quibus ad tanti fastigii dignitatem mores componi possint.

28 Idcirco dignos fidosque deligi oportet ephoros, de quibus, praeter scriptores de educatione, supra excitatos, legi possunt Seckendorffius, Wagenfeilius, de Caprara, Hoffmeisterus, alique.

29 Ad politicam quoque prudentiam rerumque bonarum usum prodest peregrinatio, de qua plurimi prostant scriptores, excitati a Morhofio, Struuius, Arndio, Colero, Wincklero et Treuero.

30 Inprimis proximo ex filiis successoris regnandi ars tradi debet.

31 Eamque ob causam operae pretium erit praecepta ac monita paterna, pro eo, ac propria rerum experientia tulerit, conscripta, relinquere, uti Iacobus, A. R. Philippus, H. L. alique fecerunt.

32 Aulam ita instituat imperans, ut non solum idoneis semper ministris utatur, sed etiam honestos probosque duntaxat homines in consuetudinem usumque domesticum admittat.

33 Facebant igitur ab augusta sanctaque maiestatis sede improbi nequitiarum artifices, pestiferi uoluptatum architecti, indigni ridiculorum inuectores, petulantesque scurrac et sanniones.

34 Idcirco magnam sapientiae laudem merentur Principes, qui, Rudolphi, Friderici, aliorumque Imperatorum exempla secuti, nullos in aula ioculatores, aut moriones tolerarunt.

35 Fatuis quippe hominibus ad leuandas imperii curas et condendas facietis salibusque; epulas uti, mos uidetur esse recentior, antiquis fere ignotus, nec omni carens periculo, nec impietate semper uacuis, ut recte iudicat Carpzouius.

36 Quod autem moriones in corrigendis Principum uitis perinde, atque in deferendis aliorum factis patefaciendaque ueritate utilem saepe operam praestare dicuntur, id parum momenti habet.

37 Praeterquam enim, quod non facienda, aut permittenda sint mala, ut inde eueniant bona, tales facile ministros, seu familiares reperi-

reperiet Princeps, qui, sine scurrilium interiectione iocorum, uera proferre, et malefacta prudenter animaduertere possint.

38 Necturpe haberi debet Principi, ministrum familiariorem, salutaria monentem, audire, cum apud Sinenses cuique ex officialibus regni, quos Mandarinos uocant, imperatorum naeuos reuerenter arguere liceat, teste Ludouico Comite.

39, Civitatem denique ea ratione gubernet Princeps, qua firma ac perpetua eiusdem salus constare possit.

40 Hac salute omnem metiri debet potestatem, omne iurium maiestaticorum exercitium, omnia belli pacisque negotia.

41 Hanc ante oculos sibi proponere debet in ferendis legibus, constituendis iudiciis, infligendis poenis, uindicandis iniuriis, exigendis tributis.

42 Huic conuenienter ciuium describat ordines, distribuatur honores, concedat privilegia, eaque disponat subsidia, quae Reipublicae porrigenda esse, proximo Articulo diximus.

43 Imo, poscente hac salute, etiam pacta, cum subditis inita, rescindere potest.

44 Scilicet pacta, etiam sine omni prorsus solemnitate cum subditis singulis contracta, Principem in conscientia quidem, ui legum naturalium, obstringunt.

45 Attantum abest, ut, nisi sponte iis satisfaciatur Princeps, cogi possit, ut ea etiam, ex iure domini eminentis, ob salutem publicam rescindere possit.

46 Publicae quippe salutis omnia omnino postponantur, necesse est.

47 III. *Officia subditorum* alia generalia sunt, alia specialia.

48 Generalia, seu ea, quae ex generali, s. communi obligatione hominum, mutuae securitatis causa in ciuitatem congregatorum, fluunt, uel imperanti, uel ciuitati, uel conciuius sunt praestanda.

49 Imperanti debetur reuerentia, amor, fides et obsequium.

50 Reuerentia complectitur agnitionem augustae, qua imperans fulget, maiestatis, ac demissam dignitatis, diuinitus concessae, uenerationem.

51 Qualis quidem uariis sese exerit actibus, quibus, ut Dei uicarius, Princeps colitur, non superstitiosa quadam gentilium apotheosi Deo aequalis ac ueluti *αυτοθεος* perhibetur. Bbb b b 2 52

52 De diuino autem uicariatu Principum ex instituto scripsit Becmannus.

53 Amor exhibendus est imperanti, habita ratione curae et molestiae, quam, ut pater patriae, ecclesiae nutricius, populiue pastor, sustinere debet.

54 Proinde duriores etiam mores Principum non secus, ac parentum, aequo ferendi sunt animo, et precibus lacrymisque, non minis et armis, mitigandi.

55 Quod si Princeps ui iniusta in extremum subditos discrimen, maxime religionis, adducat, fugae et emigrationis beneficium, flexible uulgo dictum, illis superest, de quo inter alios legi potest excitatus modo Becmannus.

56 Quale quidem beneficium hoc minus denegari potest, quod etiam, praeter eiusmodi necessitatem, ciuis alio fortunae sedem transferre possit, modo emigrationis, seu detractus persoluat censum, de quo legi possunt Schwanemannus, Lübeckius, Eichelius, Eichmannus, et Simon.

57 Fidem haberi oportet, h. e. dictorum factorumque constantiam.

58 Ita scilicet, ut promisso conuenienter necessaria imperanti praestetur opera, omnis ab eo noxa omnisque auertatur perniciēs, nec flagitiosa unquam consilia aduersus eum suscipiantur.

59 Obsequium denique probari debet in exequendis, quae pietati, iustitiae, bonisque institutis congruunt, mandatis, ordinatisque ad communem salutem legibus.

60 Et talis quidem obedientia secundum singula, quae maiestas habet, iura exigitur.

61 An autem subditi peccent, Principum suorum mandatis, quae sibi iniusta uidentur, obtemperando, erudite ac solide, pro more suo, contra Hobbesium disputat summus noster Wernherus.

62 Ciuitati ea omnia debent subditi, quibus incolumitas eius, seu iuxta atque integra salutis conseruatio, domi forisq; obtineri potest.

63 Idcirco tales uitae rationes inire debent, ut ea semper habeant, quae perinde ad ferenda Reipublicae onera suppeditent, quam ad utilitates commoditatesque proprias.

64 Et, quoties publica instat necessitas, rebus omnibus posthabitis,

tis, in eo se totos collocare debent, quo salva praestari possit ciuitas.

65 Scilicet haud secus, atque, exorta tempestate, id maxime curant nauigantes, ut, proiectis etiam mercibus, nauis in tutum traquillumque portum peruenire queat.

66 Conciuibus denique singulis id praestari debet, quod partim commune societatis uinculum, partim singularis pactorum institutorumque ratio postulat.

67 Specialia autem officia ad peculiarem uitae conditionem munerisue indolem spectant.

68 Proinde id summam hic teneri oportet, nec aliud a quoquam minus affectandum suscipiendumue esse, quam cui gerendo et animi, et corporis, et fortunae ratio respondeat, nec aliter, quam promissa fert fides, obeundum.

69 Quas uero partes, quasue actiones tam uaria, quae iurium maiestaticorum exercitium postulat, munia complectantur, id non magis ex praescripta cuique forma, quam ex communi omnium institutorum ciuiliu fine cognosci debet.

70 Potiores Pufendorfius, quiq; eum sequuntur, I. N. Dd. recensent.

71 Ceterum de officio ciuis, maxime Christiani, singulares scripserunt dissertationes Becmannus, Rechenbergius, Hornius et Wolfius.

72 IV. *Axiomata* sunt: (1) Quemadmodum imperantes et parentes certa habent iura, ita utrisque etiam certa conueniunt officia.

73 (2) Imperantes summam in subditos potestatem obtinent, eiusque iura, pro eo, ut publica fert salus, exercere possunt.

74 (3) Ergo publicam quoque salutem debent procurare.

75 (4) Subditi tutela ac praesidio imperantium ita teguntur, ut uita, fama et fortunis suis quiete uti fruique possint.

76 (5) Ergo debitam quoque pietatem praestare debent.

77 (6) Qualia quidem officia si mutuo ueluti complexu iungantur, non potest non mutua etiam salus et imperantium et parentium hinc existere.

ARTICVLVS III.

DE

MALIS, EX REPUBLICA PROPVLSANDIS.

I. *Distributio*. II. *Reconsio*. III. *Axiomata*.

Bbbbbb3

[1 I.

I. I.

Distributio malorum, ex Republica propulsandorum, pro duplici ciuitatis ratione, non inepte fieri posse uidetur.

2 Scilicet cum ciuitas uel generatim considerari possit, uel speciatim, respectu certae, qua consistit, formae, mala etiam alia generalia dici possunt, alia specialia.

3 Generalia quidem, seu communia sunt, quae cuiuslibet generis, seu formae, ciuitati accidere possunt.

4 Specialia autem, seu propria, quae certae tantum speciei, seu formae, Rempublicam affligere solent.

5 Vtraque partim ad materiam ciuitatis pertinent, partim ad eius formam.

6 Quorum etiam si infinita prope multitudo exstet, praecipua tamen breuiter strictimque hic complecti iuuat.

7 II. *Recensentur* itaque inter mala Reipublicae generalia, eaque ad materiam, h. e. ad homines pertinentia, potissimum haec.

8 (1) Praua liberorum educatio.

9 Quam necessaria, quamque utilis in omni uitae genere sit recta liberorum institutio, identidem a nobis iam monitum est.

10 Itaque primum merito locum inter ciuitatis mala peruersae tribuimus educationi, quippe ceterorum fere omnium fonti & capiti.

11 Abiecta disciplinae cura, ipsi heroum filii euadunt noxae.

12 Nam parentum honor superbiam parit et segnitiam, omnium rerum affluentia uoluptatis amorem alit, et parentum lenitas feroces reddit animos.

13 Quapropter ab ineunte statim aetate liberi bonis adsuefaciendi sunt moribus, necessariisque inbuendi doctrinis, ut et loqui recte, et agere discant.

14 Cumque religio, ueram Dei cognitionem purumque cultum complexa, omnium uirtutum omniumque bonorum sit fundamentum, nihil etiam prius, nihil potius habere debent parentes et paedagogi, quam ut teneris ea animis rite imprimatur.

15 Ceterum temperamenti habenda est ratio, exploranda cuiusque indoles.

16 Et, prout ingenium uel natura aptum (*in Quia*) uel ineptum

ptum (ἀφύια) adfuerit, instituta quoque et praecepta (ἐπιτηδεύματα) diuersa ubiuis ratione tradi oportet.

17 Maxime ad certum uitae genus liberi tempestiue sunt addicendi, quo apta societatis ciuilis membra euadant, idque recto addiscant studio, quod, duce natura, amplecti coeperunt.

18 Eos autem, qui, parentibus cognatisque orbat, rebus suis praesse nequeunt, aliorum curae ac tutelae committi decet, ut, necessaria imbuti disciplina, utilem aliquando operam praestare possint.

19 Quam quidem ob causam orphanotrophiis et xenodochiis, siue, ut uulgo dicuntur, hospitalibus in ciuitate opus est, de quorum iure et priuilegiis ex instituto scripsit Fritschius.

20 (2) Nimia seruorum hominumque inertium multitudo.

21 Omnium pene possessionum difficillimam esse seruos propter improbitatem ipsorum atque nequitiam, non male iudicauit Plato.

22 Nam tale hominum genus neutram fere fortunam ferro nouit.

23 Non prosperam, utpote qua segniores facti et elatiores, obsequium detrectant, et fere aequali cum heris loco esse cupiunt.

24 Non aduersam, quippe qua rebus suis desperantes, temeraria plerumque facinora suscipiunt, ut exemplis memoratu dignis probauit Hertius.

25 Inertes autem homines desidiaque dediti pestes sunt Reipublicae.

26 Praeterquam enim, quod, nihil labore parantes, ciuitatem arrodant, et, instar fucorum, congesta ab aliis aluearia depraedent, ad fraudes, rapinas, caedes aliaque huius generis scelera facile labuntur.

27 Scilicet, ut ferrum, nullo tractatum usu, aerugo citius consumit, ita mentes, otio sopitas, uitia facilius contaminant.

28 Ideo occupatus ab uno pulsari daemone dicitur, otiosus a mille.

29 Praesertim si inopia accedat, utpote quae homini non satis firmo pessima quaeque suadere solet.

30 Idcirco laudanda est cura eorum, qui homines, ignauiae suspectos, in iudicium uocare, atque ad reddendam uitae rationem compellere sueuerunt.

31 Quos autem e ciuitate prorsus eiciendos esse, putamus, sunt mendici ualidi, importuni, et uagabundi, siue gratuitam plane stipem

pem ostiatim colligant, siue ludicris artibus, e.g. praestigiis, chiromanticis diuinationibus, pecuniam comparent.

32 Tales sunt Cygari, Gallis Aegyptii, Italis Cingari, uel Cingali, nec non Cyani, ab Asiae minoris populis, Germanice Ziegeuner, quasi ziehe einher, dicti.

33 Hoc quippe hominum genus, ex uariarum gentium colluue conflatum, et peregrinam plane nationem deformato corpore et inusitato habitu mentiens, sine certis sedibus pererrat, et imposturis, imo furtis et rapinis uiuit.

34 Quare publicis etiam legibus, tanquam noxiorum sentina hominum, ex Imperio proscribitur, testibus Limnaeo et Fritschio.

35 (3) Effusa in omni intemperantia libido.

36 Si quicquam est, quod hominum animos hebetet, corpora eneruet, fortunas destruat, plurimumque adeo mali afferat ciuitati, id sane effrenata est uoluptas.

37 Hanc igitur detestabilem Reipublicae pestem euitaturus, ea sedulo praecidere debet, quae cupiditates incitare, uoluptatisue libidines fouere possint.

38 Talia sunt e.g. conuiuia, luxuriosius instituta, et iusto longius protracta, commensationes anniuersariae, improbis ethnicisue moribus introductae, ludi scenici, et cuiusque generis spectacula, iocularis licentiae instrumenta.

39 Quanta enim animorum corruptio, quanta uitiorum seges, quanta scandalorum materia hinc oriri possit, cordatiores probioresque uiri sat amplis identidem scriptis comprobarunt.

40 Idcirco tales artium ludicarum magistros honesto ciuium loco excludunt, imo infamia notant legum salutarium scriptores, l. 4. C. de spectac. et l. 1. pr. ff. de his, qui not. infam.

41 Eamque ob causam filium, inuito parente, scenicis se sociantem, exheredare permittit Imperator in Nouell. 115. cap. 3. §. 10.

42 Et inter maximas Traiani laudes refertur, quod populus suo tempore pantomimis quoque aduersatus sit, et damnauerit effeminatas artes, et indecora seculo studia, teste Plinio.

43 Quod pio etiam animo secum perpendisse uidetur Henricus III. Imperator, dum omne balatronum et histrionum collegi-

um

um, quod in nuptiis eius confluxerat, uacuum abire, permisit, pauperibusque ea, quae membris diaboli subtraxerat, large distribuit, his uerbis commemorante Ottone Frisingensi.

44 Quod lupanaria in ciuitate nequaquam sint toleranda, supra iam dictum in l. N. p. 274. pos. 118. seqq.

45 Ideo scilicet, quia (1) in animis nefandas accendunt libidines, (2) corpora foedis inficiunt morbis, (3) facultates, multo saepe labore partas, exhaustiunt, (4) grauissimam Dei uindictam, adeoque omnis generis mala ciuitati attrahunt.

46 Quapropter non audiendi sunt doctores Pontificii, qui mali maioris euitandi causam iis obtendunt.

47 Scilicet utilia, aientes, esse generi humano eiusmodi purgamina uitandis gratioribus, imo meretricem, si recte ponatur calculus, nihil aliud esse, quam animal blandum, innoxium, gaudia ferre paratum uiris sitibundis omnibus horis, ut eorum iudicia his inter alia uerbis refert Priolus.

48 Plura eam in rem ex instituto commentatus est Müllerus.

49 (4) Perpetua factionum partiumue contentio.

50 Cum factio nihil aliud sit, quam mutua plurimorum ciuium in diuersa studia diuisio, facile patet, eam pro maximo ciuitatis malo esse habendam.

51 Quid? quod eam magis exitio esse populis, quam bella externa, quam famem, morbosue, asserit Litius.

52 Hinc enim facile ad seditionem bellumque ciuile fit transitus.

53 Inter praecipuas autem discordiarum factionumque causas numerantur (1) inaequalis ciuium tractatio, (2) inconsulta hominum peregrinorum dissimiliumque receptio, (3) intempestiua ueterum institutorum mutatio.

54 Quapropter cauere debet imperans, ne, unum, uel paucos ceteris sine merito praeferens, inuidiam excitet, quae acerbum plerumque odium progignit.

55 Non committat, ut conflata ex uariis nationibus ciuitas morum atque animorum discordia, et diuersis, contrariis, atque inter se repugnantibus plane studiis distrahatur.

56 Inueteratas autem leges et consuetudines non nisi gradatim pedetentimque, animis bene dispositis, ex communi ueluti consensu mutet.

57 Ceterum, si qua forte coniuratio, aut proditio fuerit facta, aut saltem ante facinus manifestata, eius auctores grauissima afflictiendi sunt poena.

58 Ideo nempe, ut reliqui, exemplis territi, ad bonam, ut dicitur, frugem se recipiant, intelligantque, coniuratorum fere neminem capitis supplicium euasisse.

59 Quemadmodum de Quintiano, qui ante fores amphitheatri gladium strinxerat in Commodum, de Hispano, qui Ferdinando cultrum in collum defixerat, de Iesuita, qui manum intulerat G. R. Heinrico, deque aliis pluribus testantur historiae.

60 Mala ciuitatis generalia, ad formam pertinentia, sunt haec.

61 (1) Inepta Reipublicae gubernatio.

62 Omnis imperii talem oportet esse administrationem, qualem et introducta ciuitatis forma, et naturalis populi indoles patitur.

63 Quoties ergo imperans in ferendis legibus, constituendis iudiciis, ordinandis magistratibus, exercendisue iuribus aliis, nec formae attendit, nec ciuitatum conditioni, in discrimen incidit.

64 Hinc enim ad perturbationem conuersionemque rerum praecipue existit uia.

65 Quapropter id maxime curandum est, ut omnis regnandi ratio et moribus populi, et institutis respondeat.

66 Saltem noui quid introducturus, sensim, ut modo diximus, cauteque procedat, nec, nisi perspecta rei propositae utilitas consensionem eliquerit, quicquam suscipiat.

67 (2) Crebra legum institutorumque mutatio.

68 Permagis Reipublicae interest, leges, in ea receptas, et per nosci penitus a ciuibus cunctis, et constanter obseruari.

69 Ideo scilicet, ut certa et ordinata agendi ratio (*ἰνταξία*) in perpetuum retineatur, euiteturque adeo omnis in ciuitate confusio.

70 Fuit haec causa, cur prudentissimus Locrensiū legislator, Zaleucus, de legum nouarum suatore seuerè cauerit.

71 Nec

71 Nec aliud, nisi hoc, uoluerunt illi, qui leges statò identidem anno, aut die, subditis suis praelegendas curarunt, ut nonnullis hoc exemplis comprobatur Hertius.

72 Nolle igitur Princeps eos audire ministros, qui, noua subinde molientes, crebriorem legum institutorumque mutationem suadent.

73 (3) Incerta disceptationum forensium ratio.

74 Tot quidem tamque diuersae rerum humanarum dantur circumstantiae, ut nec praevideant omnes possint, nec legibus definiti,

75 Cumque adeo minima, ut supra diximus, circumstantia uariet casum, nec uno omnes modo decidi possunt.

76 At certa utique disceptationum forensium ratio, seu, ut uulgo dicitur, forma processus, causasque tractandi ac decidendi regula, seu norma praescribi potest.

77 Talis nimirum, secundum quam lites sine molestis sumtibusque ambagibus, mandris ac diueris, obseruata iuris analogia, dirimi possint.

78 Vbicunque igitur incerta, dubia, aut plane iniqua iuris experientia ratio obtinet, prudenti ea consilio tollenda est, aut mutanda.

79 Hactenus de generalibus Reipublicae malis, nunc de specialibus.

80 Totidem omnino sunt mala specialia, quot Rerumpublicarum formae, tum simplices et regulares, tum compositae, seu mixtae et irregulares.

81 Cum uero maximam iam partem ea in superiore de Rerumpublicarum formis tractatione attigerimus, hoc magis eorum recensione hic supersedere possumus, quod, praeter Pusendorfium eiusque imitatores, politici sat multi de iis scripserunt.

82 Praecipui sunt Boxhornius, Arnisaeus, Boecklerus, Hertius.

83 III. *Axiomata* sunt: (1) Idem fere officium sustinet prudens ciuitatis rector, ac diligens prouidusque medicus.

84 (2) Scilicet medicus et sanitatem a morbo immunem praestare, et, si quid morbi extiterit, illud depellere debet, indagata eius origine.

85 (3) Sic imperans prospicere debet ciuitatis saluti, et mala, quibus opprimi ea possit, funditus extirpare.

86 (4) Qua cura, quae medicina tamdiu uigebit stabitque Respublica, donec, uergente paulatim aetate, extremum eius adueniat fatum.

87 (5) Nam uti homines, sic imperia resque cunctas fatalis manet interitus.

SECTION II.

DE IVSTO ET BONO CIRCA REMPVBLICAM, RESPECTV VINCULI SACRI, SEV ECCLESIASTICI.

Vinculum sacrum, seu ecclesiasticum, oritur a con-
fociatione hominum, quatenus rerum diuinarum aut, sa-
crarum, seu religionis, causa coeunt, adeoque ecclesiam in
Republica formant. Cum autem ecclesia perinde, atque a-
liae societales, seu uniuersitates, et constitui debeat, et diri-
gi, et conseruari, agendum hic pariter est (1) de constitu-
tione ecclesiae, (2) de directione eius, (3) de conserua-
tione eius.

MEMBRVM I.

DE CONSTITVTIONE ECCLESIAE.

ARTICVLVS. I.

DE DOCTORIBVS ECCLESIAE.

Ecclesia constituitur ex doctoribus et auditoribus.

I. Praenotio. II. Definitio. III. Constitutio. IV. Distinctio. V. Susten-
satio. VI. Axiomata.

I I.

Praenotio, hic tradenda, spectat potissimum ad ecclesiam.

2 Cum enim omnis, quae nunc sequitur, tractatio de perso-
nis ac rebus, ad ecclesiam pertinentibus, sit futura, ecclesiae etiam
indolem praenotasse operae est pretium.

3 Ecclesia igitur, a Graeco ἐκκαλέειν, h. e. euocare, dicta, ui etymi,
nihil

nihil aliud designat, quam congregationem aliquam euocatam.

4 In duplici autem sensu, profano et sacro accipitur ecclesia.

5 In sensu profano sumitur pro coetu, quamcunque ob causam congregato, qualem Athenienses olim ciues, ius ciuitatis (*σύνοδον τῶν πολιτῶν*) habentes, in comitiis curiisque inibant, iusto a magistratu ordine conuocati.

6 Quo ipso *ἐκκλησία* ab eo conuentus genere differebat, quod *ἐγροαία* dicebatur, quando scilicet promiscua hominum multitudo sine ordinis certi obseruatione in unum coibat.

7 In sacro autem sensu uel proprie sumitur, uel improprie.

8 Proprie, itemque generaliter, pro quacunque concione hominum, religionis causa ad cultum diuinum congregatorum, specialiter uero pro coetu hominum christianorum tum particulari, tum uniuerso, eoque uel externo, seu uisibili, uel interno, seu inuisibili.

9 Improprie pro aede sacra, quae alias templum uocari solet, tanquam loco congregationis, uti talis acceptio occurrit in t. t. de S.S. Ecclesiis, t. t. Extr. de ecclef. aedific. uel reparand.

10 Quam quidem significationem non omnibus omni tempore probatam fuisse, meminit Zieglerus, nonnullos *ἐκκλησιαστίον* pro concionis perinde, ac *θυριαστήριον*, aut *βουλευτήριον* pro sacrificii, aut consilii, loco usurpasse, dicens.

11 Et praedicatorum hinc nasci confusionem, ait Boehmerus.

12 Verum tamen cum impropriam hanc ecclesiae acceptionem non minus, quam propriam, usus loquendi confirmauerit, nos utramque etiam, pro re nata, subinde adhibebimus.

13 Describi autem potest ecclesia, proprie pro coetu publico, eoque externo, sumta, quod sit societas externa hominum, certis temporibus certisque locis, ex certa aliqua norma publicum ac stabilem religionis cultum decenter ordinateque exercentium.

14 Dicitur societas, h. e. complexus plurium personarum, ad certum inter se finem coniunctarum, adeoque personam quandam moralem compositam repraesentantium.

15 Scilicet, quemadmodum in naturalibus res plures, alioquin a se inuicem distantes, nexu aliquo in unum redigi possunt, ita in

moralibus, certo etiam uinculo hominum multitudo ad certum obtinendum finem copulari ac coniungi potest.

16 Et tale quidem uinculum in ecclesia est consentanea cultus diuini ratio, utpote qua euncta eius membra in corpus aliquod, rite ordinateque compositum, coalescunt.

17 Prout autem ratio isthaec uel recta nititur norma, uel minus recta, ipsa etiam ecclesia uel uera est, uel falsa.

18 Habito Reipublicae respectu, ecclesia, partim pro externa eius constitutione, partim pro habitu ciuitatis, qua cum arcte est coniuncta, uarie distinguitur.

19 Scilicet complexus omnium ecclesiarum, unam eandemque religionem in aliqua regione amplectentium, dicitur ecclesia universalis.

20 Diuisa olim in orientem et occidentem Republica Romana, ecclesia etiam in orientalem, seu Graecam, et occidentalem, seu Latinam fuit distincta.

21 Porro ex uaria provinciarum ciuitatumque ratione enatae sunt ecclesiae episcopales, metropolitanae et patriarchales, de quibus prae aliis Regi potest Schilterus.

22 Nota etiam nunc est ecclesiarum Papalium distinctio in cathedrales et collegiatas, quarum illae a cathedra et sede episcopali, Germanice Dom-Kirchen a domino maioris Capituli, haec uero a collegio canonicorum, siue Capitulo, quod una cum praeposito, seu decano eis praeesit, dicuntur.

23 Quanquam collegiatae etiam ecclesiae interdum, sensu tamen improprio planeque abusiue, cathedrales uocari solent, e.g. templum nostrum Academicum, uulgo aedes OO. SS. dictum.

24 Inter Protestantes maxime occurrunt ecclesiae parochiales (Pfarr-Kirchen) a nomine Graeco *παροικία*, h. e. plurium domorum uicinia, ideo dictae, quoniam coetum hominum, intra certos limites iuxta se habitantium, complectuntur.

25 Proinde parochia, seu potius paroecia (Kirchspiel) nihil aliud est, quam uicinia sacra, h. e. populi, certis uicinae limitibus comprehensi, ad unam aliquam ecclesiam collectio.

26 Quem-

26 Quemadmodum parochus, seu paroecus (Pfarrer) est minister ecclesiae, parochianis, seu paroecianis, h. e. sacrae alicuius, uicinae inhabitatoribus (einer Gemeinde) praepositus.

27 Ita scilicet, ut nullam dignitatem, aut iurisdictionem habeat, sed animarum duntaxat curam agat, siquidem ecclesia, ipsi commissa, alias curata (unde Gallorum cure et curé descendit) uocari solet.

28 Hinc etiam est ius parochiale, de quo ex instituto scripsit Boehmerus, sicut de bonis parochialibus Müllerus.

29 Cum autem ecclesiae parochiales tam extra, quam intra urbes existant, aliae etiam dicuntur urbanae, aliae rusticae.

30 Inter urbanas aliquibus locis una est instar matris, ecclesia primaria (Haupt-Kirche) dicta, ceterae uero sunt quasi filiae.

31 Inter rusticas pariter una matris, altera filiae nomen habet, appellatione hac ideo recepta, quoniam ecclesia mater et filia non secus, ac parentes et liberi, ad se inuicem respectum habeant.

32 Scilicet, quemadmodum mater liberis suis prospicere debet, ita ecclesia illa, quae et aedem sacram et parochum, in eodem loco habitantem, habet, ueluti mater quaedam, alteri, quae sacras tantum aedes, non proprium suum pastorem, habet, tanquam filiae, parochi sui opera subuenire debet.

33 De ecclesia matre scripsit Baumgaertnerus, de ecclesiis autem filiabus Rieffius et Hertius.

34 A filiali tamen ecclesia ea differt, quae incorporata (eingepfarrte Gemeinde) dicitur, hoc nimirum sensu, quod, sacris destituta aedibus, alterius loci sacra frequentat, adeoque alienae membrum ecclesiae existit.

35 Quocunque autem nomine ueniat ecclesia, non aliter concipi debet, quam instar universitatis, aut societatis aequalis, hocque adeo respectu ab omni imperio immunis.

36 Dico, hoc respectu, h. e. quatenus membra eius, qua talia, spectantur.

37 Cum enim ad unum omnia finem, certae nimirum, religionis exercitium, decenti quidem ordine, libera tamen mente faciendum, simplici obligatione sese consociant, neque adeo unius personae

sonae, uel concilii uoluntati, suas omnino uoluntates subiiciant, etiam aequalia manent.

38 Eatenus scilicet, ut nullus imperii et subiectionis respectus inter ea, qua membra ecclesiae, obtineat, sed omnia iisdem fruatur iuribus, et negotia, ad Ecclesiam pertinentia, qua talia, communi consilio ac suffragio expediant.

39 Nec obstat, quod ecclesia certos habeat doctores, qui non tantum instruendo, monendo precandoque, sed etiam reprehendendo et obiurgando, imo et reprobando et excludendo, cultus diuini rationem asserere tuerique debeant.

40 Tales quippe doctores non ciuile obtinent imperium, in cogendi, puniendi, iudicandi, statuendique potestate consistens, sed facultatem publico ecclesiae nomine ea prae aliis curandi, quae obtinendo ecclesiae fini prodesse uidentur.

41 Ita nimirum, ut amore pioque zelo, in primis exemplo, aliis praeceant, non ui et coactione externa doctrinam cultusue diuini rationem imperent, ut infra dicemus.

42 Cum enim religio ex propria cuiusque conscientia, non alieno pendeat decreto, nullus ecclesiae doctor ita constitui potest, ut cetera ecclesiae membra suam ei uoluntatem omnino subiecisse, eiusue arbitrium caeca quadam obedientia in omnibus sequi debere censeantur.

43 Secus comparata est societas ciuilis, qua talis, utpote in qua omnes et singuli unius uel hominis, uel coetus, uoluntati in negotiis, ad Rempublicam pertinentibus, nec diuinae aduersantibus uoluntati, omnino subesse debent.

44 Ideo, quia in tanta uoluntatum propensionumque humanarum diuersitate praeter eiusmodi subiectionem nullum aliud seruandae incolumitatis ciuilis remedium suppetit, ut supra docuimus.

45 Quicquid itaque praepositi ecclesiae doctores, ui ordinis, inter membra constituti, possunt, id sine ulla imperandi potestate est, eoque tantum pertinet, ut negotia, in communi peragenda, publico nomine dirigere, et peculiaria, quibus prae aliis idonei sunt uisumunia obire possint.

46 Ne-

46 Neque adeo propria quadam auctoritate per modum imperii membrum aliquod indignum, aut putidum excludere possunt communitate, sed nomine totius ecclesiae per modum censuræ, communi decreto receptæ.

47 Scilicet unusquisque statuta societatis, cui se addicit, obseruare debet.

48 Si secus fecerit, nec leniore, quæ forte constituta est, coercionem in uiam reduci possit, nullum aliud suppetit remedium, præterquam exclusio, communi suffragio faciendæ.

49 Proinde nec clauēs regni coelorum, ecclesiæ christianæ ministris concreditæ, aliam complectuntur potestatem, nisi ministerialem, ut sinceram iuris huius intellectionem exponit Boehmerus.

50 Quæquam tale censurarum ecclesiasticarum exercitium, siquidem ciuiles etiam effectus habet, nequidem sine consensu magistratus politici, saltem senatus ecclesiastici, magistratus nomine decidentis, hodie fieri potest.

51 Quippe magistratus, aut Princeps, uel summæ potestatis, quam in omnia collegia omnesque societates perinde, atque in ciuitatem uniuersam, exercet, etiam ecclesiæ eatenus providere debet, ut cuncta eius negotia ad Reipublicæ salutem referantur.

52 Namque pro certo ponendum est, Dei cultum, quo purius, sanctius meliusque exerceatur, eo magis etiam Reipublicæ prodesse, ut de christiana sigillatim religione ex instituto docent Pufendorfius, Rechenbergius et Buddeus.

53 Dicimus autem, ecclesiasticam Principis curam summæ niti potestate.

54 Non ergo, ut primarium ecclesiæ membrum, siue ut summus eiusdem episcopus, sacrorum ius habet Princeps, sed ut summus reipublicæ rector, qui eo, quod ecclesiæ accedit, ius illud summum, quod uel imperii in totam exercet ciuitatem, haud amittit, sed usque retinet.

55 Scilicet notum est, unum hominem, pro uario, in quo uiuit, statu, uarioque, quo considerari potest, respectu, uarias etiam personas sustinere, uariaque et iura habere, et munia obire posse.

56 Itaque Princeps in Ecclesia consideratur, ut membrum, quod

D d d d d

eo

eo respectu, etiamsi praecipuum sit, nullum prae ceteris ius potius habet, adeoque nec potestatis quicquam hoc nomine exercere potest.

57 At extra ecclesiam, respectu imperii, sicut in ciuitatem uniuersam, ita in omnia eius collegia omnesue societates, adeoque etiam ecclesiam, ad ipsum pertinentis, consideratur ut Princeps, qui imperii eiusmodi iura ubique fini proposito conuenienter exercere potest, ac debet.

58 Est igitur ecclesia in Republica, ueluti societas quaedam externa, in se aequalis et libera, adeoque nullum imperandi parendique ordinem, nullumue imperii et subiectionis respectum inter membra, qua talia, complectens.

59 At politicus tamen magistratus imperium in eam obtinet, si quidem personae ac res ecclesiasticae perinde, atque ciuiles, Republica comprehenduntur.

60 Quicquid autem ciuitate continetur, id ciuili quodammodo potestati subest.

61 Equidem ab aliis collegiis, seu societatibus hoc maxime differt ecclesia, quod etiam extra Rempublicam et sine publica eius approbatione, tolerantia et communione subsistere possit, alia uero collegia non aequae.

62 Scilicet, cum aliae uniuersitates ciuile aliquod commercium bonumue temporale pro scopo habeant, non possunt non ex Republica pendere, eiusue communitate et fortuna bene aut male agendi rationes habere suspensas.

63 Contra ecclesia finem suum spiritualem, Religionis nempe exercitium cultumue diuinum, etiam sine omni Reipublicae rerumue ciuiliu concursu, nexu, aut subsidio obtinere potest, ut primitiuae christianorum ecclesiae testantur.

64 Verumtamen eo ipso, quo ecclesia in Republica, eadem praesertim sacra colente, consistit, et publica eius auctoritate, ordinatione et communitate nititur, ciuilis quodammodo uniuersitatis naturam induit, h. e. publicos ac peculiare iuris effectus percipit, quos extra Rempublicam in statu priuato haud habet.

65 Imo hoc respectu tam arcte cum Republica coalescit, ut nonnullis Respublica dicatur ipsa ecclesia, scilicet non formaliter, seu ab-

abstracte, sed identice, seu concrete, ut Philosophi loqui solent.

66 Scilicet idem magistratus politicus iidemque ciues, qui Rempubicam, seu societatem ciuilem inaequalem, imperio ciuili constituant, etiam ecclesiam, seu societatem sacram æqualem, stabili religionis communione formant.

67 Ita tamen, ut diuersus utrobique respectus minime tollatur.

68 Nimirum, qui, habita ratione societatis ciuilis, seu Reipublicae, ut imperantes, uel parentes, sunt inaequales, iidem illi in ordine ad societatem sacram, seu ecclesiam, ut doctores, uel auditores, manent aequales.

69 Quo respectu manente, manet etiam, quicquid ex eo pendet.

70 Et hoc sensu nos in rubrica partis huius politicae principalis diximus, bifariam considerari posse Rempubicam, tum respectu uinculi ciuilis, tum respectu uinculi sacri, seu ecclesiastici.

71 Ex hactenus dictis uariae sequuntur conclusiones.

72 Scilicet primum hinc fluit, frustra quaeri, quanam ecclesiae sit forma, an monarchica, an aristocratica, an democratica?

73 Cum enim ecclesia, quippe societas æqualis, nullam completatur politiam, h. e. nullum imperandi parendique ordinem, nec forma politica (*ἡμετα πολιτικὸν*) in eam cadit.

74 Neque adeo audiendi sunt Pontificii, qui, suam, quam fingunt, hierarchiam uindicaturi, mirum in modum hic controuertunt, aliis, Romani Pontificis gratia, monarchicam, aliis, Gallicanæ potissimum ecclesiae causa, aristocraticam defendentibus.

75 Porro falluntur iidem Pontificii, quando, ecclesiam uel solum Pontificem, uel saltem clerum, Pontifici dominanti subordinatum, designare, contendunt.

76 Nam ipsa ecclesiae notatio arguit, eam esse collectionem, ex pluribus personis, ad eundem finem contendentibus, factam.

77 Denique nec uulgaris probanda est distinctio ecclesiae in tres illos ordines, seu status, quos ecclesiasticum, seu cleri, oeconomicum, seu subditorum, et politicum, seu magistratus, (*Lehr-Nehr- und Wehrstand*) uocare solent.

78 Quamuis enim homines, in triplici hoc ordine constituti, sint membra ecclesiae, non tamen sub triplici isthoc respectu in eccle-

fia considerantur, nec etiam accommodate considerari possunt.

79 Hinc quippe sequeretur, clericos, siquidem in distributione illa ordini magistratus et subditorum opponuntur, independentes esse, et negotia ecclesiastica uel solos dirigere, uel saltem cum Principe, ita, ut sine illorum concursu hic nihil in sacris possit, ut uberius hoc declarat Boehmerus.

80 Quae assertio hoc magis est reiicienda, quod stabiliendo clericorum dominatui ualde patrociniatur.

81 Aptissima itaq; distinctio ecclesiae est in doctores et auditores.

82 De doctoribus igitur cum articulo hoc agere ingressi sumus, ante omnia eorum descriptionem dare iuuat.

83 II. *Definiri* potest ecclesiae doctor, quod sit persona, ob certa, quibus instructa esse debet, requisita, ad hoc legitime constituta, ut certae religionis cultum secundum certam normam in ecclesia doceat, aliosque actus sacros officio suo conuenienter peragat, ad obtinendam hominum salutem amplificandamque Dei gloriam.

84 Est haec definitio realis, ab ea, quae nominalis dicitur, diuersa, quando scilicet, ecclesiae doctor alias dicitur sacerdos, minister ecclesiae, pastor, seruus Dei, praeco sacer.

85 Quibus quidem nominibus partim dignitas eius, partim necessitas indicatur, ut peculiari id scripto probauit Goetzius.

86 Cum enim in exponendis sanctioris doctrinae praeceptis instituendoque Dei cultu uersetur, praestantissimo eum officio fungi, credendum est.

87 Nec magis populi coetus, in ecclesia consociatus, apto dignoque doctore carere potest, quam pecudum grex bono fidoque pastore.

88 Dicimus, apto dignoque doctore, cum talis utique esse debeat, qui ceteris ecclesiae membris utilem docendo operam praestare uelit.

89 Quapropter certis eum requisitis instructum esse oportet.

90 De his autem requisitis non eadem omnium est sententia, cum alii, et animi, et corporis, et fortunae rationem hic habendam esse, contendunt, alii secus.

91 Scilicet mentem requirunt puram, nullis deditam cupiditatibus, sed solius uirtutis, pietatis maxime, amantem.

92 Athe-

92 Athenis sane nullus constituebatur sacerdos, qui non castissimis erat moribus, ab omni uoluptate, ceteris alioquin hominibus licita, plane abstinens, ut late hoc exposuit Potterus.

93 Et, siquidem iuuenes nec temperare sibi ab affectibus possunt, nec muneris sanctioris auctoritatem sustinere, iusta etiam requiritur aetas,

94 In corpore spectandam esse, dicunt, integritatem, cum apta quadam membrorum figura et eximia oris specie coniunctam.

95 Idem et Graeci senserunt, qui, homines claudos, mancos, ulloque membro mutilos Deorum ministerio indignos iudicantes, sacerdotes suos, an integri (ἀφελῆς) essent, ante consecrationem explorare solebant, teste eodem Pottero.

96 Sic corpora insigniter uitiosa a sacris arcentur Levit. XXI. 18.

97 Ratione fortunae denique requirunt, ut genere nobiliori sint prognati.

98 Antiquos pariter uiris praecipuis sacra demandasse munera, eosdemque Principibus secundos, ceteris autem hominibus cunctis honoratiores habuisse, modo excitatus refert Potterus.

99 Apud Iudaeos etiam ius sacerdotii (ἡ τῆς ἱεροσύνης μεταβολή) nobilitatis argumentum (τεκμήριον γένους λαμπρότητος) exitit, teste rerum Iudaicarum scriptore, Iosepho.

100 Verum, qui aliter sentiunt, ii pauciora nolunt requisita.

101 Idque haud perperam, cum, quicquid in ecclesiae doctore maxime requiritur, id omne ad duo potissimum capita, doctrinam et uitam, referri posse et nobis uideatur.

102 Ratione doctrinae quidem requiritur, (1) ut doctor ecclesiae religionis dogmata probe habeat perspecta, (2) ut ea auditoribus suis recte beneque tradere sciat, (3) ut aduersariis, ea oppugnantibus, par omnino sit.

103 Cum enim, ut ipsum indicat nomen, praecipuum doctoris ecclesiae munus sit docere, h. e. auditoribus suis credenda et facienda ita proponere, ut certam sufficientemque religionis cognitionem acquirere possint, ea utique facultate instructus esse debet, quae tali doctori opus est.

104 Ratione uitae requiritur, ut, quam ore scriptoque profite-

D d d d 3

tur

tur religionem, eam inculpatis quoque moribus probet, adeoque suo aliis exemplo praeceat, omnem scandali materiam deuittans.

105 Quippe non adeo amplum in auditoribus fructum feret doctrina, si moribus aliam doctor uiam sequitur, ac uerbis praefribit.

106 Et inculpatos eiusmodi mores non solum obtento sacerdotio, sed etiam, antequam id obtineat, probare debet, quo bona de ipso opinio concipi possit.

107 Non nisi licitis ex conscientia modis sine omni simoniae culpa munus ecclesiasticum impetret, impetratum in pio animi timore suscipiat, susceptum sedulo prudenterque administret.

108 Idcirco christianae Theologiae cultori uaria commendari possunt scripta, quae docti piique uiri eam in rem ediderunt, uti Tarnouius, Bechmannus, Raupachius, Fechtius, Breithauptius, Grünenbergius, Langius etc.

109 De inuolucris simoniae detectis erudite scripsit Boehmerus.

110 Quod si ea, quae diximus, requisita adfuerint, tum demum ecclesiae doctor sacro praesse potest officio, eaque rite peragere, quae obtinendae hominum saluti, amplificandaeque Dei gloriae inferuire queant.

111 Hic quippe finis est muneris, ab ecclesiae doctore suscipiendi.

112 Quas uero partes illud complectatur, quoque modo debeat obiri, infra, ubi de iurerna potestate ecclesiastica erit agendum, uberiorius explicabimus.

113 Dummodo officium tale legitima obtentum sit uia.

114 Quippe ecclesiae doctorem ad id, ut sacrum in ecclesia munus obeat, legitime constitutum esse oportere, diximus.

115 III. *Constitutio* autem legitima esse debet ratione causae et modi.

116 Causa constituens non una in omni ecclesia esse potest, sed, pro diuerso ecclesiae statu, etiam diuersa.

117 In naturali quidem statu ius constituendi doctorem ecclesiae est penes ecclesiam uniuersam, utpote quae, pro societatum aequalium indole, naturaliter habet facultatem negotia, ad necessitates utilitatesque suas pertinentia, ordinandi.

118 In statu autem ciuili uel sola pariter ecclesia, uel magistratus una cum ecclesia, eiusque patrono, si talis adest, doctores constituere

ere potest, ita ut singulis certa ueluti portio iuris huius assignetur.

119 Ecclesia tum demum sacros sola doctores ordinat, cum imperans, diuersae maxime religionis, ecclesiae curam sibi haud asserit.

120 Econtrario, si ciuitates earumue rectores ecclesiae perinde, atque aliis in Republica societatibus, prospicere student, iure imperii, ordinis pacisque conseruandae causa, sacros etiam doctores constituere possunt.

121 Dummodo ne, ecclesia graues ob causas dissentiente, id fiat.

122 Cum enim ciuilis pariter tranquillitatis, atque salutis ecclesiasticae interfit, talem cuique ecclesiae praefici doctorem, quem ipsa probatum sibi acceptumque doctrinae ac uitae fiducia declarat, ipsa etiam consentiente, constitutionem fieri, par est.

123 Ideo Graecos plerosque, ex uetustissima consuetudine, populari electione suos constituisse sacerdotes, supra excitatus refert Potterus.

124 Diuersam hic sententiam fouent Pontificii, qui, soli clero ius isthoc adscribentes, magistratum ciuilem ab omni eius communi-
one excludunt, ut expresse cautum est in Concilio Tridentino.

125 Sed assertio haec, quippe sacrum redolens dominatum, merito improbatur cordatioribus protestantium doctoribus, qui ius tale, saltem inter imperantes et ecclesias earumque patronos, distributum admittunt.

126 Ita scilicet, ut potius semper ius imperanti ex summa maneat potestate, et post eum patronus ecclesiae praecipuas habeat partes.

127 Quis autem ecclesiae patronus sit, quidue sigillatim de eo feri mereatur, antea nunc exponere iuuat, quam ad ipsam sacri doctoris constitutionem modumue constituendi aggrediamur.

128 Patronus est ille, qui habet ius, seu facultatem personam idoneam ad munus ecclesiae uacans, cum, uel sine consensu ecclesiae, summo imperanti, eiusue consiliorio nominandi, seu praesentandi, eum in finem, ut praesentato munus istud conferatur.

129 Sumitur ergo uox patroni in ecclesiastico hic sensu, non ciuili, quo eum denotat, qui uel ex seruitute manumisit, indeque certam in liberti personam eiusque bona ius acquisiuit, uel causam alienam agit, uel denique clientibus defensionem ac protectionem
prae-

praestat, Graecis *πρωτεύς*. item *ηγεμονικός*, nec non *βουλευτικός* dictus.

130 Quanquam ultima haec acceptio ad sacra etiam transferri solet, e.g. quando pagani Deos suos tutelares uocarunt patronos, et Pontificii, more a paganis accepto, sanctos illos, quibus regna, collegia, aut ordines in tutelam committunt, aut sua consecrant templa, patronos nuncupant, quorum catalogum sat longum recenset Finckelthausius.

131 Dicitur patronus, qualis hoc loco intelligitur, alias collator, Germanice Pfarr-oder Kirchen-Lehn-Herr, geistlicher Lehn-Herr, quemadmodum ius patronatus, hoc nomine ipsi competens, uocatur ius collaturae, Pfarr-oder Kirchen-Lehn, alias gratia, seu ius gratiosum.

132 Hinc ipsa etiam ecclesia, quae talem habet patronum, patronata nuncupatur, illi, quae libera dicitur, opposita.

133 An autem ius patronatus apte nominari possit electio, non magis disquirere nunc animus est, quam de origine eius multum disceptare.

134 Scilicet notum est, alios primordia huius iuris concilio Toletano primo, alios nono adscribere, alios denique id longe antiquius censere.

135 Tantummodo causae, cur introductum esse uideatur, meminisse placet.

136 Causa fuit remuneratio liberalitatis, quam homines, religione christiana quasi ex tenebris in lucem emerfa, in extruendis dotandisque templis exercebant.

137 Scilicet cum procuratio sacrorum uarios postulet sumptus, statuerunt ecclesiae antistites, ut, qui sacrum domicilium suis aedificaret sumptibus, et praediis pecuniisue suis ecclesiastica constitueret bona, praemii loco, ius patronatus, h. e. nominandi pastorem in ecclesia illa nancisceretur.

138 Idque non modo intra eam, cui subditus sit donator, ditio- nem, sed in alieno etiam territorio secundum can. 9. concilii Arausiacani, ut peculiari de hoc commentatione docuit Peyrus.

139 Et tale ius uariis identidem constitutionibus fuit confir-
matum.

140 Quo

140 Quo factum, ut homines, mercede hac allecti, eo prouiores ad ædificandum donandumue extiterint, quo maiorem in eiusmodi largitione pietatem, inualecente superstitione, posuerunt.

141 Maxime sacerdotes Pontificii ad sacram auri famem subinde explendam instituto hoc, pro calliditate sua, abuti norunt.

142 Cum autem propter abusum non tollendus sit usus, etiam, infecuta reformatione, repurgatae a corruptelis ecclesiae ius patronatus nequaquam suis proscribendum finibus, sed potius ubique locorum retinendum esse, duxerunt.

143 Idq; merito, cum iniquum utiq; fuisset, patronos iure suo quæsito priuare, non restitutis, quas eo nomine erogauerant, opibus.

144 Nec iniustum censi potest ius isthoc, aut perniciosum, ut quidem nonnulli eius oppugnatores putant, nominatim Voetius et Triglandus.

145 Nam primum iuri diuino neutiquam aduersatur, utpote quo ius istud certis hominibus immutabiliter collatum esse, nullibi apparet.

146 Naturali autem iuri plane consentaneum est, eum, qui singulari societatem aliquam beneficio affecerit, mutuum grati animi officium accipere, hocque adeo nomine ius aliquod bona ex uoluntate, consentientibus eis, quorum interest, consequi.

147 Deinde nec summae imperantis potestati quicquam detrahit, cum ille facultatem hanc patrono non abdicatiue, seu priuatiue, sed cumulatiue, seu communicatiue, concefferit, salua electionem, a patrono factam, approbandi reiiciendiue potestate.

148 Denique nullum plane damnum afferre potest ecclesiae, cum patronus idoneum duntaxat doctorem nominandi, non inuitae quemlibet ecclesiae obtrudendi ius habeat, adeoque, si forte iure hoc abuti uelit, Princeps, ne detrimenti quid capiat ecclesia, prouidere possit.

149 In eo autem abusus maxime consistit, (1) si patronus, ecclesia, cuius tamen causa maxime agitur, inconsulta, aut inuita, doctorem instituendum praesentat, (2) si electionem muneribus quasi uenalem habet, (3) si cognatos, aut ditiores, peregrinis, seu exulibus, aut pauperioribus praefert, (4) si iniquis turpibusue sub conditionibus praesentationem facit.

E e e e

150

150 Ergo patronus nominatum abs se doctorem reuersalibus, ut uocantur, literis sibi obligare non potest, nisi literas tales alicubi, e. g. in ciuitate municipali, exigere, lege, aut consuetudine liceat, ut fufius hoc latiusque declarauit Hornius.

151 Nec suspectum aliquod matrimonium electionis sit caussa.

152 Equidem conditio, ut nominandus defuncti doctoris uiduam, aut filiam ducat, in Saxonia aliisque locis eatenus pro turpi non habetur, quoad cetera sint paria.

153 Attamen non defunt, qui conditionem hanc, quippe licitam magis, quam honestam, utiq; reprehendunt, ut Stryckius et Peyerus.

154 Patet hinc, quale patroni in exercendo hoc iure sit officium.

155 Itemque ex iis, quae supra diximus, colligi potest, quibus potissimum modis acquiri possit ius patronatus.

156 Scilicet modi originarii, iidemque ordinarii, seu regulares, sunt (1) fundatio, (2) aedificatio, (3) restauratio, (4) dotatio ecclesiae.

157 Quanquam non una ubique locorum ratio deprehenditur.

158 Saltem inter nostrates sine consensu domini territorialis nec restaurari potest ecclesia, nec aedificari, adeoque nec ius patronatus acquiri.

159 Extraordinarii, seu irregulares modi sunt praescriptio et priuilegium.

160 At itidem diuersa hic obtinet ratio, cum praescriptio, nisi immemorale accedat tempus, uix locum inueniat, priuilegium uero a summo imperante tum demum concedi possit, si noua constitutur ecclesia, ne quaesitum forte ius cuiuspiam auferatur.

161 Deriuatiui denique modi sunt alienatio et successio, illa scilicet fit inter uiuos quocunq; contractu, u. c. donatione, permutatione, uenditione, haec mortis caussa hereditate, aut legato.

162 Plures autem unius ecclesiae possunt esse patroni, e. g. si unus eandem fundet, alter exstruat, tertius dotet.

163 Quo quidem casu uel alternatim ius nominandi exercendum, qualis praesentatio canonistis dicitur praesentatio per turnum, uel coniunctim.

164 At dissidentibus interuenit Princeps, pro regio patronatus iure, s. summa, quam habet, potestate, constituendo doctorem.

165 Idque

165 Idque tum maxime, si tempus lege constitutum, sit elapsum.

166 Tale autem tempus iure Canonico est quadrimestre, si patronus est laicus, sin clericus, semestre.

167 Quanquam nostris moribus annus gratiae hic attendi solet.

168 Cum itaque, iusto praeterlapso tempore, patronus, interueniente Principe, ius nominandi amittit, amissio dicitur ex parte, et pro tempore.

169 Opposita scilicet illi, quae dicitur amissio in totum ac perpetuum, et uariis euenire potest modis, e. g. ruina templi, remissione uoluntaria, abusu et praescriptione.

170 Diximus, pro diuersitate patroni, diuersum quoque tempus hic praescribi.

171 Vnde apparet, duorum ideo generum statui ius patronatus, aliud ecclesiasticum, aliud seculare, quorum illud ex bonis ecclesiae, hoc autem ex bonis priuatis, ecclesiae concessis, nascitur.

172 Addunt nonnulli tertium genus, nempe ex utroque mixtum.

173 Sed, quicquid discriminis in cleri Pontificii gratiam hic statuitur, uix ullum inter Protestantes usum habet, secundum ea, quae iam monuimus.

174 Diximus etiam, Principem habere ius patronatus regium.

175 Quo ipso noua existit iuris huius distinctio, in regium scilicet et uulgare, quorum illud in summa fundatur potestate, quam Princeps habet, hoc autem secus, ut hactenus dicta declarant.

176 Variis itaque modis, uti fundamento, subiecto, et adiuncto, inter se differunt.

177 Inter adiuncta autem iuris patronatus uulgaris duplex potissimum ius referri solet, honorificum, ut uulgo dicitur, et utile.

178 Illud in eo consistit, ut patronus (1) in aedibus sacris actibusque publicis, adeoque etiam inuestiturae, cui interesse debet, honoratorem habeat locum, (2) publicis Deo precibus nominatim commendetur, (3) nominis insigniumque suorum memoriam in templo possit conseruare, (4) publico post mortem luctu honoretur.

179 Hoc alimenta potissimum complectitur, quibus patronus, extrema pressus inopia, ab ecclesia patronata, non secus, ac pater (unde etiam patronus appellatur) a filio, uel filia, sustentari debet.

E e e e 2

180 Quod

180 Quod tamen ecclesiae protestantes hoc minus obseruare possunt, quod ea prouentuum redituumque ubertate, qua pontificiae abundant, plerumque deficiantur.

181 A nonnullis hic refertur census annuus, patrono ex redditibus ecclesiae praestandus, si talem ab initio in fundatione, uel dotatione ecclesiae sibi reseruauit.

182 Imo et decimas ex parochia patronata, in alieno praesertim territorio sita, certa sub conditione, in Heluetia maxime, a patrono percipi, docet Peyerus.

183 Cum autem sine incommodo uix ullum obtineri possit commodum, etiam patronus, quicquid honoris utilitatisue percipit, cura quadam et molestia redimere debet.

184 Quippe conuenit ei, rerum ecclesiasticarum curam agere, bona ecclesiae patronatae rite administrare, uel saltem, ut rite dispensentur ac conseruentur, prouidere, eumque in finem reddendas a parocho et praefectis aerarii rationes certo tempore urgere.

185 Ceterum, quid parochus debeat patrono, et hic uicissim illi atque ecclesiae patronatae, duabus dissertationibus pertractauit Haynensis dioeceseos superintendens, Clodius.

186 Plura de iure patronatus, praeter iuris ecclesiastici doctores, ex instituto scripserunt Tutius, de Curte, Stephani, de Roye, Dalnerus, Finckelthausius, Weberus, Vnrath, Faber, Schockius, Vngebauer, Strauchius, et Peyerus.

187 Nunc ipsa doctoris ecclesiae constitutio tradenda uenit, quae naturaliter duobus absoluitur actibus, delatione et acceptance.

188 Quibus autem modis delatio debeat fieri, non magis diuino decretum est iure, quam, quibus ea personis, siue in totum, siue ex parte, competat.

189 Nostris Christianorum institutis, et imperantis, et ecclesiae, et eius patroni, si talis adfuerit, certas hic esse partes, iam diximus.

190 Hinc certi etiam actus existunt, qui summatim ad duos referri possunt, praesentationem scilicet et confirmationem.

191 Illa ab ecclesia eiusue patrono, haec ab imperante fieri solet.

192 Cum autem utraq; in generali accipiatur sensu, adeoque speciales comprehendat actus, ordine nunc singulos pertractare iuuat.

193 Ad

193 Ad praesentationem pertinet (1) nominatio, h. e. actus, quo plures personæ ad munus ecclesiasticum idoneæ a patrono designantur, et ecclesiae ad uidendum et audiendum in suggestu sistuntur, eum in finem, ut ea, quae prae ceteris approbata fuerit, legitime uocetur.

194 Dicimus, nominationem talem, in sensu arctiore acceptam, ad patronum pertinere, regulariter scilicet, cum alias uel a domino territorii, aut ipsa ecclesia patronata possit fieri, uel plane omitti.

195 Maxime, si patronus aliam, atque ecclesia, religionem profiteatur.

196 Dicimus porro, nominatum ideo ecclesiae in suggestu sisti, ut, facta demum approbatione, munus consequatur.

197 Ergo habitam ab eo concionem probatoriam, seu exploratoriam (δοκιμαστικήν) sequi debet iudicium (δοκιμασία) auditorum, an nominatus ministerio sit idoneus, ipsisque acceptus, nec ne.

198 Cum autem uulgus iniquo saepe affectu abripi possit, ipsius iudicio non semper stari oportet, sed iustas, cur nominatum recuset, causas ab eo deposci, fas est.

199 Quas si allegare potest, non facile reiectus inuitis obtrudi debet auditoribus, sin minus, dissensus uocationem candidati, ab intelligentioribus approbati uiris, impedire haud potest.

200 Idcirco patronus in facienda nominatione non tantum se, sed alios etiam audire, adeoque hoc cautius agere debet, quod nominati abs se candidati reiectionem in suum cedere dedecus, nouit.

201 Eamque ob causam ueteres trinundinum habebant, quo uocandorum ecclesiae doctorum nomina per tres sacros conuentus publice promulgabantur, admonito populo, ut, siquid reprehensione dignum de uocando nossent, id interea singuli proferrent, teste inter alios Socrate.

202 (2) Admissio ad concionem pirasticam, quae quidem a primario loci, seu districtus pastore decerni plerumque solet, interdum tamen ab aliis etiam concedi potest.

203 Dummodo ipsa concio debita procedat ratione, quippe cum tanta eius sit necessitas, ut, ea omissa, uocatio, a subditis facta, habeatur pro nulla.

204 Quapropter officio conuenienter agit superintendens, si non modo post concionem ex parochianis, quid de nominati doctrina donisque sentiant, exquirat, sed etiam ante eam examinis quicquam cum candidato instituit, ut tanto certius de eo iudicium ferre possit.

205 (3) Electio, qua ex pluribus nominatis uni munus ecclesiasticum, sub conditione futurae confirmationis, a patrono confertur.

206 Dicimus, a patrono, quia hic etiam actus regulariter ad eum spectat.

207 Negari tamen non potest, quod interdum ex arbitrio parochianorum pendeat, ita, ut omnes ad ferendum rite suffragium admittantur.

208 Quo quidem casu perinde, atque alias, maiora ualere debent.

209 Ceterum uarii electionis modi apud iuris canonici et ecclesiastici doctores occurrunt, quales sunt scrutinium, compromissum, inspiratio, fors.

210 De sorte quidem multi ambigunt, sed eam non omnino reiciendam esse, aliquoties iam monuimus.

211 Imo iniquos prauosque hominum respectus in eligendo ecclesiae doctore nulla uia melius, quam sortitione, euitari posse, contendit Titius.

212 Cum electione inter protestantes conuenit postulatio, qua Princeps iuxta instrumentum pacis ad episcopatum ex ipsa suffragiorum requisitorum collectione, non ecclesiae superioris admissione, euahitur.

213 Ita scilicet, ut sine Pontificis approbatione inuestiri possit.

214 (4) Vocatio, qua patronus electo uel uiua uoce, uel (quod regulariter fieri solet) literis electionem significat, eidemque munus ecclesiasticum obeundi facultatem concedit.

215 Scilicet uocatio talis perinde, atque ceteri actus, iuri quidem patronatus plerumque adhaeret, interdum tamen ad parochianos pertinet, aut senatum urbis.

216 Vnde ius uocandi ad ius patronatus probandum nullum habet momentum.

217 Quod si autem patronus uocandi potestatem habet, cauere debet,

debet, ne literis uocationis insolitas suoque iuri minime congruentes inferat clausulas.

218(5) Praesentatio, in sensu stricto accepta, qua patronus electum et uocatum cum literis uocationis et praesentationis ad domini territorialis consistorium, confirmationis causa, ablegat.

219 Dicitur talis praesentatio Iustiniano nominatio in Nou. 123. c. 18.

220 Stylo scilicet non magis iuri civili, quam Latinis antiquioribus usitato, quo ea praecipue electio uocatur nominatio, quam a superiore confirmari oportet.

221 Diuersos autem actus nobis hic esse nominationem et praesentationem, ex iis, quae dicta sunt, patet.

222 Ceterum tam essentialis et propria iuris patronatus pars est praesentatio, ut, qui eius faciendae ius habet, uel solo hoc nomine patroni praerogatiuam et dignationem (*ἀξίωμα*) consequatur.

223 Hinc patronus etiam uocatur praesentator c. 4. x. de offic. iudic. ordin.

224 Diximus, in eo potissimum consistere praesentationem, ut electus ad consistorium ablegetur, h. e. praesens ei sistatur, et coram offeratur.

225 Cum enim, uti mox dicemus, examinari debeat confirmandus, necesse utique est, ut ipse compareat.

226 Nisi si uel antea iam, sacro functus munere, uirtutem doctrinaeque suam abunde probauit, uel grauiore quadam causa, quominus praesens adesse possit, impeditur.

227 Quod si igitur dominus territorii eiusue consistorium rationem, cur praesentatus iuste recusari possit, haud inuenit, hoc magis ratam habere debet praesentationem, quod ea praecipuum, ut diximus, patroni ius complectitur.

228 Sed satis de actibus praesentationis, ad ecclesiam eiusue patronum pertinentibus, nunc eos ordiemur, quibus confirmationem absoluit imperans.

229 Tales apud nos potissimum habentur quatuor sequentes.

230 (1) Examen, h. e. actus, quo consistorium eiusue assessor ecclesiasticus futuri ecclesiae doctoris, a patrono praesentati, uitam, doctrinam et eruditionem inquirat.

231 Sunt

231 Sunt utique causae, cur examen uocationi deberet praemitti.

232 At, ubi ius constituendi inter imperantem et ecclesiam est distributum, uix alius obseruari potest ordo.

233 Quid autem prohibet, quo minus praesentatus, si necessarius destituitur requisitis, domum redire, et munere, quod expetit, digniorem se reddere iuberi possit?

234 Annon praestat, eiusmodi repudio exiguum aliquod incommodum potius subire, quam indignum admittendo hominem ingens ecclesiae damnum afferre?

235 Profecto longe melius cum ecclesiis nostris ageretur, si rudes indignique doctores nec admitterentur inconsultius, nec patientius retinerentur.

236 Quid enim magis ignauiam uiuendiq; licentiam eorum, qui sacra profitentur studia, alit, quam nimiae facilitatis lenitatisq; fiducia?

237 Norunt quippe, interponente commendationem patrono, in munus se facile immitti, ne facile ex eo emittantur, ministerii obflare honorem.

238 Haec obrepenti ad sacerdotium uia, haec manendi in eo causa.

239 Quasi uero unius alteriusue hominis gratiae plus dandum esset, quam integrae alicuius ecclesiae saluti, et turpius foret, ab officio impium dimouere doctorem, quam labem, ex summa eius indignitate ministerii ecclesiaeque dignitati adpersam, tolerare.

240 Imo satius esse, sine sacerdotio uiuere, quam rudes prauosque habere sacerdotes, in erudita de summo sacerdotio dissertatione scribit Grotius.

241 Ceterum haud spernendum hic est consilium Brunnemanni.

242 Scilicet de conuersatione studiosorum, cum pio aliquo doctoque ecclesiae pastore sic instituenda, ut examinati inter candidatos referrentur, consignata de singulis censura.

243 Quid? quod unusquisque imperans per consistorium certis, eisque frequentioribus, territorii sui locis seminaria constituere debebat, ex quo sanctioris doctrinae cultores, studiis moribusque ipsorum rite exploratis, in uacantia ecclesiae scholaeque munera transferri possent.

244 Quale uero examen cum futuro ecclesiae doctore sit instituendum.

tuendum, ex nostratibus docuerunt Melanchthon, Bechmannus, Calouius, Meisnerus, Tarnouius, ex reformatis Hoornbeekius.

245 (2) Ordinatio, h. e. actus, quo examinatus, et idoneus dignusque repertus, coram ecclesia ad sacrum ministerium, certis ritibus, a certo sacrorum antistite consecratur, adeoque inter ecclesiae doctores recipitur.

246 Dicimus, ordinationem certis peragi ritibus, quorum praecipuus est impositio manuum, unde totus hic actus Graece χειροθεσία, et, secundum ecclesiasticos sequiorum temporum scriptores, χειροτονία dicitur.

247 Ququam vox χειροτονία proprie non manuum impositionem in facienda consecratione, sed eleuationem in ferendo suffragio designat, uelut eam descripsit Schurzfleischius.

248 Hæc autem consecrandi ratio in ecclesiis christianis apostolorum exemplo est introducta, utpote qui, Iudaica identidem instituta secuti, hanc quoque caeremoniam, Iudæis in comprecando usitatam, adhibuerunt.

249 Ex christiana scilicet libertate, non necessario præcepto.

250 Et ita in nostris etiam nunc ecclesiis retinetur, boni piique ordinis, non absolutæ necessitatis causa, quasi sine ea legitimus quis ecclesiae minister esse nequeat.

251 Praefertim, cum nostrae ecclesiae doctores tali manuum impositione non ea amplius dona (χαρίσματα) consequantur, quae primis ecclesiae temporibus miraculoso quodam effectū collata fuisse, nouimus.

252 Nec ordinatio indelebilem ordinato characterem inprimis.

253 Retinetur ergo antiqua haec probatique moris caeremonia ex libero quidem, attamen laudabili simul instituto.

254 Adeoque saltem propter euitandum nouitatis scandalum uix ullo omittenda est tempore, nedum penitus abolenda, ut Dor-dracena quidem synodus aliquando decreuisse uidetur, commemorante Hoornbeekio.

255 Quibus autem praeterea modis, quo loco, et a qua persona peragi debeat ordinatio, imperans definire potest.

256 (3) Confirmatio, in specie sic dicta, h. e. actus, quo consisto-

Fff ff

rium

rium imperantis nomine ordinatum ecclesiae doctorem penitus approbat, eumque ad finem ipsi literas, ut uulgo dicuntur, confirmatorias, aut testimoniales, tradit.

257 Dicimus, in approbationis fidem literas ordinato dari.

258 Ergo literas tales in originali, ut dicitur, sedulo asseruare debet ordinatus, nec patrono, aut alii cuiquam relinquere, ut, quoties necesse fuerit, legitimam eis constitutionem probare possit.

259 Quod autem confirmatus uicissim certas inire debeat condiciones, e.g. certae fidei formulae subscribere, et iuramentum Religionis praestare, nec non reuersales, ut dicuntur, literas exhibere, id, pro diuersa circumstantiarum ratione, diuersum quoque iudicium admittit.

260 Ceterum iuris diuini esse confirmationem, ex sacro quidem codice probare uoluit Carpzouius, sed grauius hoc nomine notatur a Peyero.

261 (4) Inuestitura, alio nomine institutio, nec non introductio dicta, est actus, quo minister confirmatus ecclesiae suae per superintendentem, aliumue ecclesiae praepositum sistitur, rituq; solemniniitiatus, in plenam muneris sui possessionem immittitur.

262 Deriuant inuestituram plerique a uerbo inuestire, h. e. ueste induere, quia inaugurandus solemnini interdum ueste indui solet.

263 Nonnulli autem Germanis uocem hanc acceptam ferunt, a uesten, s. befestigen, h. e. stabilire, s. confirmare, eam deriuantes.

264 Idque antiquae Longobardorum legi conuenienter, quae dicit, quod uestitura sit feudi confirmatio, testibus adhibitis facta, et uestire sit confirmare, citante Lindenbrogio.

265 Diximus, inuestituram peragi a superintendente, alioque ecclesiae praeposito, quippe cum ea, propter uarias, quae interueniunt, solemnitates, e.g. concionem introductoriam, impositionem manuum, bono utique consilio, in tota ferme Germania, sacri ordinis uiro committi soleat.

266 Quin tamen a politico etiam expediri possit, haud dubium est.

267 Cum enim ea ad Principem, qua talem, iure proprio, ui summae, quam ubique in ciuitate habet, potestatis, tanquam pars iuris sacrorum, pertineat, manifestum est, ipsam non minus, quam alias iuris-

iurisdictionis ecclesiasticae partes, ex Principis concessione, a politico exerceri posse.

268 Nimirum, ut supra monuimus, et infra uberius dicemus, non duplex in Principe fingenda est persona, Principis et Episcopi, ita, ut ipse, qua Princeps, rerum secularium, s. ciuilium, qua Episcopus, rerum sacrarum, s. ecclesiasticarum imperium habere dicatur.

269 Hoc enim commentum falsa illa Pontificiorum doctrina nititur, qua iura sacrorum clericis propria esse, atque adeo ad Principes, qua tales, neutiquam pertinere, contendunt, ut fusc hoc exponit Boehmerus.

270 Itaq; nullum datur ius episcopale, imperio ciuili oppositum.

271 Quicquid iuris in rebus sacris imperans habet, id unice, qua imperans, habet, ut maiestatis illius, summæue potestatis, quam in ecclesiam externam perinde, atque in alia ciuitatis collegia, tenet.

272 Stante hac ueritate, negari haud potest, quod ciuilis etiam conditionis persona Principis nomine ecclesiae doctorem inuestire possit, omnis, quæ alioquin a Theologo fieri solent, cæremoniis.

273 Quid? quod ea ratione ab heterodoxo etiam orthodoxus introduci potest.

274 Præsertim cum inuestitura adeo necessaria haud sit, ut sine ea doctor ecclesiae munus sibi collatum obire nequirit.

275 Id quod eorum testantur exempla, qui etiam in Saxonia nostra ob sumtum, solemnitati huic impendendam, inopiam aliasue causas inuestiri haud potuerunt.

276 Dicimus, haud potuerunt, cum, ubi inuestitura fieri potest, nec temere omittenda sit, nec longum in tempus differenda.

277 Ceterum, quod inuestitura, similis quodam actu, spirituale inter doctorem et ecclesiam matrimonium iniri dicitur, id inconcinna est fictio.

278 Sufficit, quod realis hinc existat coniunctio, arctumue contrahatur nunculum, quo durante, nec doctor deserere potest ecclesiam, nec hæc alibi sacris uacare.

279 Vti hoc aliaque plura singulari de inuestitura dissertatione pertractauit Schroeterus.

280 Verum, quæ hactenus de iure patronatus modoque constituendi

tuendi ecclesiae doctores diximus, ea institutis nostris non ad omnes promiscue doctores applicari possunt.

281 Scilicet, ut patronus superintendentem, quippe non uni parochiae, sed integrae dioecesi, a solo imperantē praeficiendum, uocare nequit, ita ipsi etiam constituendi ritus, pro diuersitate doctorum, admodum diuersi comparent.

282 Ecclesia quidem, ut supra diximus, est societas sua natura aequalis, h. e. membris aequalibus, praeceminentia et auctoritate a se inuicem haud distinctis, constans, adeoque non magis inter doctores eius, quam auditores, externa graduum inaequalitas locum habere debebat.

283 Id quod primi ecclesiae christianae doctores optime norunt.

284 Proinde, licet uariis insigniri consueuerint nominibus, integram tamen seruauerunt aequalitatem, nec superiore cuiuspiam conditione, nec inferiore assignata.

285 At, postquam, corrupto ecclesiae statu, etiam doctores ambitione (*κνωδοξία*) et auaritia (*πλεονεξία*) ducti, a pristina simplicitate degenerarunt, uarii inter eos extiterunt gradus.

286 Tales nimirum, quales sacrae politicae, s. hierarchiae, pro hierodiconia, aut hierodulia, ab ipsis introductae, ratio postulare iussa est.

287 Quanquam distributionem, seu discretionem factorum ordinum a gentilibus maxime receptam esse, ipsi testantur, canones, distincti 21. cap. I. conf. hic Grotius et Fabricius.

288 Quae quidem ecclesiae facies apud Pontificios etiam nunc apparet, apud Protestantes autem, restaurato purioris fidei cultu, admodum immutata est.

289 IV. *Distinctio* igitur doctorum ecclesiae alia est apud Pontificios, s. Romano-catholicos; alia apud Protestantes, s. Evangelicos.

290 Pontificii diuersa doctorum genera communi illa partitione comprehendunt, quae omnem suum, ut uocant, clerum, cum in sacerdotio, tum extra illud, imo ne quidem in sacris proprie existentem, in duas maxime classes describunt, quarum una clericos, in specie sic dictos, altera religiosos continet.

291 Illorum alii sunt maiores, seu altioris gradus, alii minores, seu inferioris ordinis, inter hos autem referri possunt canonici, monachi, equites sacri et Iesuitae.

292 Cle-

292 Clerici altioris ordinis sunt (1) Patriarchæ, (2) Archiepiscopi, (3) Episcopi, (4) Archidiaconi, (5) Archipresbyteri, (6) Presbyteri, (7) Diaconi et (8) Subdiaconi.

293 Inferioris gradus perhibentur (1) Acoluthi, (2) Exorcistæ, (3) Lectores, (4) Oſtiarii, (5) Cantores, etc.

294 De quibus omnibus cum ſigillatim agere inſtituti noſtri ratio haud permittat, nonnullos tantum attingendo, præcipuosque excitando ſcriptores, in materia hac deſungemur.

295 Patriarcha, quaſi princeps, primus et caput patrum dictus, eſt ille, cui plures episcopi ac metropolitani ſunt ſubiecti, de quo legi poſſunt Titius, Wolffius, quosque hic allegat, Vitringa, Becmannus, Boehmerus, Ludouicus.

296 In Romano quondam imperio quinque fuiſſe dicuntur Patriarchæ, ſed hodie illi, ut hierarchiæ Romanæ aduerſi, non tolerantur.

297 De origine Patriarcharum Chriſtianorum ſcripſit Krauſius.

298 Ceteroquin patres ſunt illi, qui in ſcholis Theologorum ob antiquitatem, eruditionem, ſanctitatem et zelum in amplificanda noui Teſtamenti eccleſia, propagandaque uerbi diuini ueritate, per quandam appropriationem hoc nomine celebrantur.

299 De Theologia eorum uſque ad A. cclxxxv. egit Hoornbeek.

300 Episcopus, a Graeco *ἐπίσκοπος*, h. e. ſpeculari, dictus, et Graecis Latinisque pro præfecto, aut prætore ciuitatis uſurpatus, indeque in eccleſiam translatus, eum proprie deſignat, qui regendis doctrina, conſilio atque exemplo eccleſiæ eſt præpoſitus.

301 Quid de hoc eiusque origine ac poteſtate ſciri mereatur, præter alios docent Becmannus, Hauemannus, Conringius, Zieglerus, Buddeus, Bruſchius, Miræus, Ohmius, aliique.

302 Quibus cum conſecti poſſunt ii, qui de iure episcopali proteſtantium commentati ſunt, uti Romanus, Müllerus et Boehmerus.

303 Cum autem inter episcopos, uel potius archiepiscopos primus ac ſummus habeatur Pontifex Romanus, alias Papa, h. e. pater, dictus, nonnullos de eo ſcriptores excitare operæ pretium erit.

304 Generali quidem tractatione de Pontifice maximo inter alios egetunt Limnaeus, Becmannus, Zieglerus, et nouiſſime ex Romano-catholicis Merzenfeldt.

305 Speciatim uero de electione eius scripserunt Conringius, Panuinius, Wagenfeilius, Mayerus, alique adducti a Becmanno.

306 De cultu eius, ac sigillatim de osculo pedum commentati sunt Mayerus, Buckius et Roehrensee.

307 Quibuscumqi conferri possunt, qui de osculo uariisque eius generibus ex instituto scripserunt, ueluti Stypmannus, Romanus, Müllerus, Kempius alique.

308 De legatis eius supra egimus in Iure gentium p. 625. pos. 56. seq.

309 Contra primatum Papae calamum strinxerunt Salmasius, Blondellus, Marcellus, Waramundus, Molineus.

310 De dominatu eius in Principes ac Reges, nec non tyrannide tractarunt Barclaius, Pufendorfius, Banosius, du Pin, Petrus Asilius, Ianus.

311 De artibus eius in conseruanda monarchia legi possunt Kieslingius, Placentinus, de Verona, Heideggerus, Rechenbergius, Gibelinus, seu Goebelius, alique editi a Goldasto.

312 Proximum a Papa locum obtinent Cardinales, a cardine dicti, hocque nomine pro praecipuis ecclesiae Romanae fulcris habendi, de quibus pra aliis legi possunt citati iam Limnaeus, Becmannus, Zieglerus et Merzenfeldt, nec non Leti et auctor libri Germanici, der Cardinals-Huth inscripti.

313 Presbyteri, a nomine Graeco *πρεσβύτεροι*, h. e. seniores, (unde et Germanicum Priester, sicut Pfarrherr a *Wagmeister*, et Kirche a *κωίη*) non magis propter aetatem, quam dignitatem, dicti, sunt sacerdotes, uaria sustinentes officia.

314 De his prae aliis legi possunt Blondellus et Salmasius.

315 Diaconus, a Graeco pariter uerbo *διακονέω*, h. e. ministrare, dictus, est ille, qui episcopo, aut presbyteris, sacra celebrantibus, ministrat, aut assistit.

316 Doctus de diaconis et diaconissis tractatus extat Ziegleri.

317 Canonici, uel a canone, h. e. pensione, illis distribui solita, uel a regula dicti, sunt illi, qui secundum certas regulas praescriptas, tam generales, quam speciales, debent uiuere, de quibus legi possunt Barbosa, Capetius, Penottus, Signius, Trullus, Wendelerus.

318 Monachi, a Graeco *μονάζειν*, in solitudine esse, uel secundum non-

nonnullos a precibus, soli Deo faciendis (παρὰ τῷ μόνῳ Θεῷ προσεύχεται, quasi μόνευχοι, uel a uita tristiore (παρὰ τὸ μόνον ἄλγῃ ἔχειν) dicti, sunt homines, sanctam in solitudine uitam agentes.

319 De horum origine, statu et diuersitate legi possunt Hospinianus, Alteserra, Choppinus, Petri, Zieglerus, Titius et Wendelerus.

320 Equites sacri sunt illi, qui ad religionem, armis contra infideles defendendam, certo se uoto adstrinxerunt, eumque in finem certo se addixerunt ordini.

321 Plerosque de iisdem scriptores allegauit Becmannus.

322 Iesuitae sunt membra societatis sacrae, ab Ignatio Loiola, Hispano, fundatae, et a Pontifice Paulo IV. confirmatae, quibus praeter tria uota communia, obedientiae, paupertatis, et castitatis, etiam uotum missionis ob propagandam religionem iniunctum est.

323 De horum statu, iuribus, institutis, priuilegiis, nec non fraudibus legi possunt Placentinus, Lucius, de Vargas, Paschalius, Arnaldus, Hoornbeekius, Riuetus, et tubæ magnæ auctor anonymus.

324 Hactenus de distinctione doctorum ecclesiae apud Pontificios, nunc ea pertractanda esset, quae inter Protestantes extat.

325 Ea scilicet, quae inter ecclesiae doctores alioquin aequales, boni ordinis (ἰουδαίος) non eminentis potestatis (ὑπεροχῆς) causa, retinetur.

326 Sed, cum diuersa, pro regionum ecclesiarumque diuersitate, hic occurrat distributio, eam duntaxat indicasse, sufficiat, quae in terris nostris Saxonis est recepta.

327 Distinguntur hic ecclesiae doctores plerumque in superintendentes, pastores, et diaconos.

328 Superintendens, alio nomine praepositus, uel inspector, dictus, ratione etymii, cum uoce episcopi plane conuenit, utpote quae Latine per superintendentem, seu superattendentem uerti potest.

329 Vnde colligere licet, superintendentem ipsa notione eum denotare, qui in certa dioecesi, h. e. certo ambitu, seu complexu plurium ecclesiarum parochialium, rebus ecclesiasticis a Principe est praepositus.

330 Scilicet omnibus omnino ecclesiis ita prospiciendum est, ut cultus diuinus bono in eis ordine procedat, mala, quae in eas subinde

inde immigrare possint, caueantur, adeoque et doctores et auditores suo quisque officio rite attendant.

331 Eam ob causam parochiales, ut dicuntur, ecclesiae cum urbanae, tum paganae, non modo suos singulae doctores, seu parochos habent, sed etiam in certas descriptae sunt dioeceses, quarum unaquaeque certi inspectoris s. superintendentis curae est commissa.

332 Ita, ut talis superintendens dioeceseos suae ecclesiis, Principis nomine, praesit, earumque doctores, sine vi quidem et coactione, attamen monitis, praeceptis ac minis dirigere possit ac debeat.

333 Vnde, quod superintendentis sit officium, facile patet.

334 Nimirum ad tria potissimum capita reduci potest, (1) ut puriorem custodiat doctrinam, (2) ut inculpatam viuendi rationem procuret, (3) ut statum ecclesiae Principisque iura tueatur.

335 Quae quidem omnia aliaque plura ex instituto tradit Zieglerus.

336 Pastor, ab officio gregem ecclesiasticum salutare doctrina, tanquam animae cibo, pascendi dictus, est parochialis cuiusque ecclesiae doctor, idemque uel simpliciter ita nominatur, uel, ubi plures eidem ecclesiae sunt praepositi, cum additamento primarius.

337 Habet hic, quae talis, commune cum aliis doctoribus officium.

338 Dico, quae talis, cum plurimis in locis pastoris muneri annexi soleat inspectio, seu munus superintendentis, quod uti ab ipso Principe, non patrono, confertur, sic diuersas etiam ab officio pastoris partes complectitur.

339 Diaconus est ille, qui pastori quidem ecclesiae illius, in qua ministerium obit, subordinatur, eodem tamen cum illo officio fungitur, adeoque uix aliter, quam ordine certisue muneris ecclesiastici partibus ab eo differt.

340 Ergo diuersus est diaconus noster a diacono pontificio.

341 Proinde, licet diaconus pastori, praesertim si senior fuerit, reuerentiam exhibere debeat, tamen et pastor uicissim diaconum, ut collegam, decenter tractare debet, non, ut capellenum aliquem, nescio quid uilioris ministerii praestantem, multo infra se putare.

342 Cum autem frequentiores in urbibus ecclesiae plures saepe diaconos postulent, etiam inter hos certus existit ordo, ut alius archidiaconi, alius diaconi, alius subdiaconi, e. s. nomen obtineat.

343 Sed

343 Sed denuo hic commendandus est excitatus supra Zieglerus.

344 Diximus, idem omnium doctorum esse officium generale, nimirum, ut, pro ea, quam infra exponemus, potestate, auditoribus suis rectam sentiendi faciendique rationem inculcent, eorumque saluti maximo, quo possunt, studio consulant.

345 Quo quidem officio cum nihil grauius, nihil praestantius, nihilque utilius detur, naturali etiam rationi conuenit, ut doctores, eo rite fungentes, habeant, quo suae quisque conditioni conuenienter uiuere possint.

346 V. *Sustentatio* igitur doctorum ecclesiae certum in primis salarium requirit, h. e. certos quosdam redditus, ex rebus, uel operis prouenientes.

347 Variant autem tales redditus, prout ecclesiae sunt diuersae.

348 Pontificii quidem comparatas habent praebendas, ab eo, quod redditus ad commodam sustentationem praebeant, dictas, de quibus prae aliis legi potest Brunnemannus, eiusque commentator, Stryckius.

349 Protestantes autem praebendarum, quas habent, reliquias ad alios plane usus, quam doctorum ecclesiae salaria, destinant.

350 Itaque diuersam hic tenent rationem, quae quidem ex cuiusque territorii statu cognosci debet, maxime autem doctorum urbanorum ac rusticorum discrimine nititur.

351 In electorali nostra Saxonia quid moris sit, fuse exposuit Carpzouius, ex quo multa habent Schilterus, Brunnemannus, Titius, et alii.

352 Sigillatim ad salaria sequentes referri possunt partes.

353 (1) Vfus fructus aedium ac praediorum rusticorum, ut sylvarum, agrorum, pratorum, lacuum, e. s.

354 His quippe omnibus uti fruique possunt ecclesiae doctores, prout praescripta tulerit ratio.

355 Cumque ad instruenda praedia rustica necessariae quaedam res, inuentarii nomine, propter earum consignationem, insignitæ, e. g. pecudes, frumenta, tradi soleant, boni patris familias officio conuenienter rebus istis utendum est, prout late hoc exponunt citati supra scriptores.

356 (2) Res mobiles, ut pecunia, frumentum, lignum, quae ex ærario bonisue ecclesiasticis praestari solent.

357 Quo pertinent census, a rurestribus maxime parochianis soluendi, de quibus, praeter scriptores citatos, legi potest Hornius.

358 His affines sunt decimae, praecipuam salarii partem constituentes, de quibus, praeter eosdem doctores, ex instituto scripserunt Ditherrus, Hahnus, Crolowius, Meinders, et tractatus Germanici, curiense Gedancken uon Decem, auctor anonymus.

359 De clerico clericum non decimante scripsit Hornius.

360 (3) Iura seu accidentia stolae, h. e. emolumenta officii sacri, per stolam (certum uestimenti genus) designati, a parochianis praestanda, Germanis Pfarr- oder Amts- Gebühren dicta.

361 Talia sunt nummus confessionarius, funeralia, et honoraria pro baptismo, proclamatione, sacerdotali benedictione, precatione publica, gratiarum actione, e. s. solui solita.

362 De quibus in iure suo parochiali sigillatim agit Boehmerus.

363 Ex instituto autem de nummo confessionali et oblatorio, seu missali scripserunt Engelken et Müllerus, de honorario funebri, speciatim pro concione funebri, legi potest Wilduogelius, de salariis autem clericorum in genere Stypmannus.

364 (4) Immunitates et priuilegia, e. g. exemptio a metatis, aliisque oneribus, tam realibus, quam personalibus, nisi propria habeant bona secularia, ut supra iam dictum.

365 Eiusmodi priuilegia praeter alios scriptores inaugurali exposuit dissertatione Nehringius.

366 Quae quidem omnia cum ex humanis pendeant institutis, pro uaria personarum, locorum, temporum aliarumque circumstantiarum ratione, uarie etiam mutari possunt.

367 Tantum tamen abest, ut doctorum ecclesiae, suo rite officio fungentium, salaria minui unquam debeant, ut potius, ingrauescente in dies temporum rerumque asperitate, ea nouis identidem accessionibus augeri, par sit.

368 Cum enim tales ecclesiae doctores ad colendam rite pietatem, ut omnium uirtutum fundamentum, ita omnis felicitatis fontem, praestantissimam conferant operam, ipsis etiam de conueni-

enti

enti prospicere sustentatione, boni utique Principis est officium.

369 Id quod singulari exposuit dissertatione illustris Thomafius.

370 VI. *Axiomata* sunt. (1) Tantum abest, ut tractatio de ecclesia rebusque, ad eam pertinentibus, in Politica sit omittenda.

371 (2) Vix perfectam de ciuitate imperioque ciuili notitiam habere potest, qui ecclesiae, quippe societatis in Republica existentis, conditionem ignorat.

372 (3) Ipse Stagiritis ius sacrorum praecipuam summae potestatis (τὸ κύριον τοῦ λείψματος) partem iudicauit.

373 (4) Atqui maiestatis iura explanare Politicae conuenit.

374 (5) Qui uero ius isthoc sacrorum cognosci potest, nisi societate illa, quae sacrorum causa coitur, rite perspecta?

375 (6) Quare, si Icti ex ratione iusti de baptismo, coena, sabato, oratione dominica, poenitentia ecclesiastica, officio ministri erga condemnatos ad mortem, e. s. sibi agendum esse, credunt, multo magis Politicus de ecclesia, ut praecipua in Republica societate, tractare debet.

376 (7) Commendari, non reprehendi, meretur, qui, quod accuratori cuiusque disciplinae cognitioni accedit, etiam praeter morem, uulgo receptum, docere sustinet.

ARTICVLVS II.

DE

AVDITORIBVS ECCLESIAE.

I. *Descriptio.* II. *Officia.* III. *Axiomata.*

I. I.

D*escribi* possunt auditores ecclesiae, quod sint personae, extra munus ecclesiasticum constitutae, ad certam uero ecclesiam ideo collectae, ut publicum ordinatumque religionis cultum in ea exercere, eiusdem doctoribus uti, et, debita praestando officia, certa etiam iura obtinere possint.

2 Dicuntur personae, extra munus ecclesiasticum constitutae, in discrimen doctorum ecclesiae, quos certum hoc nomine munus obire, diximus.

3 Sed utrisque, et doctoribus et auditoribus ecclesiae, singularia

Ggg gg 2

uulgo

nulgo nomina tribuuntur, cum illi uocentur clerici, hi uero laici.

4 Clerici quidem a sorte (κληρος) dicuntur, quoniam uel sorte eligantur, uel optimam eligant sortem, uel praecipuam hereditatis diuinae sortem, h. e. portionem, accipiant.

5 Laici uero a plebe (λαός) nominantur, quia sint homines plebei, rudes, idiotae, et inculti.

6 Vnde apparet, hanc appellationem cum ea conuenire, qua coetus ecclesiasticus distinguitur in ordinem et plebem.

7 Scilicet cum ordo in significatione, antiquis perusitata, praecipuam quandam dignitatem designet, plebs autem ignobiliorem ciuium turbam complectatur, clericorum et laicorum conditio his nominibus fuit distincta.

8 Ita, ut uniuersus quidem populus, seu imperantes et parentes generatim laicorum nomine uenerint, speciatim uero plebs tantum, seu abiectae sortis homines ita fuerint dicti.

9 Et talis appellatio, Constantino M. Imperatore, primum in ecclesiam introducta, etiam nunc inter Pontificios retinetur.

10 Eo nimirum sensu, ut, siquidem clericorum nomen ministris ecclesiae peculiare (ἐξάρετον) habetur et proprium, ingens membrorum ecclesiae discrimen inde statuatur.

11 Ideo quippe clerici dicuntur a Deo in suos electi, tanquam reges, h. e. se et alios in uirtutibus singulariter regentes, quibus datum sit mysteria regni Dei noscere, etc.

12 Contra laici perhibentur esse simplices, non intelligentes abscondita scripturae sacrae, adeoque clericis multo inferiores.

13 Quo factum, ut clerici tales ob singularem, quam prae se ferunt, sanctitatem spirituales uocentur, laici autem mundani, uel seculares, imo et carnales.

14 Verum quis pessimum huius distinctionis abusum non uidet?

15 Vniuersa Christianorum ecclesia est fors (κληρος) Dei, h. e. eius portio et hereditas, cum omnes Christiani in communionem sanctorum (κληρον τῶν ἁγίων) sint adsciti, et electi (κληρωθέντες) ad occupandam hereditatem (κληρονομίαν) aeternam.

16 Quo igitur iure ecclesiae doctores ac ministri, et praecipue rasi ex humano instituto unctique sacrificuli, et ceteri ordinum papalium

palium homines clericorum elogium sibi solis vindicare possunt?

17 Nonne impudentissima hic subest arrogancia, qua cupidi dominationis homines in æqualia ecclesiae membra auctoritatem, ad imperium proxime accedentem, cum maximo ecclesiae detrimento affectant?

18 Quapropter expers haec auctoritatis diuinae (ἀγράως) distinctio merito a cordatis reicitur doctoribus, nominatim Zieglero, Schiltero, Kestnero, Boehmero, Arpio, aliisque.

19 Dicimus porro, auditores eo ipso, quod, ad certam ecclesiam publici ordinatique cultus causa collecti, certa etiam iura, e. g. ius in coetu publico conueniendi, sacra ab ecclesiae doctoribus percipiendi, de rebus ecclesiasticis communi suffragio statuendi, aliaque plura, quae suis passim locis occurrent, consequuntur, ad certum quoque officium obstringi.

20 Certa enim iura certa etiam officia plerumq; complectuntur.

21 II. *Officia* igitur, ab auditoribus ecclesiae praestanda, triplici potissimum respectu considerari possunt.

22 (1) Respectu totius ecclesiae.

23 Ita in omnibus se actionibus gerere debent ecclesiae auditores, ut exoptata totius sacrae societatis salus perpetuo obtineatur.

24 Scilicet in ecclesia perinde, atque in Republica, aliisue societatibus, salus omnium pro suprema habenda est lege.

25 Hanc quisque ante oculos sibi statuatur, de hac summo laboret opere, huic omnia omnino consilia et instituta accommodet, necesse est.

26 Eum in finem seruandus imprimis est ordo, in apta rerum conuenientia congruentique actuum ad religionis exercitium necessariorum dispositione consistens.

27 Cum enim ecclesia sit praestantior quaedam societas, sic utique comparata esse debet, ut ordinata usquequaque constitutio (ἰσότης) in ea existat.

28 Est corpus aliquod mysticum, adeoque consentanea quadam compositione membra inter se congruant, oportet.

29 Dicitur sancta Dei domus, adeoque concinna quadam ratione constructam eam esse, beneque dispositam, conuenit.

G g g g g 3

30 Idcir-

30 Idcirco ecclesiasticis standum est legibus, utpote quibus ordo alioquin arbitrarius, et uariae subiectus mutationi, definitur.

31 Faceat hinc inconsultum nouitatis studium, ad perturbandum plerumque ordinem maturandamque rerum inclinatarum conuersionem tendens.

32 Permagni refert, eam credendorum faciendorumque normam seruari, quam ecclesia quaeque suo religionis principio congruenter recepit.

33 Nec committendum est, ut publicus ordinatusque Dei cultus priuata sacrorum institutione labefactetur.

34 Equidem tantum abest, ut domesticum religionis exercitium intermitteri a quopiam debeat, ut potius ab omni uerae pietatis cultore summo cum studio faciendum sit continuandumque.

35 Sicut ueteres maxime christianos oratoria sua (προσευχάς) domi habuisse, in eisq; diuino uacasse cultui, inter alios refert Boehmerus.

36 Sed ita institui debent domestica sacra, ut intra iustos consistant limites, adeoque nec actus, ordinato ecclesiae ministerio reseruatos, complectantur, nec spargendis disseminandisque erroribus, aut publicis omnino coetibus euertendis materiem campumque prosternant.

37 Quare priuata ista conuenticula, quae homines, suo duntaxat arbitrio agentes, subinde moliuntur, explorari probe, et, ubi noxia fuerint comperta, interdici, utique fas est.

38 Ceteroquin omnes promiscue congregationes priuatas exagitare, quaeque sincero pietatis studio destinantur, collegia indignis odiosisque notare nominibus, ne naturali quidem honestati, nedum charitati christianae, conuenit.

39 Detestatur sane cordatior quisque calumnias illas, quibus antelucanos ueterum christianorum coetus innocentissimasq; ipsorum agapas consecrati sunt gentiles, commemorantibus inter alios Kortholdo et Boehmero.

40 Atqui christianorum etiam labes quaedam et macula est, sibi inuicem obtrectare, et indiscreto religionis zelo practicum religionis studium laceessere.

41 Quotus enim quisque eorum, qui nihil, nisi quod receptis uulgo

go moribus institutisque conueniat, rectum pronuntiant, non omnia omnino collegia, ut dicuntur, pietatis damnat?

42 Quid frequentius est, quam ut homines, singulari prae ceteris studio pietatem tum aliis inculcantes, tum propria comprobantes uita, suspectissimis quibusque cognomentis infamentur?

43 Pro Weigeliano, Rosæcrucio, aliusue sectae alumno eum; qui ad seriam uitae emendationem pietatemque, a vulgo christianorum segregatam, contenderet, plerumque haberi, suis olim temporibus conuesti sunt pii Theologi, Meisnerus, Gerhardus, Hartmannus, alique.

44 Hodie Quackeri, Enthusiastæ, Fanatici, aut saltem Pietistæ nomen apud homines, cerebrina contentos fide, uix effugiet, qui lapsam restaurare pietatem, bonisque eam institutis sustinere studet.

45 Sic rerum in se innoxiarum usus atque abusus perinde iudicatur.

46 Esto, in sacris domesticis piisque institutis aliquid defecti interdum emergere, eaque casu et ex parte suo destitui sine.

47 An propterea omnia omnino damnanda putas?

48 Quem, quæso, fugit, quantum uicii publicis etiam congregationibus ex eo accidat, quod homines ieiuni ex mera consuetudine sacris interueniunt, eaque, nullo pietatis sensu affecti, hoc maxime animo, ut alios spectent, spectenturque ab aliis, frequentant?

49 Quid? quod honoratiores sæpe uiri, qui suo aliis exemplo præire, et doctrinam, quam norunt, moribus comprobare debebant, per integras conciones siue stertendo, siue confabulando iocandoque, siue epistolas, ephemerides, nouellas, aliaue scripta profana legendo, tempus turpissime consumunt.

50 Numquis autem publicos ideo conuentus reprobaret?

51 In omnibus utique rebus usum ab abusu, et ea, quæ interdum et ex accidente eueniunt, ab eis, quæ semper exiliunt et necessario, secerni oportet.

52 Ergo Principis, eiusue consistorii est, sacra domestica, collegia pietatis, aliaue instituta, ex delatione hominum, præconcepta laborantium opinione, non statim damnare, sed, facta demum inquisitione, de his statuere, ut cordate monet illustris Boehmerus.

53 (2) Respectu singulorum ecclesiae membrorum,

54 Sin-

54 Singula ecclesiae membra cum singulis non modo pacem et concordiam seruare, sed tale etiam commercium habere debent, quo magis magisque in religione ac pietate proficere possint

55 Cum enim ecclesia omnis cultum diuinum, seu religionem, eique consentaneam uiuendi rationem pro fine habeat, hunc etiam finem singula ecclesiae membra, qua talia, inter se obseruare debent.

56 Idcirco nullum membrum alteri scandalum praebere debet, nullum alterius offendere mentem, nullum in altero pietatis semen corrumpere.

57 Potius unum alterius infirmitati pro parte sua subuenire, par est.

58 Et, quoniam ecclesia, ut supra diximus, aequalis est societas, unum quoque membrum alteri aequalia permittere iura, neque unum in alterum peculiare sibi ius arrogare debet.

59 Constitutiones autem, communi receptas consilio, ita obseruari, decet, ut easdem uiolantibus ecclesiastica omnino communi-
one interdici possit.

60 Sic nota est confoederata ueterum christianorum disciplina, quam in suis ad Plinium dissertationibus fuisse explicauit laudatus Boehmerus.

61 Quanquam hodie disciplina ecclesiastica maximam partem ex ciuili pendet imperio, ut infra dicemus.

62 (3) Respectu doctorum ecclesiae.

63 Officium auditorum erga bonos, industrios fidosque ecclesiae doctores complectitur in primis reuerentiam, amorem, obsequium et beneficentiam:

64 Honorari debent ecclesiae doctores, quia praestantissimo funguntur munere, utilissimamque auditoribus suis operam praestant.

65 Sunt Dei, orbis terrarum rectoris, ministri, inter Christianos praecipue ad id delecti, ut uerae felicitatis uiam aliis patefaciant.

66 Hinc apud uniuersas fere gentes obtinuit, ut sacerdotes singulari colerentur ueneratione, siue ex Deorum reuerentia, quorum ministri erant, siue ob preces, quas non solum pro se ipsis, familiis, amicisque, sed etiam pro Republica, imo pro toto genere humano fundebant, teste citato supra Pottero.

67 Amandi sunt ecclesiae doctores, ut uigiles, custodes ac pastores,

res, qui animabus, suae commissis fidei, in caligine lucem, in egestate subsidium, in afflictione solatium, in angustis opem, in certamine vires subministrant.

68 Id uero inter alia requirit amor, ut eorum infirmitates æquo ferantur animo, neque maledictis et opprobriis fugillantur.

69 Cogitandum est, eos homines esse, humanis obnoxios erratis, et thesaurum, sibi concreditum, in testaceis habentes uasculis.

70 Neq; ideo spernenda est salutaris, quam proponunt, doctrina.

71 Potius obsequium ipsis debetur, et, quicquid ex praescripto religionis docent monentque, id pio obseruandum est studio.

72 Lubentius ferendi sunt reprehendentes, quam laudantes.

73 Maxime in audiendis ipsorum concionibus ea uitare debent auditores, quae ueteres ecclesiae patres acriter coarguisse, scribit Hoornbeekius.

74 Scilicet (1) ne segnes sint in auscultando, aut remissi, (2) ne breuiiores semper homilias uelint, (3) ne ante discedant, quam finita sit concio, (4) ne statim post sacra ad mundanas se recipiant occupationes, deposita rerum auditarum memoria.

75 Beneficentiam deniq; erga ecclesiae doctores exerceri, eo magis conuenit, quo præstantior haberi debet eorum opera omnibus, quae uicissim accipere possint, praemiis.

76 Quapropter ad decentem eorum sustentationem, praeter ea, quae secundum receptas in ecclesia ordinationes praestari solent, quisque auditorum, pro eo, ut facultates ferunt, gratuita identidem subsidia conferre debet.

77 Deo creditur, quicquid piis ecclesiae doctoribus bona donatur mente.

78 III. *Axiomata* sunt: (1) Si ulla societas iustum usquequaque ordinem obseruare debet, ecclesiam certe eo incumbere, necesse est, si tranquillo potiri uult statu.

79 (2) Quamobrem uti doctores, ita et auditores, suarum utroque partium satagere oportet.

80 (3) Quod si ea, qua par est, ratione fit, tum demum ecclesiae salus, etiam sine ciuili communione, florere potest.

H h h h h

MEM-

MEMBRUM II.

DE

DIRECTIONE ECCLESIAE.

Directio ecclesiae spectat partim ad doctrinam, hominum animis instillandam, partim ad disciplinam, hominum actionibus praescribendam. Priori respectu nititur in potestate ecclesiastica interna, seu sacerdotio, posteriori autem in potestate ecclesiastica externa, seu imperio.

ARTICVLVS I.

DE

POTESTATE ECCLESIASTICA INTERNA,
SEU SACERDOTIO.I. *Praenotio.* II. *Descriptio.* III. *Partes.* IV. *Axiomata.*

I. I.

P*Praenotio*, hic tenenda, ad tria potissimum spectat, quæ sunt (1) origo potestatis ecclesiasticæ internæ et externæ, (2) discrimen unius ab altera, (3) coniunctio utriusque in uno subiecto.

2 Origo ex ipsa religionis, quæque huius exercendæ causâ constitui solet, ecclesiae natura et indole arcesci debet.

3 Scilicet religio complectitur cognitionem Dei, et eius cultum.

4 Cultus Dei uel internus est, qui internis animi actibus perficitur, uel externus, qui externis sese exerit actibus, uerba et facta complexis, iisque uel necessariis, uel arbitrariis.

5 Externus eiusmodi cultus uel priuatim exercetur, uel publice.

6 Publicum religionis exercitium instituitur ab hominibus, in certo se loco congregantibus, certamque ita formantibus uniuersitatem, seu societatem, quæ ecclesia dicitur.

7 Talis societas, quoniam diuini tantum cultus pietatisque excolendæ causâ initur, adeoque internam maxime felicitatem, non uel imperio, sed libera mentis operatione, consequendam, pro fine habet, aequalis quidem est, et spiritalis.

8 Hoc est, nec imperandi parendique ordinem inter membra, quæ talia, complectitur, nec ita ex republica pendet, ut sine communionem eius, tutela ac securitate finem obtinere nequiret.

9 Attramen, quia sine ordine non magis consilium potest, quam alia

alia collegia, idcirco certis ei opus est doctoribus, per quos in no-
scenda colendaque religione, atque adeo obtinenda hinc salute ita
dirigi possit, prout cultus diuini ab omni, ut diximus, coactione im-
munis ratio rulerit.

10 Et, quoniam in Republica est, eiusque auctoritate et commu-
nitate plerumque nititur, imo hoc nomine ciuilis, ut supra dixi-
mus, uniuersitatis naturam quodammodo induit, a ciuili etiam
imperio non minus, quam aliae societates, ad finem propositum
accommodate gubernari debet.

11 Priori respectu existit potestas ecclesiastica interna, quam do-
ctores ecclesiae in docenda religione, obeundis sacris, procuran-
daq; ecclesiae salute, per modum ministerii, non imperii, obtinent.

12 Posteriori autem respectu datur potestas ecclesiastica externa,
quam imperantes, ut partem summi in uniuersam ciuitatem sin-
gulasq; in ea societates imperii, circa externum cultum exercent.

13 Dicimus, potestatem internam conuenire doctoribus eccle-
siae per modum ministerii circa interiores præcipue actus religio-
nis, externam uero potestatem ad imperantes pertinere, ut partem
summi imperii, circa exteriores potissimum actus.

14 Hinc, quale inter potestatem externam et internam sit discri-
men, haud difficulter colligi potest.

15 Differunt nempe et subiecto, et obiecto, et modo, et fine.

16 Subiectum potestatis internae, ut modo diximus, sunt docto-
res ecclesiae, externae uero summi imperantes, s. ciuitatum rectores.

17 Obiectum potestatis internae est ipsa religionis, ad certam
normam colendæ, institutio, actuumque, hoc nomine in ecclesia fa-
ciendorum, functio et administratio, externae uero est ordinatio
et conseruatio religionis, in certa ecclesia certæ normae conueni-
enter exercendae.

18 Modus, seu forma potestatis internae est spiritualis, in animo-
rum, certa religione imbuendorum, directione, per modum mini-
sterii, consistens, externae uero est ciuilis, in personarum rerumque
ecclesiasticarum gubernatione, per modum imperii, se exerens.

19 Finis potestatis internae est salus ecclesiae, prout interna ma-
xime hominum emendatione, ex religionis doctrina et cultura

H h h h h 2

pro-

proueniente, nititur, externae uero est salus ecclesiae, prout externam inprimis tranquillitatem, ex ordinato religionis exercitio, bonaeque disciplinae obseruatione nascentem, complectitur.

20 Dicimus, potestatem ecclesiasticam internam in eis praecipue versari, quae ad internam hominum emendationem et culturam, adeoque ueram propriamque ecclesiae salutem spectant, externam uero potestatem in externa potissimum tranquillitate procuranda occupari.

21 Hac nimirum mente, ut utriusque potestatis praecipuum ac peculiare significetur munus, non quasi altera ab omni externorum obseruatione, altera ab omni internorum cura sit excludenda.

22 Vt enim externus Dei cultus interno neutiquam uacare, nec internus externum in ecclesia exercitium disciplinamque, hoc nomine praescriptam, respuere debet, sic utraque etiam potestas ad internam externamque religionis rationem concurrat, necesse est.

23 At suo quaeque modo, eisque potissimum actibus, qui propriae cuiusque naturae et conditioni respondent.

24 Curat etiam Princeps hominum animos, sacra imbuendos doctrina, attendit cultui, rite peragendo, defendit religionem a peruerse docentium corruptelis, prouidet ecclesiae, ne malis contaminetur moribus.

25 Verum ipse nec docentis suscipit munus, nec sacra facit, nec disceptat cum aduersariis, nec homines a uitae prauitatae ad Dei cultum conuertit.

26 Ecclesiae doctoribus, ideo constitutis, haec relinquit, id tantummodo ordinans, ut eiusmodi munia non magis Reipublicae, quam ecclesiae saluti conuenienter fiant.

27 Pariter sacerdos curam adhibet, ut bonus in ecclesia uigeat ordo, ut membra flagitiosa castigentur, aut communitate excludantur, ut festorum, ieiuniorum, precationum et caeremoniarum obseruetur praescriptio.

28 At suo ipse arbitrio nec cultus rationem ordinat, nec ecclesiasticam exercet iurisdictionem, externamue praescribit disciplinam, nec sacra, qualia nominauimus, solemnia instituit.

29 Principum, ciuitatisque Rectorum munus hoc esse, agnoscit,
id

id sibi duntaxat conuenire, cogitans, ut suo, quo fungitur, ministerio praescripta quaeuis ad internam maxime salutem referat, stabili religionis norma omnia metiatur, et, ne contrario forte instituto ea labefactetur conuellaturque, provideat.

30 Cum itaque potestas ecclesiastica interna et externa inter se quidem dissent, magno tamen consensu ad ordinandam conseruandamque cultus diuini rationem concurrant, et quasi conspirent, perdifficilis existit quaestio, annon utraque in uno coniungi possit subiecto?

31 A nonnullis id affirmari, constat, a plurimis autem negari.

32 Nimirum aiunt id illi, qui ipsum imperium ciuile, ipsumque sacerdotium in una omnino persona coniungi posse, clamitant.

33 Argumenta, quibus eam in rem utuntur, sunt potissimum haec.

34 (1) Quia religioni maxima cum salute Reipublicae intercedat cognatio, adeoque conueniens etiam sit, eosdem homines et religioni Dei immortalis, et summae Reipublicae praeesse.

35 (2) Quia illi, qui ciuili simul imperio ac sacerdotio fungantur, ecclesiam defendere, aduersarios refellere, controuersias mnuere, adeoque religionis studium usquequaque prouehere, et Numinis diuini gloriam omnium maxime augere possint.

36 (3) Quia plurima prostant exempla eorum, qui non sine fructu ecclesiae simul ac reipublicae praefuerint, imo, non obstante Principis dignitate, muneris ecclesiastici partes e. g. concionando obierint, qualia quidem exempla speciatim congeffit Goetzius.

37 Qui uero, imperium et sacerdotium in una coniungi posse persona, negant, illi has maxime rationes afferunt.

38 (1) Quia sacerdotium et imperium adeo inter se dissent, ut sine ingenti rerum sacrarum et ciuilium confusione, (*ἀναξία*) imo quadam ueluti Caesaro-Papia ac Papo-Caesaria in uno homine coniungi nequeant.

39 (2) Quia sincera religio ex eo facile detrimentum capere posset, si imperans, sacerdotii munere simul obiens, perueriam, qua forte imbutus esset, doctrinam aliis tradere, eumque ad finem suum abuti uellet potestate.

40 (3) Quia infortunatum plerumque euadat imperium eorum, qui

H h h h h 3

qui ecclesiae simul atque Reipublicae praesides agant, ut omnium temporum historiae testentur.

41 Et huic negantium sententiae etiam nos accedimus, non functionem sacerdotii, sed eius ordinationem Principi convenire, eoque modo omne id, quod aduersarii urgent, obtineri posse, ceterum non exemplis, sed rationibus standum esse, putantes.

42 Secus si fiat, non potest non ex nominum officiorumque diuersorum confusione maxima ordinis perturbatio in ecclesia oriri, prout uberius hoc ostendunt Balduinus, Zentgraeuius, Arnisaus, Pufendorfius, Schurtzfleischius, Hornius, aliiq; doctores plurimi.

43 Quibuscum conferri potest, qui sigillatim de argumento hoc scripsit, Rieschius.

44 His praemissis, ad ipsam nunc potestatem ecclesiasticam internam, quam hoc articulo explicare constituimus, progrediamur.

45 II. *Describi* potest eiusmodi potestas per facultatem moralem, doctoribus ecclesiae, legitime constitutis, delatam, certae religionis cultum ad certam normam in ecclesia docendi, actusque, eo spectantes, ministerio conuenienter obeundi, in hominum salutem Deique gloriam.

46 Dicitur facultas moralis, doctoribus ecclesiae, legitime constitutis, delata, ad significandum, non quemlibet in ecclesia sine legitima concessione potestatem hanc posse usurpare.

47 Quamuis enim ecclesia, ut saepius dictum, membris constet aequalibus, adeoque aequalia habentibus iura, necessarius tamen ordo utique deposcit, ut docendi cultumque administrandi officium certis idoneisque prae aliis personis committatur.

48 Id quod in omnibus omni tempore ecclesiis obseruatum fuit.

49 Hinc etiam existit partitio ecclesiae in doctores et auditores, ipsis inter se nominibus distinctos.

50 Dicimus porro, actus, ad facultatem hanc pertinentes, ministerio conuenienter peragi debere, ut denuo indicemus, qualis sit isthaec potestas.

51 Nimirum expers est imperii, in sacrorum functione munerum cultusque diuini procuratione per modum ministerii consistens, ut luculenter modo declarauimus.

52 Qua-

52 Qualia uero munia ea complectatur, sigillatim, at, prout instituti fert ratio, breuiter strictimque nunc exponemus.

53 III. *Partes* itaque potestatis ecclesiasticae internae sunt potissimum sequentes.

54 (1) *Institutio religionis.*

55 Munus instruendi auditores doctrina religionis, eisue credenda et facienda ad certam normam tradendi, tam proprium est doctori ecclesiae, ut ab eo, tanquam potiore, et ipse appellationem habeat, et omnis ipsius potestas dicatur dogmatica.

56 Dicimus, doctorem ecclesiae credenda et facienda proponere debere auditoribus suis, quippe cum duo haec capita omnem contineant religionem.

57 Ad certam uero normam fieri oportere institutionem, addimus.

58 Ideo, quod cultus diuini ratio non proprio cuiusque doctoris iudicio et arbitrio inniti debet, sed certa aliqua norma, regula ac praescriptione, qua omnia dogmatum omniumque officiorum momenta expendi possint.

59 Alioquin uariis in una ecclesia cultus, ad placitum fictus, nequeque arbitrarius (εἰς ἰσθμὸν) existeret.

60 Qualis autem cultus non posset non cum maxima confusione et opinionum actionumque puerisitate esse coniunctus.

61 Certae itaque normae attendere debet ecclesiae doctor.

62 Modus autem religionis dogmata in ecclesiis proponendi, pro diuersis ecclesiae institutis, admodum diuersus esse potest.

63 Communis, in plerisque fere ecclesiis, saltem Christianis, usitatus, est ille, quo doctores ecclesiae statis diebus ac locis, obseruato, quem praescriptio, seu liturgia postulat, ritu, sermones ad coetum habent, eisque religionis tradunt doctrinam.

64 Dicuntur eiusmodi sermones vulgo conciones, Graeca uoce homiliae, aliis allocutiones, item tractationes.

65 Antiquissimum esse concionandi morem, ab ipsis etiam ueteris testamenti patriarchis receptum, multi existimant, quos uero, siquidem conciones, ad hodierna conformatas instituta, intelligunt, merito refellit Boehmerus.

66 Dicimus, ad hodierna instituta, utpote quibus conciones secundum

cundum certas plerumque regulas Rhetoricae sacrae, seu artis, ut dicitur, homileticae, componi, atque in suggestu, siue memoriter, siue, quod in Anglia frequens est, ex schedula recitari solent.

67 Quae quidem conciones artificiales non magis improbari debent, quam ipsa eloquentia, a sanctissimis quippe, et diuino afflatis spiritu (*θεοπνευστοι*) doctoribus adhibita, reiici potest.

68 Dummodo in eis elaborandis prudentia utatur ecclesiastes, temperetque uim oratoriam accommodata ad doctrinam sacram elocutione, ne affectatum seculi morem potius, quam pios auditorum mores spectare uideatur.

69 Tales enim conciones, mundanum redolentes genium, et, si barbaro hoc nomine uti licet, alamodicae utique damnari merentur, ueluti christianos inter doctores peculiari hoc dissertatione probauit Grapius.

70 Quam uero methodum concionator, in christiana uiuens ecclesia, sequi debeat, id homiletici, ut uocantur, scriptores docent, in tanta fere copia extantes, ut plaustris aduehi possint.

71 Sat multos in citata modo dissertatione habet Grapius.

72 Quos sigillatim per censere cum alienum sit ab instituto nostro, id tantum paucis effabimur, quod cuiusque ecclesiae doctori in habendis concionibus conuenire, naturalis etiam ratio dictat.

73 Ad duo autem genera officium concionatoris referri potest, quorum alterum generale est, alterum speciale.

74 Generale officium his potissimum regulis complectemur.

75 Ante omnia in animum sibi inducat concionator, eos demum optimos esse sermones, quibus et recte credere, et bene uiuere doceantur auditores.

76 Quare non inanem populi applausum captet, propriamque aucupetur gloriam, sed Dei honorem confectetur, hominumque quaerat salutem.

77 Vt autem in aliorum animis uim habere possit concio, in suo prius animo eam experiatur ecclesiastes, aliosque commouere cupiens, se ipsum prius permoueat.

78 At parum efficax erit concio, si transcripta fuerit ex aliis, et, mendicatae instar stipis, ex uariis, ut nostratibus dicuntur, postillis congesta.

79 Nec

79 Nec adeo in hominum mentes penetrabit oratio, nisi implo-
rata Numinis diuini ope prouehatur.

80 Quocirca id maxime curet concionator, ut, Deum rite pre-
catus, sermones et proprio elaborare studio, et salutari cum fru-
ctu habere possit.

81 Pericles, olympius ille Atheniensium orator, quoties sugge-
stum ascenderit, Deum rogasse dicitur, ne quod sibi uerbum in
mentem ueniret, unde populus offendi posset.

82 Si ciuilis, idemque ethnicus, hoc fecit, orator, quanto magis
ecclesiastes, sanctiore imbutus doctrina, priusquam ad docendum
aggrediatur, Deum inuocare debet, ne ullum ex ore suo excidar
uerbum, quod Dei gloriam laedere, hominumque aliorum mentes
conturbare possit?

83 Caueat insuper ecclesiasticus orator, ne nimia concionum
longitudine fastidium in auditoribus excitet, cum nullus fere sen-
sus citius defatigetur, quam auditus.

84 Quamobrem non facile excedat horam, utpote iustum ha-
bendae concionis tempus, in plerisque ecclesiis statutum.

85 Speciale officium secundum praecipua sacrarum orationum
capita considerari potest, quae fere sunt doctrina et disciplina.

86 Doctrina, in strictiore hic significatione accepta, complecti-
tur dogmata religionis, certae normae conuenienter tradenda,
confirmanda ac defendenda.

87 Disciplina, specialius pariter sumpta, spectat ad mores, ex cer-
tae religionis praescripto rite formandos, iuste corrigendos, in re-
busque aduersis pariter, ac secundis, aequabiliter seruandos.

88 Vnde apparet, ad duo haec capita omne id quodammodo re-
ferri posse, quod nostrates quidem Theologi de quinque doctrinae
christianae generibus, praeeunte gentium doctore, Paulo, tradunt.

89 Quid uero sacer heic orator, suggerente itidem ratione, ob-
seruare debeat, paucissimis, quam fieri potest, praeceptis pariter
exponemus.

90 Ratione doctrinae concionator id curet, ut necessaria reli-
gionis dogmata, pro auditorum captu, proponat, siquidem non
omnes omni loco ecclesiae aequalem complectuntur coetum.

91 Credenda quæq; ex recepta demonstret regula, utpote quam et sibi ante oculos semper statuere debet, et auditoribus suis inculcare.

92 Certam religionis notitiam unumquemque habere, iubeat, ne carbonaria, ut nostrates loquuntur, fides sufficere credatur.

93 Caueat, ne argumenta aliena, ad confirmandam religionis doctrinam minus idonea, e. g. in ecclesia christiana sententias gentilium, ex inani eruditionis iactatione proferendo, linguae, ut pio cuiusdam doctori dicitur, adulterium committat.

94 Qui, nescio quam sacræ dignationis speciem (ἱεροπρεπὲς ἡμίμα) præ se ferens, ideo perplexas frigidasque doctrinas pro concione effutit, ut, quantum in scholis profecerit, palam ostendet, eum merito stolidum uocat theologastrum Erasmus.

95 In refellendis doctrinae suae aduersariis et prudentiam adhibeat ecclesiae doctor, et candorem, et aequitatem.

96 Omnes omnino controuersias ecclesiae salute metiatur.

97 Graues pestiferosque errores, quos late serpere, suosque identidem auditores inuadere posse, suspicatur, cum pia animi alacritate (παρρησία) redarguat.

98 At inconsultum ducat, haereses, aut dudum extinctas, hominumque deletas obliuione, aut saltem ignotas, nec ecclesiae, cui praest, ullum minitantes periculum, acrius exagitare.

99 Quamcunque uero doctrinam confutare necesse habet, sic eam describat, prout ab aduersariis traditur, eorumque continetur scriptis fideique formulis.

100 Nec detrahat quicquam, nec addat, nec concludat male.

101 Formiato controuersiae statu, sententiam contrariam rite declaret, non, uerbis in alienum sensum contortis, aut perperam intellectis, ex suo fingat ingenio.

102 Nihil det odio, nihil inuidiae, nihil propenso in lites animo.

103 Ex ueritatis amore, non gloriae studio, aut disceptandi haeretificandique, ut ita loquar, pruritu, elenchum adhibeat.

104 Nec maledictis insectetur aduersarios, aut ignominiosis notet cognomentis, quasi ob alienam, quæ ducantur, opinionem ab ipsa generis humani communitate essent excludendi.

105 Errores reiectione, errantes commiseratione dignos haberi, fas est.

106 Prae-

106 Præsertim cum aequè stolidum sit, doctorem heterodoxum conuiciis opprobriisque; a peruersa sententia dimouere uelle, quam uiatorem errantem eo in rectum reducere tramitem, si nugatoris, blateronis, uirgatoris, impostoris, nebulonis, aliisue, quibus lixæ et calones se inuicem lacescere solent, nominibus inlametur.

107 Turcorum sacerdotes cum stricto identidem acinace concionari feruntur, ad indicandum sine dubio, ex alcorani præscripto flamma ferroque exstirandos esse incredulos.

108 Absit ab ecclesiae melioris, maxime Christianæ, doctore, ut suae aduersarios doctrinae, quasi hostes publicos, ui armisque domitos habere uelit.

109 Nolit etiam bonus homileta explicando disceptandoque, quod selegit, dogmati iusto diutius immorari, ne tempus, paediae impendendum, didascaliae detur.

110 Non maior in defendendis doctrinis tractandisque contro- uersiis, quam formandis moribus tollendisque corruptelis, ardor esto concionatoris.

111 Ratione disciplinae itaque id enixe agat ecclesiastes, ut talem uiuendi modum auditoribus suis commonstret, qui Religioni omnino respondeat.

112 Inculcet illis officia, et Deo, et sibi, et aliis hominibus debita.

113 Moneat eos, non opere, ut dicitur, operato externæ Dei cultu Religionem absolui, sed piam requiri mentem, uitamque integram, nequitiae, flagitiorum ac turpitudinis expertem.

114 Ostendat, quid promouere possit sanctitatem, quid impedire.

115 Culpet tam omissionis, quam commissionis peccata, eaque inter uicia hominibus familiaria, ueluti ebrietatem, fraudes, mendacia, obtrectiones, inuidiam, execrationes, e. f.

116 Detestetur inprimis tria mundi idola, ut omnium fere peccatorum incitamenta, superbiam, uoluptatem et avaritiam.

117 Etiam occulta impuritatis genera, quae muta uulgo peccata dicuntur, coarguat, id tantum obseruans, ut obscœnitas rerum casta uerborum circumscriptione (εὐφημισμῶ) minuatur.

118 In facienda autem correctione non priuatis pareat affectibus.

119 Faceat hinc personae odium, absit uindictae cupiditas, re-

moveatur arrogancia, exterminetur omnis dominandi libido.

120 Non dictatorem agat, sed monitorem, æquo in omnes animo.

121 Non hodie Argo sit perspicacior, cras talpa caecior, prout in auditorum malefactis uel conniuere omnino, uel peruidere, ipsius interest.

122 Probe etiam discernat peccata infirmitatis et præcipitantiæ a peccatis prauitatis ac petulantiae.

123 Quemadmodum in corrigendo prudenter magistratu peccata publica, seu officii, et priuata, seu personæ, distingui oportet.

124 Debitos insuper gradus correctionis obseruet, nec, nisi facta priuatim admonitione, coram ecclesia quempiam reprehendat.

125 Nec aliter reprehendat, nisi dicendo rem, parcendo personæ.

126 Caueat maxime, ne quid, obscuro hominum maleuolorum, aut loquacium anicularum rumore acceptum, pro concione statim deblateret, indeq; personas innocentes coram imperita plebe sugillandi, ueteremq; forte simultatem exercendi materiam captet.

127 Indignissimus sane est sacerdos, qui, dum peccata grauissima, u. c. periuria, stupra, adulteria, in familiis, ipsi fauentioribus, commissa, tanquam mutus, præterit, minimos etiam defectus, in personis ipsi subinuisis fama iniquiore notatos, tribunitio quasi clamore in suggestu denuntiat, plateas, aedes et tantum non personas ipsas nominans.

128 Quae tandem, nemesis talem manebit reprehensorem, qui, coruis dans ueniam, columbas censura uexat?

129 An conscientiae praetextu sic Deum eludet, uti homines?

130 Quare sincerus ecclesiae doctor omnem iniquitatis suspicionem a se amouere studeat, non suam, sed Dei causam, religiose ac prudenter agens.

131 Sibi aliisque diffidens, nec damnet temere, nec absoluat.

132 Maxime in efferendis mortuorum laudibus parcus esto, ne, priuato motus affectu, pro concione funebri panegyricum habeat, et inconsulta defuncti canonisatione præbeat scandalum.

133 Praesertim cum poenitere possit ecclesiasten, benefici, iusti, sanctique elogium in sermone funebri ei tribuisse, cuius testamentum postea uel nullo, uel exiguo admodum legato suae liberalioris encomiastae expectationi respondere, deprehendat.

134 De-

134 Denique, quo solatio afflictos erigere, quae ratione in omni fortuna aequabiles auditorum mores retinere possit, ipsa religio, pro circumstantiarum ratione, facile suggeret.

135 Haec fere sunt, quae ecclesiae doctor in concionibus obseruare debet.

136 Plura de hoc argumento tradunt tum scriptores homiletici, tum commentatores de officio pastorali, et prudentia ecclesiastica, uelut inter nostrates Quenstedius, Buddeus et Rechenbergius.

137 De concionibus ueterum legi possunt Ferrarius, Hildebrandus et Hoornbeekius.

138 Cum autem conciones ad adultiores et intelligentiores plerumque condocendos spectent, iunioribus etiam et rudioribus de certa informatione prospici oportet.

139 Qualis quidem informatio nostratibus catechisatio dici solet, a nomine Graeco, catechesi, breuem ac perspicuam rudiorum in religione institutionem, uiua uoce fieri solitam, designante.

140 Debito autem modo eam factururus, in id toto incumbat animo, ut necessaria et maxime utilia religionis capita discipulis, pro eo, atque ipsorum fert captus, proponat, eaque non magis memoriae, quam intellectui imprimenda, nec noscenda tantum, sed moribus etiam applicanda curet.

141 Inter christianos ecclesiae doctores de catechisatione sigillatim scripserunt Waltherus, Alberti, Carpzouius, Schmidius, Brunnemannus, Brecklingius, Gerson et Hoornbeekius.

142 Sed satis de institutione religionis, ut prima potestatis ecclesiasticae internae parte, progrediamur ad reliquas.

143 (2) Administratio sacrorum.

144 Conuenit ecclesiae doctori, actus, ad cultum diuinum pertinentes, quemadmodum liturgia postulat, administrare.

145 Tales autem actus perinde uariant, atque ipsae religiones.

146 In ueteri Testamento maximam eorum partem complectebantur sacrificia, quorum usus etiamnum inter nonnullas fortasse gentes obtinet.

147 Nostris christianorum institutis baptismum in primis et coenam dominicam, duo quippe noui foederis sacramenta, ab ecclesiaste regulariter administrari, decet.

liiii 3

148

148 Dico, regulariter, cum, poscente necessitate, etiam a persona, extra sacerdotium constituta, baptismus administrari possit.

149 Haud secus, atque omnibus initio fidelibus talem administrationem fuisse concessam, inter alios docet Hilarius, commemorante Boehmero.

150 An uero dominica pariter coena in casu necessitatis, deficiente ecclesiae ministro, a laico, ut dicitur, administrari possit, in utramque disceptatur partem.

151 Quae quidem disceptatio cum mere sit Theologica, eam hic excutere ab instituti nostri ratione alienum ducimus.

152 Quid autem praeterea hic sciri mereatur, praeter Theologos, ecclesiastici etiam iuris doctores ex parte tradunt, maxime Carpzovius, Brunnemannus, Wolfius, Titius et Boehmerus.

153 Singulares de baptismo et eucharistia tractationes proderunt Lynckerus, Zieglerus, Ludouici et Goldastus.

154 Sacram eiusmodi synaxin, siue eucharistiam, in certis christianorum ecclesiis antecedere solet confessio priuata, siue, ut uulgo dicitur, auricularis.

155 Talis nimirum actus, quo christianae ecclesiae membrum coram certo ministro in certo loco, qui homologetica uulgo cathedra dicitur, peccata sua uel generatim, uel speciatim, confitetur, eum ad finem, ut eorum remissionem a confessionario, auctoritate diuina, obtineat, riteque instructum, dignius ad sacram communionem accedere possit.

156 Hoc quidem institutum, si rectus obseruetur usus, rudiori maxime plebi conducit, ut diuinissimo hoc sacramento non, nisi informata bene recteque praeparata, uti possit.

157 Adeo tamen necessarium illud haud esse, ut christianus, firmis caeteroque fidei pietatisque praesidiis instructus, sine eo sacram cum fructu synaxin participare nequiret, uel innumerae illae testantur ecclesiae, in quibus id plane inusitatum est.

158 Vnde consequitur, non magis ab ecclesiae doctore, quam imperante constringendam hic esse conscientiarum libertatem.

159 Praesertim ubi pars salarii, hoc nomine praestanda, alio compensatur emolumento, uti sapientissime prouisum est in augusta Regis Borussiae sede.

160 Ce-

160 Ceterum quaecunque sacra administranda sint ecclesiasticae, probe meminerit, rationem esse habendam eorum, quibus ministerium suum impertire debeat.

161 Ita scilicet, ut ne rudes pariter atque intelligentes, ignotos aequae ac notos, ad percipienda sacra temere admittat.

162 Si pastor oves, suae commissas custodias, probe discernit, et tenerioribus, morbo affectis, aliter prospicit, quam ualentioribus, quidni sacerdos auditorum suorum animos itidem curaret?

163 Annon auditores suos nosse fidei ecclesiae doctori magis conuenit, quam Cyro, Persarum Regi, singulorum in numerosissimo exercitu militum nomina sciuisse?

164 Ad explendum omnibus numeris officium non satis est sacrorum curatione, tanquam penso aliquo, defungi, nisi usus etiam fructusque spectetur.

165 Nec ministerium, sed ministerii finis maxime attendi debet.

166 (3) Observatio disciplinae.

167 Disciplina, in speciali accepta sensu, hic designat agendi uiuendique rationem, religionis professioni receptisque in ecclesia institutis consentaneam.

168 Talem oppido disciplinam ecclesiae doctor, pro eo, ut ministerii rationem ferre, supra diximus, obseruare debet.

169 Ecquid enim prodesset, religionis doctrina suos instituisse auditores, suoque ipsos ministerio in perficiendis cultus externi partibus adiuisse, nisi cum fide congrueret uita?

170 An religionis cognitione nudaque sacrorum celebratione officium aduersus Deum, eiusue cultus absolui potest?

171 Nonne, ut supra diximus, integra, pura atque incorrupta mente Deum uenerari, et castissimis sanctissimisque moribus eum colere caput in religione est?

172 Itaque non exiguam curae industriaeq; partem in eo collocet ecclesiastes, ut ad ecclesiae disciplinam uiuentes habeat auditores.

173 Priuata identidem salutatione, seu domestica, ut dicitur, uisitatione exploret, ubi correctione opus sit, ubi consiliis, ubi solatio.

174 Ideo utilitatem eiusmodi uisitationis ac necessitatem, praeter Seckendorffium, ex citatis supra doctoribus maximopere exaggerant Brunnemannus, eiusque explanator, Stryckius. 175 IV.

175 IV. *Axiomata* sunt: (1) Certa quidem potestas ecclesiae doctori ad obeundum rite officium tribuatur, necesse est.

176 (2) At qualis ea sit, debeatue esse, uel ipsa docet appellatio.

177 (3) Scilicet cum minister dicatur, non dominus, sic etiam in utenda tali potestate se gerere debet, prout ministrum decet.

178 (4) In docendo, hortando et corrigendo, non mandando, cogendo ac puniendo potestatem hanc consistere, meminerit.

179 (5) Quare ab omni etiam arrogantia esto alienus.

180 (6) Episcopum quidem, Doctorem Theologiae, ac Iesuitam tria animalia gloriae, h. e. ambitiosa, dixit Patinus.

181 (7) Imo, ambitionem et avaritiam quasi propria clericis uitia esse, nostrates asseruerunt Icti, Zieglerus et Hornius.

182 (8) At ita de omnibus iudicare nolim, cum uerus ecclesiae minister talem in suis se praebet actionibus, ut modestiae amicus dici mereatur, superbiae inimicus.

ARTICVLVS II.

DE

POTESTATE ECCLESIASTICA EXTERNA, SEU IMPERIO.

Potestas ecclesiastica externa, seu imperium considerari potest tum ratione iurium, quibus constat, tum ratione mediorum, quibus exerceri potest.

INSPECTIO I.

DE

IVRIBVS POTESTATIS ECCLESIASTICAE EXTERNAE.

I. *Descriptio.* II. *Expositio.* III. *Axiomata.*

I I.

D*escribi* possunt iura potestatis ecclesiasticae externae per facultates, easque eminentiores, quas imperans, ui summi imperii, seu maiestatis, in ecclesiam, qua societatem externam, in ciuitate existentem, eatenus obtinet, ut societatem hanc in actibus, humano imperio subiectis, ad communem salutem dirigere possit.

2 Dicimus, iura haec esse facultates, scilicet morales, seu potestates,

res, cum nomen iuris non legem hic denotet, sed attributum personae, seu facultatem moralem aliquid secundum leges uel agendi, uel habendi.

3 Eminentiores autem facultates dicuntur, h. e. publicae et imperatiuae, imperantibus quippe, summam habentibus potestatem, propriae, uti hoc sensu uocantur Grotio.

4 Ab aliis nominantur partes iuris sacrorum, seu imperii circa sacra potentiales, la nonnullis imperii talis effecta.

5 Dicimus porro, imperantem eiusmodi iura ui summi imperii, seu maiestatis in ecclesiam, qua societatem externam, in ciuitate existentem, habere.

6 Scilicet, ut supra docuimus, maiestas est summa ubiq; in ciuitate potestas, h. e. talis, quae uim suam, sicut in Rempublicam uniuersam, ita in singulas etiam societates, ea comprehensas, diffundit, easq; ad obtinendum finem, communem nempe salutem, dirigit.

7 Cum igitur ecclesia, quatenus externa et publica est societas, in ciuitate existat, hoc etiam nomine non minus, quam aliae societates, aliue coetus, summae in Republica potestati est subiecta.

8 Imo, cum ecclesia, ut supra diximus, concrete spectata, sit ipsa Respublica, a publico Religionis exercitio aliud sortita nomen, quidni Princeps hoc etiam respectu suum in eam imperium fini proposito conuenienter exercere possit?

9 Consequitur hinc, potestatem ecclesiasticam externam, seu ius sacrorum, unice ui summae illius potestatis, seu maiestatis, ad imperantem pertinere, adeoque ipso iure naturali partem esse imperii ciuilis.

10 Et hoc respectu in sensu eminentiori (κατ' ἐξοχήν) dicitur imperium, potestas regia, architectonica, diatactica, e. s.

11 Quod sicuti traditum supra discrimen potestatis ecclesiasticae internae et externae satis confirmat, ita declarare potest, cur supra pariter dixerim, nec Principem summi episcopi, nec ius sacrorum iuris episcopalis nomine appellari debere.

12 Scilicet, cum episcopus inter ecclesiae doctores sit referendus, non aliam, nisi doctoris ecclesiae, potestatem hoc etiam nomine habere potest.

Kkk kk

13 At-

13 Atqui potestas doctoris ecclesiae et potestas summi imperantis, altera quippe dogmatica et ministerialis, altera architectonica et imperialis, adeo inter se distant, ut ne quidem in una utramque persona coniungi posse, supra docuerimus.

14 Cur ergo ius sacrorum, imperanti, qua tali, proprium, episcopale, imo ipse imperans, a doctore ecclesiae plane diuersam sustinens personam, episcopus appellatur?

15 At enim, inquis, mera haec de nomine disceptatio (λογομαχία) est, siquidem episcopus, notatione sua praefectum, seu moderatorem, coetui alicui dirigendo attendentem, significans, utique ciuitatis pariter, atque ecclesiae, rectori tribui potest.

16 Idque hoc magis, quod appellatio talis usu iam inueterauit, quo uerba perinde, ac nummos, ualere, nouimus.

17 Nae tu ita loquaris, an aliter, ad ius rei multum interest.

18 Si ecclesiasticam Principis potestatem ius episcopale nominas, non potes non dare, potestatem hanc talem esse, qualem episcopi, h. e. sacri ordinis homines ecclesiaeque doctores, alioqui propriam habeant.

19 Quo dato, consequitur, Principem ob duplicem potestatem duas etiam personas necessario induere debere, alteram scilicet Principis, qua Rempublicam administret, rerumue ciuiliū capefat imperium, alteram episcopi, qua ecclesiae praesit, rerumue sacrarum ius obtineat.

20 Hoc autem quid aliud est, quam duas inter se distinctas seiunctasque Respublicas cum Pontificiis fingere, ciuilem et ecclesiasticam, quarum illa Principis, haec Episcopi gubernationi subsit?

21 Annon sic potestas, quam imperans iure proprio, ui maiestatis imperiiue ciuilis, habet, iniustis eiusdem usurpatoribus, eisque summae subiectis potestati, accepta fertur?

22 Nonne, Principem, quatenus sacra exercet iura, Episcopum uocans, similiter facis, ac si eundem, ubi iurisdictionem, a ministro, aut consiliario usurpatam, uindicauerit, hoc respectu ministrum, aut consiliarium appellare uelles?

23 Dico, usurpatam, cum, quicquid potestatis sacerdotio contrariae episcopus papalis, imo ipse Pontifex Romanus, qua com-
men

mentitius uniuersae Christianitatis praesul, summusque episcopus, in ecclesia obtineat, id omne mera iuris alieni sit usurpatio.

24 Talis nimirum, cui nonnulli Imperatores Imperiique Ordines nimia in clerum papalem indulgentia ansam dederunt.

25 At, restituta fidei Christianae integritate, etiam Principes, hanc amplexi fidem, ius sacrorum ab usurpatoribus quasi postliminio recuperarunt.

26 Ita, ut non fiduciario, sed proprio iure, ui summae potestatis, seu territorialis, ut dicitur, superioritatis, ipsis naturae legibus conuenienter, id nunc exercent.

27 Nec credibile est, eos unquam commissuros, ut exercitium tale, tot tantisque discriminibus redemptum, ab hominibus, alieni cupidis imperii, iterum detineatur.

28 Praesertim cum nullo non tempore docti cordatique uiri diuinitus excitentur, qui Donatistas, Anabaptistas, Papistas, aliosque imperii sacrorum oppugnatores (ἀσχονομάχης) refellere sustinent.

29 Notus est liber singularis, quem contrariae Pontificiorum doctrinae opposuit Franequeranus quondam Professor, Vedelius.

30 Quem magno quidem, at irrito, conatu refutare studuerunt papizantes Caluini ac Bezae discipuli, Apollonius, Reuius, Triglandius, alique, quorum rationes excussit laegerus.

31 Pontificias uero hypotheses summatim recensuit Boeclerus.

32 Ex hactenus dictis apparet, uel ideo iuris episcopalis nomen declinari oportere, ut ne cauillandi materia Pontificiis detur, quasi nos ipsi tali concedamus doctrina, ius sacrorum iure proprio ad episcopos pertinere, et Principes, qua tales, eius esse incapaces, adeoque, pacis duntaxat causa, suspensione ex certa conditione potestatis exercitium tenere.

33 Praetereo alias conclusiones falsissimas, quae ex dogmate hoc inferri solent, e. g. quod consistoria constituentur a Principe, non qua tali, sed qua episcopo, adeoque etiam episcopalia exercent iura, quod inuestitura, tanquam pars iuris episcopalis, ad solum Principem, qua episcopum, pertineat, adeoque a magistratu oppidano praescriptione immemorabili acquiri haud possit, e. s.

34 De quibus cordate, pro more suo, agit illustris Boehmerus.

Kkk kk 2

35 Ne.

35 Neque tamen hic solum politissimi iudicii Ictus necessitatem ab incommodo iuris episcopalis nomine abstinendi agnouit, sed alii etiam doctores, eique maximam partem inter nostrates praecipui, cum ipso sentiunt.

36 Tales sunt, e. g. Grotius, Conringius, Hugo, Brunnemannus, Strykius, Strauchius, Hertius, Thomafius, Bergerus, Hornius, Gribnerus, Schroeterus, Müllerus, Titius, nec non auctor meditationum ad Instrumentum Pacis.

37 Stante hac sententia, eorum pariter opinio corrui, qui, Principem, quatenus praecipuum ecclesiae sit membrum, ius sacrorum exercere, putant, ut supra iam monuimus.

38 Maxime, quod alioquin imperans in ecclesiam, diuersae a sua religione fidei addictam, nullum haberet imperium.

39 Verum enimvero imperantem, aliena colentem sacra, ecclesiasticam quoque potestatem habere, nemo eorum negabit, qui ciuitatis naturam norunt, et, quod religionis diuersitas politiam, h. e. imperandi parendique ordinem, haud tollat, secum perpendunt.

40 Quamquam imperans in dirigenda ecclesia, diuersam profitente religionem, cauere debet, ne quid ordinet, decidatue, quod fidei symbolis, ipsi incognitis, aduersari possit, de quo dissertationem scripsit Wernsdorffius.

41 Neque enim Princeps, etiam cum ciuib' suis in religione consentiens, plus potestatis in ecclesiam habet, quam et Reipublicae finis postulat, et cultus diuini fert ratio.

42 Scilicet cum finis det modum et mensuram mediis, imperans quoque omnia potestatis ecclesiasticae iura proposito, ad quem referenda sunt, sine metiri debet.

43 Omnis autem Reipublicae finis est communis ciuium salus.

44 Quae quidem salus tantum abest, ut externa duntaxat tranquillitate externaue ecclesiae ordinatione, quoquo modo facta, contineatur.

45 Etiam ea complectitur bona, quae religionis, maxime purioris sauctiorisque, cultus emendatis hominum animis impertit.

46 Quippe ecclesia, ut supra diximus, non, aliorum instar collegiorum, civile aliquod commercium, bonumque adeo temporale, sed

sed sacrum rerum diuinarum exercitium, bonumque adeo spirituale, ut finem proprium, sibi praestitutum habet.

47 Ergo huc imprimis tendere debet sacrorum cura.

48 Quamuis enim imperans potestatem ecclesiasticam ui summi imperii, adeoque intuitu Reipublicae, in externa potissimum tranquillitate conferuandae, adeoque ab omni, quod ecclesia forte afferre possit, detrimento custodiendae, obtineat, in exercenda tamen hac potestate ecclesiae simul rationem habere debet.

49 Scilicet, quemadmodum Princeps, si alia forte collegia publicae salutis caussa ordinare necesse habet, proposito ipsorum fini attendit, eumque non impedire, sed aptis contra institutis promouere studet.

50 Sic etiam in ecclesia, ad decentem ciuitatique commodum ordinem dirigenda, id simul spectare debet imperans, propter quod talis ordo perinde, atque ipsa ecclesia, primario constituitur.

51 Nimirum, ut ecclesia cultum religionis nascentemque inde hominum salutem pro fine habet, sic omnis itidem ordo ad hunc praecipue finem accommodari debet.

52 Ita, ut ordinata ecclesiae constitutio, quamuis proprium ecclesiae finem, spiritualia quippe media, a sacerdotio subministranda, postulantem, per se ac directe procurare nequeat, obtinendo tamen eidem, remoti instar adminiculi, utique inseruire possit.

53 Quapropter omnia omnino instituta ecclesiastica sic debent esse comparata, ut proprium hunc finem non impediant, sed potius, sublato omni impedimento, prouehant.

54 Sin uero Princeps in ordinanda ecclesia ad externam duntaxat incolumitatem ciuitatisque salutem spectare uellet, facile quicquam constitui posset, quod proprio huic fini foret aduersum.

55 Idque tum maxime, si Princeps diuersam coleret religionem.

56 Ergo, quicquid imperans in rebus ecclesiasticis ordinat, id omne uero ecclesiae fini subordinare debet.

57 Ita, ut quasi duos prudentiae oculos semper aduertat, alterum ad Reipublicae tranquillitatem, in pacato rerum omnium statu consistentem, alterum ad ecclesiae salutem, ex iusto religionis cultu prouenientem.

Kkk kk 3

58 Quare

58 Quare imperium et sacerdotium ad internam externamque religionis rationem quodammodo concurrere, supra docuimus.

59 Talinimirum modo, qui propriae utriusque naturae respondeat, et, manente utriusque discrimine, nec Papo Caesariam inducat, nec Caesaro-Papiam.

60 Id est, nec sacerdos imperium affectare, actusque religionis, ab omni coactione immunes, implorata superiorum potentia, extorquere, nec imperans externam adhibere vim, hominumque animis iugum intentare debet.

61 Omnem potestatem certis contineri finibus, oportet.

62 Ob eamque causam in actibus, humano subiectis imperio, seu externum admittentibus regimen, ad communem salutem ab imperante dirigi debere ecclesiam, in descriptione supra diximus.

63 Quinam uero actus humano imperio sunt subiecti?

64 Plane hoc intelligetur, ubi praecipua externae potestatis ecclesiasticae iura instituto nostro conuenienter exposuerimus.

65 II. *Expositio* autem talis non inepte fieri potest secundum duplex ecclesiae obiectum, reale ac personale.

66 Reale sunt ea, quae partim ad ipsam religionem fideiq; causam, partim ad externam ac ritualement cultus diuini rationem, partim etiam ad ecclesiae conseruationem pertinent.

67 Personale sunt personae, partim sacrorum administrationi praepositae, h. e. doctores, partim extra munus ecclesiasticum constitutae, h. e. auditores.

68 Respectu obiecti realis imperans haec praecipue iura habet.

69 (1) Jus certam stabiliendi religionem.

70 Postulat Reipublicae salus, ut imperans uirtuti honestatique deditos habeat ciues, quippe cum tales demum firma cum aliis societate coniungi possint.

71 Atqui omnium facile uirtutum fundamentum est religio.

72 Religio animos hominum ita obstringit, ut, iustum metuentes Deum, iustitiam quoque, fidem, obedientiam et probitatem inter se obseruent.

73 Imo, quos Ratio non potest, eos in officio continet Religio.

74 Eamque ob causam religionis, etiam simulatae, multoque
magis

magis ueræ ac christianæ, maxima semper uis in ciuitatibus extitit, prout inter alios hoc declarant Grotius, Pufendorfius, Zieglerus, Arnifæus, Schmidius, Masius, Buddeus, et Rechenbergius.

75 Ergo præcipua religionis cura ad imperantem pertinet.

76 Ita scilicet, ut publicam certæ religionis doctrinam definire, approbatione sua confirmare, certisque comprehensam symbolis, statuere debeat.

77 Cum enim de cultu diuino, actibusque ad eum pertinentibus, uariæ atque inter se discrepantes sint hominum opiniones, necessarium utique est, ut, qui certæ se adiungant ecclesiæ, certam quoque profiteantur fidem.

78 Talem igitur fidei professionem ad receptam in ecclesiâ normam ab imperante conformari, conformatamque publico ordinari exercitio, fas est.

79 Facit huc scripta credendorum epitome, qualem in euangelicis Christianorum ecclesiis continent libri symbolici, sigillatimque in Anglicana xxxix articuli, anno MDLXXI auctoritate reginæ, Elisabethæ, confirmati, et uberius expositi a Salisburienfi episcopo, Burnetto.

80 De necessitate formularum fidei extat dissertatio Loescheri.

81 In consignando autem confessionis publicæque doctrinæ syntagmate non suum duntaxat iudicium sequi, sed probos etiam doctosque uiros tum politici, tum ecclesiastici ordinis, audire debet imperans.

82 Nec ita publicum certæ religionis exercitium introducendum est, ut ciuibus, diuersam amplexis fidem, omnis priuata obeundi sacra libertas adimatur.

83 Nam, ubi plures una religiones longo iam usu sunt receptæ, ibi talis utique tolerantia locum habere debet, qualem et doctrinæ ratio, et ciuitatis salus permittit.

84 Scilicet hoc quidem ex libero Principis arbitrio pendet, an noua in Rempublicam religio sit recipienda, nec ne.

85 At, ubi de recepta dudumque exercita agitur, id utique obseruari debet, quod necessitas pariter, atque utilitas suadere uidetur.

86 Nam uariæ tolerationis causæ existere possunt.

87 E. g.

87 E. g. quod hominum rerumque incrementa hinc capiat ciuitas, quod beneficii eiusmodi sensus maiorem in toleratis fidem eliciat, quod sincerior religio ob dissentientes accuratius diligentiusque doceatur, eoque ipso multis se conuertendi detur occasio.

88 Quamquam necessitas commoditatis a necessitate incolumitatis probe discerni debet, cum illa huic grauitate permultum cedat.

89 Tum uero concedenda maxime est tolerantia, si pactione, aut lege aliqua fundamentali debetur.

90 Quo quidem nomine secundum I. P. in Imperio nostro Germanico tres tolerantur religiones, Lutheranorum, Reformatorum et Pontificiorum.

91 Pontificii, seu Papistae, uulgo appellantur Catholici, seu Romano-Catholici, Lutherani autem et Reformati alias Euangelici, item Protestantes, et speciatim Reformati, nostratibus Calviniani dicti, in Gallia uocantur Hugonottae.

92 De qua quidem appellatione inter scriptores non conuenit, aliis a conspirationis tessera, aliis ab Hugone Capeto, Comite Parisiensi, aliis a porta Hugonis in urbe Turonensi, nocturnorum congressuum loco, eam deriuantibus, teste Limnaeo.

93 Quod si nulla obstat conuentio, et ecclesiae ciuitatisque salus religionem alienam ac perinde noxiam amouere postulet, ciuibus, talem amplexis religionem, emigratio iniungi potest.

94 Simplex nempe, ab omni bonorum famæq; iactura immunis.

95 Cum enim talis iactura sit genus poenae, non magis ob fidei diuersae professionem locum habere potest, quam imperium in conscientias.

96 Diuinae hoc maiestatis reseruatum est, non Principum jus.

97 Nam cogere quempiam, ut, quod falsum esse, credit, pro uero habeat, quodue fieri haud debere, sibi perluadet, nihilominus faciat, est conscientiae uim inferre.

98 Intellectus, ut passim in nostra hac synopsi docuimus, est facultas animae necessaria.

99 Talis scilicet, quae, positis omnibus ad intelligendum requisitis, non potest non intelligere, h. e. rem, sibi obiectam, ita cognoscere ac iudicare, prout huius natura, ex certo aliquo principio considerata, se habet.

100 Non

100 Non itaque animi sensa Rationisue dictata humano sub-
sunt imperio.

101 Nec sua se libertate eatenus abdicaſſe cenſendi ſunt ciues, ut
omnem omnino uoluntatem, etiam in cauſſis, ad finem Reipublicae
non aequae ſpectantibus, ex Principis arbitrio ſuſpenſam habeant.

102 Qualis cauſa cum ſit religio, ratione internae de Deo cultu-
que diuino perſuaſionis potiffimum conſiderata, non item, ut cae-
terae hominum actiones, ciuili obnoxia eſt rectioni, quicquid in
contrariam hic partem diſputet Houtuynus.

103 A quo merito diſſentiunt Pufendorſius, Boehmerus, Bec-
mannus et Tullekenius.

104 Quibuſcum conferri merentur ſcriptores, de libertate con-
ſcientiae commentati, uti Wegerus, Werenſelſius, Boehmerus.

105 Ergo alienum a poteſtate ſua ducat imperans, etiam mini-
ſtrum ſeruumque ullum ad colenda diuerſae religionis ſacra co-
gere, alioſque ab eo exigere actus, quam quos perficere conſcientia
permittit.

106 Non religioſos, ſed hypocritas fieri coactos, cogitet.

107 Praeſertim, ubi hominum animos praua haec inuaſit opinio,
aliam poſſe eſſe religionem internam, ſeu cordis, aliam uero ex-
ternam, ſeu oris.

108 Obſiſtat haereticis, imo, ſi, uiolatis proterue iuſſis, noxios
eccleſiae ciuitatique errores diſſeminare auſint, uel carcere, ſimili-
ue poena eos coerceat, uel ſua expellat regione.

109 At nolit ſupplicio eos punire, uiolentiaque opprimere.

110 Firmiter in animum ſibi inducat, peſſimam ac perinde nocen-
tiſſimam eſſe opinionem de haereticis, flamma ferroq; extirpandis.

111 Plurimorum quippe malorum ſons haec exitit opinio.

112 Nec quicquam fuit, quod Hiſpanorum res magis afflixerit,
quam inſtituta aduerſus non-Catholicos Inquiſitio, utpote quae
Hiſpaniam foris exoſam, domi deſertam inopemque reddidit, ut
plurimis ſcriptorum teſtimoniis hoc confirmat Schurzſleiſchius.

113 Quo cum conferri merentur, qui argumentum hoc ex inſti-
tuto pertractarunt, Zieglerus, Lynckerus, Thomasius, Quiſtorpius
Boehmerus et Roehrenſee.

114 Hinc ergo relinquitur, ut neq; iudæos ad fidem christianam cogere, eorumue liberos, inuitis parentibus, baptizare liceat.

115 Ceterum eos, christiani quippe nominis obtrectatores, foeneratoresque improbos, non sine cautione recipiendos esse tolerandosque, recte existimat Boehmerus.

116 Legi hic etiam meretur dodecas legalis de Iudaeorum receptione ac tolerantia Wilduogelii.

117 An delendi sint eorum libri, disquisiuit Becmannus.

118 Quamuis autem Princeps heterodoxos ui poenisque ne quidem ad frequentanda dissentientium sacra, nedum ad puriorem suscipiendam fidem, cogere possit.

119 Potest tamen alia eos conuertendi uia identidem uti.

120 Admonitione, errorum refutatione, imo extraordinariorum quoq; præmiorum elargitione, saltem ad audiendos fidei melioris doctores, eosdem adducere licet, ut pie existimat Zieglerus.

121 Legi hic merentur Hoornbeekius, Buddeus et Boehmerus.

122 (2) Ius decentem cultus diuini rationem ordinandi.

123 Ad procurandam ecclesiae ciuitatisque salutem non satis est, certam publice religionem stabiliuisse, ceterasque, quarum tolerantia forte necessaria est, ad certos adstrinxisse fines.

124 Bono etiam ordine in sacris omnia componantur, necesse est.

125 Et, quoniam ritus non exiguam ecclesiastici decoris (*εὐκοσμίαις, ἡ εὐσεβήμοσύνης*) partem complectuntur, eorum quoque curam habere debet imperans.

126 Ita scilicet, ut adiaphora, h. e. res indifferentes, neq; ex religionis natura, neq; ex Dei praescriptione necessarias, sed humano relictas arbitrio, proposito ecclesiae fini conuenienter ordinet.

127 Dico, proposito ecclesiae fini conuenienter, quia Princeps ex summa quidem potestate de ritibus sacris statuit, non aliter tamen, quam cultus diuini ratio propriusque ecclesiae finis permittit, statuere debet.

128 In omnibus quippe ordinationibus ecclesiasticis non Reipublicae magis, quam ecclesiae fini ipsum attendere oportere, supra iam monuimus.

129 Quam ob rem non facile abolere quicquam debet, aut reformare,

mare, unde subditos scandali materiam capturos esse, praeuidet.

130 Maxime si inueteratum fuerit institutum, in uerioris ecclesiae discrimen libertatisque tutelam usque retentum.

131 Imo, cum ecclesiae perinde, atque aliis in ciuitate collegiis, sui regulariter mores sui que ritus relinqui debeant, Principis est, diuersae addictis religioni eam hic libertatem concedere, quam Reipublicae innoxiam deprehendit.

132 Ceterum caueri debet, ne nimia rituum multitudo uerum ecclesiae finem impediatur, externa magis, quam interna curandi occasionem praebens.

133 Nam ea est hominum corruptio, ut, externis obruti caeremoniis, etiam externo magis cultui, quam interno sese dedant.

334 Proinde quo simplicior est religio, eo plerumque est melior.

135 (3) Ius ferias festosque dies indicendi.

136 Cum imperans ea, quae ad modum, tempus, locum, similesque cultus externi circumstantias spectant, dirigere possit, uaria etiam genera feriarum, pro necessitatis utilitatisque publicae ratione, ordinare potest.

137 Quare ius tale ad maiestatem refert Imperator in l. 4. C. de fer.

138 Quosque dies feriatos haberi oporteat, recensent Imperatores in l. 7. C. eod. et in primis diem dominicum omnibus honorabilem ac uenerandum decernunt in l. ult. C. eod.

139 Apparet hinc, iustam fuisse causam, cur protestantes quondam Principes nouum repudiauere calendarium, quod Pontifex Romanus, Gregorius XIII. obtrudere uoluit.

140 Scilicet ne noua, quam continebat, festorum praescriptio tum auctoritati Imperatoris, tum Principis cuiusque superioritati territoriali quicquam derogaret, uid. hic Becmannus, Zieglerus et Boehmerus.

141 Equidem uetus illud calendarium, quod a Iulio Caesare Iulianum dici consueuit, ob plurimos naeuos emendandum esse, probe agnoscebant Protestantes.

142 Sed, quoniam Papa nouos illos fastos, quos, Aloisii Lili, Doctoris Medici, opera adornatos, anno MDLXXXII. orbi Christiano proposuerat, ad exercendum iurisdictionis usurpatæ actum præ-

cipere uolebat, non poterant non arrogantiae huic obfistere.

143 Ita, ut ipsi tandem anno MDCXCIX. calendarium, celeberrimi Weigeli con filiis emendatum, et a Gregoriano in nonnullis diuersum, libero consensu receperint, atque, ui summi in sacris et profanis imperii, in suis promulgauerint terris, uti haec facta uberius exponit modo nominatus Boehmerus.

144 Ergo in sua quisque regione ferias ordinat Princeps, modumque ipsas agitandi subditis, eadem colentibus sacra, praescribit.

145 Dico, subditis, eadem colentibus sacra, cum aduersae addictos fidei ad eas celebrandas cogere non possit.

146 Praefertim in Imperio nostro, ubi libertas, publice sancita, obstat.

147 Quamquam mutua utique concordia deposcit, ut saltem ab eis absteineatur operis, quibus una ciuium pars alterius sacra, festis peragenda diebus, turbare possit.

148 An dies dominicus in sabbati Iudaici locum sit substitutus, et necessario a christianis obseruandus, praeter Strykium, Fechtium aliosque, supra in I. N. p. 244. pos. 118. excitatos, idem disquisit Boehmerus.

149 (4) Ius publicas ordinandi preces.

150 Praecipuam cultus diuini partem in precibus consistere, non modo christiani, sed ipsi etiam gentiles, licet uana imbuti superstitione, agnouerunt.

151 Scilicet assidua pia mentis precario hominem a mundanis ad spiritualia abducit, et, quasi effractis coeli ianuis, ad Deum transfert, arctissimaque cum eo coniunctione copulat.

152 Imo carissima Deo uictima est poenitentis supplicatio.

153 Quare religiosus quondam Ictus, Brunnemannus, hoc usus est symbolo, deuota precatio est optima christianorum status ratio.

154 Ad faciendas autem preces nequaquam opus est externa quadam solemnitate, siue loci, siue temporis, siue formularum.

155 Quippe non locus commendat preces, sed animus deuotus.

156 Assidue (*ἀδιαλείπτως*) orandum est, non statim demum tempore.

157 Et uerbis, ex proprio deuotionis sensu utcunque conceptis, non formulis, aliena compositis meditatione, pia mentis desideria, saltem ab intelligentioribus, Deo offerri debent.

158 Ve-

158 Verum tamen, cum congregationes publicae, propter cultum diuinum, adeoque etiam preces, quippe praecipuam eius partem, institutae, decenti quodam ordine fieri debeant, solemnes utique preces introduci possunt.

159 Tales itaq; preces praescribendi ius habet imperans, utpote cui liturgiam, cuius pars publicae sunt preces, adornare conuenit.

160 Scilicet ipsae quidem preces ad instituta, humano subiecta arbitrio, haud spectant, singulis quippe ecclesiae membris ad perficiendum, uti par est, cultum necessariae.

161 At preces publicae et communes (*ευχαριστιας*) ad summum utique imperantem pertinere censendae sunt.

162 Eatenus nempe, ut earum formulas receptae in ecclesia religioni conuenienter ordinare, adeoque, etiam si a piis doctisque Theologis, quibus id muneris delegare placuerit, concipiantur, suo tamen suorumue ministrorum et consiliariorum iudicio examinandas accurandasque subiicere possit.

163 Imo et modum, quo fieri debeant, e. g. inflexis genibus, manibus complicatis, pulsatis campanis, definire, Principis est.

164 Quae quidem omnia non ita sunt intelligenda, quasi praescriptis duntaxat formulis sese adstringere debeant sacerdotes.

165 Potius ex homilia, ad populum habita, preces formare, easque, memoriter conceptas, animo uultuque ad Deum erecto, fundere, imo in media identidem concione uota ac suspiria miscere debent, ut pie suadet Brunnemannus.

166 Idque hoc magis, quod receptae precationum formulae plerumque pro consuetudine tantum, animis alio aduersis, recitari soleant.

167 Omitto, eas ne quidem temporis rationi semper congruere, nedum peculiari cuiusque statui, ut idem monet Brunnemannus.

168 Ad publicas autem preces referri debent collectae, h. e. breues orationes, quae a sacerdote, salutato prius populo, ex libris liturgicis, siue, ut uulgo dicuntur, agendis recitari, seu potius cantari solent.

169 Nomen feruntur habere ab eo, quod uel, collecto in unum populo, recitentur, uel ex selectis scripturae sacrae uerbis in epitomen

men sint collectæ, uel ab orantibus, collectis ad Deum animis, fiant.

170 In Romanis quidem ecclesiis collectæ tales latina recitantur lingua, in Euangelicis autem, saltem plerisque, uernacula.

171 Dico, plerisque, quia in nonnullis etiam nunc locis, uti hic Vitembergæ, festis præsertim diebus, latina retinetur decantatio.

172 Quid autem sacra hæc latinitas signaris eiusdem hominibus, iisque maximam ecclesiæ partem constituentibus, prodesse possit, quisque iudicet.

173 Et tamen ipso acclamationis uerbo, Oremus, omnia coetus membra cum ecclesiæ simul precari iubentur.

174 Equidem ualde dubito, an plus deuotionis excitare queant preces eiusmodi incognitæ, quam hymni latini, a rudioribus, siue maribus, siue foeminis, cantati.

175 Haud tamen dixerim, eas ideo in nostris retineri ecclesiis, ne omne omnino uestigium dominantis papatus deleatur, sed semper documentum splendide supersit miseriæ, uelut in erudita ceteroqui dissertatione de iure precum publicarum autumat Boehmerus.

176 Eodem quoque pertinent litanie, tum statæ, tum imperatæ, item horarum, uti dicuntur, precatoriarum ordinationes, nec non publicæ intercessionēs (ἐντεύξεις) et gratiarum actiones, pro Imperante eiusque familia, perinde, atque aliis ecclesiæ membris, faciendæ, atque ex schedulis, quas diptycha uocare solent, plerumque recitandæ.

177 De quibus omnibus legi meretur modo citatus Boehmerus.

178 Qui etiam, quid Princeps catholicus a subditis protestantibus, maxime ratione certarum cantiuncularum, exigere possit, probe disquirat.

179 De ueterum christianorum precibus scripsit Hildebrandus.

180 (5) Ius ecclesiastica curandi bona, de quo infra ex instituto agendi dabitur copia.

181 (6) Ius adornandi templa, quod infra pariter in peculiari exponemus Articulo.

182 (7) Ius defendendi ecclesias, in territorio constitutas.

183 Dicitur ius tale aliis ius patronatus regium, aliis ius aduocatiæ, h. e. tutelæ ac defensionis, sicuti aduocatus hoc sensu est defensor ac patronus nobilior potentiorque.

184 Sci-

184 Scilicet duo fere genera aduocatorum ecclesiae apud ueteres occurrunt, unum potentiorum, qui armis manuque militari pro ecclesiis propugnabant, alterum iuris peritorum, qui, scholastici uulgo defensores, seu iudiciales (*ἱκδῖνοι*) dicti, causas et iura ecclesiarum secundum leges defendebant, ut memorat Zieglerus.

185 Hoc itaque iure imperanti conuenit, omnem uim omnemque iniuriam propulsare, quae ecclesiis, sua comprehensis regione, quocunque modo intendi possit.

186 Cum enim imperans summa, quam habet, potestate ad salutem securitatemque ciuitatis uti debeat, ecclesiam quoque, in ciuitate existentem, sartam tectamque ab eo seruari, par est.

187 Ita, ut, flagitante necessitate, pro tuenda fidei professione retinendaque ecclesiae incolumitate arma, ut modo inuimus, capessere possit.

188 Neque enim dubium est, quin iustum licitumque sit bellum, pro religione susceptum, ut inter alios luculenter id comprobant Faber, Zieglerus, Rechenbergius, Buddeus et Fischbeckius.

189 Imo et fidei focis, propter religionem oppressis, subueniendum esse, supra docuimus in I. G. p. 544. pos. 64.

190 Quod quidem argumentum prae aliis late sunt persecuti Paftor, Becmannus, et Auerswalda.

191 Respectu obiecti personalis haec fere Imperantis sunt iura.

192 (1) Ius constituendi regendique ecclesiae ministros.

193 Equidem ius idoneos sibi deligendi doctores ad solam alias ecclesiam pertinere, supra docuimus, cum unaquaeque societas de personis et rebus, ad necessitates utilitatesque suas spectantibus, regulariter statuere possit.

194 Cum autem in constituendis ecclesiae ministris tot humani, qui saepe existunt, respectus dissidia variiq; generis incommoda parere possint, imperantis est, suam hic interponere auctoritatem.

195 Ita scilicet, ut saltem praecipuas in hoc negotio partes sibi uindicet, easque pacis tranquillitatisque causa, pro summa, quam habet, potestate exerceat.

196 Eoque magis, quod multum interest, quales ecclesiae praeficiantur doctores, bonine, an mali.

197 Im-

197 Impii quippe suo auditores exemplo corrumpunt, turbulent rerumque nouarum cupidi excitandis identidem motibus materiam praebent, alii alio modo ecclesiae detrimentum afferunt.

198 Quare nihil Reipublicae ecclesiaeque Gallicae utilius uideri, quam auctoritate Regis pastores praefici ecclesiis, scribit Duarenus, allegante Zieglero.

199 Quos uero actus, in nostra praesertim Saxonia, ius tale complectatur, supra est dictum.

200 Ceterum de iure magistratus ciuilis circa uocationem ministrorum ecclesiae dissertationem scripsit Wernsdorfius.

201 Nec tantum constituendi, sed etiam regendi doctores ecclesiae potestas ad Imperantem pertinet.

202 Scilicet eadem causa, propter quam in uocandis ecclesiis ministris summi auctoritate imperii opus est, etiam in dirigendo ipsorum officio Principis requirit curam.

203 Homines natura dominatus audi sunt atque appetentes, praesertim ubi praestantiae opinio munerisue dignitas siugularem eis uenerationem conciliat.

204 Atqui maximum ubiuis cultum esse sacerdotum, supra dixi.

205 Quo etiam fit, ut demagogi plerumque existant flamines, quoniam plebs incauta, ubi superstitione capitur, plus uatibus parret, quam ducibus.

206 Quot quantasque turbas criminationibus maledictisq; publicis excitare possint clerici, uel Anglia Caroli. I. et Cromwelli tempore suo experta est damno.

207 Scilicet una concio seditiosa plus nocere potest, quam numerosa hostium externorum cohors, plusque unius saepe praesulis instigatio ualet, quam mille aliorum conatus.

208 Lis sacerdotum, non religionum uarietas ciuitatem perdit.

209 Qua propter imperantis utique est, regere ecclesiae doctores, eosdemque ita in officio continere, ut ne, sua abutentes potestate, dominatum uel sibi arrogantes, et perperam faciant, et summo derogent imperio.

210 Scilicet ecclesiae doctores, etiamsi praestantissimo fungantur munere, ipsique Principi item, uti ceteris ecclesiae auditoribus, sacra

sacra administrent, summae tamen potestati utiq; subiecti manent.
 211 Cum enim membra sint ecclesiae, in Republica existentis, eundem quoque rectorem habent, atque ipsa ecclesia, seu respublica, ecclesiam complectens.

212 Eadem hic est subiectio, eadem erga superiorem obligatio.

213 Idcirco eos pariter, atque alios ciues, ad praestandum imperanti homagium adigi posse, supra docuimus.

214 Nec obstat, quod uariae praeter aliis iura, s. privilegia percipiant.

215 Privilegia quippe non tollunt subiectionem, sed, saluo superioris iure, intelligi debent.

216 Neque ideo subiectorum numero eximuntur sacerdotes, quod, diuina auctoritate sacra obeuntes munia, non magis hominum, quam Dei, sint ministri.

217 Nam magistratui, ut diuina est ordinatio, omnes subditi sunt homines, nec ulla hic exceptio locum habet, prout hoc inter alios demonstrarunt Arnisaeus, Abottus et Thomasius.

218 Quam grauiter independentissimum, ut ita loquar, affectatum in suis ecclesiae doctoribus redarguerit magnanimus Elector Brandenburgicus, Ioachimus II. refert Becmannus.

219 Habet ergo in ecclesiae doctores potestatem imperans.

220 Talem scilicet, ut, quicquid ecclesiae ciuitatisque finis efflagitet, eis imperare sancteque praecipere possit.

221 Huic fini conuenienter docendi modum praescribit.

222 Scilicet ratio publicam proponendi doctrinam ita saepius comparata esse potest, ut uero sacrorum fini officiat, uelut exemplo de fabulosa Graecorum Theologia hoc declarat Boehmerus.

223 Tum itaque suam recte prouidentiam interponit Princeps.

224 Deinde idem postulat finis, ut Theologicis, quae in ecclesia identidem agitantur, controuersis sedulo attendat imperans.

225 Equidem, cum homines, diuersam intelligendi rationem sequentes, non unam de credendis faciendisque sententiam habeant, fieri non potest, quin uariae existant controuersiae.

226 Et, quoniam suae quisque fidei certus esse debet, unum quoque aduersus alterum religionis suae dogmata, si forte oppugnentur, uindicare tuerique, fas est.

227 Verum et moderata sit talis defensio, et innoxia, oportet.

228 Quam ob rem imperantis est, providere, ne doctores intempestiuo nimioque controuersandi studio mala in ecclesiam ciuitateinque inuehant.

229 Esse, proh dolor! qui, seria sinceræ pietatis cura, et accuratioris interioris hominis cultura posthabita, apicem Theologiae in disputando constituent, linguamque Deo, animam Diabolo dent, cum Bernhardo ita loquens, Rostochiensis queritur Theologus, Affelmannus.

230 Et tales, ut Scheiblerus ait, hoc uno pii uidentur, quod alios impietatis condemnant, quosque a recta, quam tenere se, credunt, sententia uel latum unguem discedere, putant, eos, etiam male intellectos, nequidum auditos, hæreticos iudicant, hocq; nomine et uiuos, et mortuos, quasi aeterno dignos anathemate, diris deuouent.

231 Quod hominum genus cum peruerso religionis zelo uanoq; conscientiae prætextu plurima miscere, et noua identidem moliendo turbas et scandala excitare possit, mature ei obsistendum est.

232 Suam hic auctoritatem interponere debet Princeps, opprimendo hæretificandi cacoëthes, zelotarum coërcendo insultus, eristica delendo scommata.

233 Seueris sanciat edictis, ut Theologi, si quos forte errores publice priuatimque redarguere necesse habeant, a famosis abstineant cognominis iniustisque criminationibus.

234 Vetet imprimis, dissentientes, quas tolerari oportet, religiones proteruo inter se committere odio.

235 Immo, si ecclesiae ciuitatisque salus id postulet, eas quoque controuersias, quas alioqui proponere non incommodum fuerit, plane interdicat, ut Brunswicensès aliquando Duces fecisse, refert Boehmerus.

236 Sin uero dubias quasdam opiniones discuti, religionis intersit, synodos cogat et concilia, eisdemque, quo ueritas placida eruat, disceptatione, praesideat, ut infra dicemus.

237 Plura super hoc Principis iure scripsit illustris Thomassius.

238 Denique imperantis est, obseruare sacerdotum mores, ne sacrum negligendo officium, turpiterue uiuendo, et suum dedecorent munus, et aliorum animos corrumpant.

339 Ideo

239 Ideo providere debet, ut, suo tantum muneri uacantes, a rerum alienarum tractatione, sigillatimque a quaestuosa abstineant negotiatione, de qua singularis prostat dissertatio Grassi.

240 Etiam ius habet in malos ecclesiae ministros animaduertendi.

241 Legi hic merentur, quae de clericorum incarceratione aliisque poenarum generibus tradit Gaertnerus.

242 Cauendum maxime est, ne, quod supra iam monuimus, in sacri, ut aiunt, ministerii honorem clerici delinquentes aut impune dimittantur, aut iusto puniantur mitius, eoque uaria excitentur scandala, intempestivae eiusmodi indulgentiae fructus, ut fusc inter alios hoc declarant Zieglerus, Stryckius et Leyserus.

243 Conuenit etiam seuerior malorum sacerdotum castigatio cum uetustiorum ecclesiarum censuris, utpote quibus uerbum hoc, deponatur, (*καθάρσις*) crebro continetur, teste Hoornbeekio.

244 Ceterum potestas de ministrorum doctrina et uita cognoscendi plerumque delegari solet consistoriis, seu iudiciis ecclesiasticis, de quibus proxime agemus.

245 (2) Ius ecclesiasticam praescribendi disciplinam.

246 Ea quidem religionis est natura, ut, ubi in hominum animis firmiter infederit, eosque a prauo conuerterit ad rectum, ad obseruandam, uti par est, disciplinam nulla opus sit praescriptione.

247 At, quoniam multi, externam fidei professionem praeferentes, deficiente animi emendatione, uariis identidem peccatis scandala praebere possunt, interest ecclesiae, certam ordinari disciplinam.

248 Talem scilicet, qua recta uiuendi ratio certa coercitione, castigatione et animaduersione stabiliatur, adeoque morum integritas apud omnes, qui certo sese addixerunt coetui, obseruetur.

249 Eiusmodi disciplinam ipsa quidem ecclesia constituere poterat, utpote quae perinde, atque aliae societates, de rebus, ad communem salutem pertinentibus, decernere, adeoque ecclesiasticas etiam censuras, saltem pacto, definire debebat.

250 Id quod christianas etiam ecclesias primum fecisse, constat.

251 Verum, ubi ecclesia arcto cum ciuitate uinculo est coniuncta, ciuitatisque rector in eam pariter, atque in uniuersam Rem-

Mmm mm 2

publi-

publicam, summum exercet imperium, etiam disciplina talis ad imperantem praecipue pertinet.

252 Ita, ut eandem, pro ecclesiae ciuitatisque salute, ordinare, eiusque usum, ne cui iniuria afferatur, legibus circumscribere possit.

253 Spectant huc excommunicatio et varia poenitentiae ecclesiasticae genera, inter christianos olim usitata.

254 Dico, olim, cum hodie in paucis admodum ecclesiis certisque tantum casibus poenitentiae ecclesiasticae usus supersit.

255 Sigillatim de ea scripserunt Hoornbeekius, Knorrius et Wilduogelius.

256 Hactenus iura potestatis ecclesiasticae externae, seu summi sacrorum imperii, satis, ut opinor, sunt explanata.

257 Quemadmodum uero ius ciuiles ferendi leges, seu potestatem nomotheticam in omnia prope iura maiestatica sese diffundere, suamque ibi uim exerere, supra diximus.

258 Ita hic etiam de iure ecclesiasticas ferendi leges dici potest, quod cetera imperii sacrorum iura complectatur.

259 Intelliguntur autem leges, proprie sic dictae, quarum ferendarum potestas ex summo duntaxat imperio pendet.

260 Diuersae ab eis sunt leges, improprie dictae, h. e. instituta, ex conuentione, seu pacto recepta, quae perfectam quidem obligandi uim habent, sed ex mutuo ecclesiae consensu, non expressa superioris uoluntate.

261 Vocant eiusmodi leges Icti communes ecclesiae sponfiones.

262 Tales in primitiua christianorum ecclesia erant canones, seu regulae, propter decentem cultus diuini ordinem (τὰς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κανόνας) uel communi consensu, tam tacito, quam expresso, uel saltem praepositorum consilio, accedente totius ecclesiae approbatione, statutae.

263 Regularum uero, seu canonum nomen habebant talia instituta, quia secundum ea, tanquam regulas, uiuendi ratio in ecclesia debebat componi.

264 Idque non ex imperio et coactione, sed consilio et suasionem.

265 Inter eiusmodi canones uetustissimi quidem, at merito suspecti, habentur canones Apostolici, quos, collectos et commentario illustratos, edidit Anglus, Berregius.

266 Prae-

266 Praeterea uariae canonum collectiones sunt factae, quibus dicta Patrum, leges ciuiles, Pontificum decreta, aliaque huius generis dictata fuerunt admixta.

267 Hinc tandem extitit famosum illud Ius Canonicum, seu Pontificium, quod partim confirmatione, partim usu et praxi tantam obtinuit auctoritatem, ut, quamuis diuus noster Lutherus unacum pontificiis superstitionum corruptelis illud eiicere uoluerit, etiam nunc tamen, Palladii instar, apud nostrates sancte retineatur.

268 Id quod fusc lateque prae aliis exposuit illustri Boehmerus.

269 Cum autem Ius tale, quantum habeatur pretii, ordinandis rite ecclesiis parum inseruiat, in eam subinde curam incubuerunt Principes, ut salutares in ecclesiis suis ordinationes constituerent.

270 Tales sat amplo recenset numero laudatus Boehmerus, nonnullas autem in Iure suo ecclesiastico collegit Fritschius.

271 Habet ergo imperans quisque, ui maiestatis, saltem territorialis, ut dicitur, superioritatis, ius ecclesiasticas praescribendi leges.

272 Idque non in ea solum ecclesia, quae eandem, atque ipse, profitetur fidem, sed etiam in ea, quae diuersam amplectitur religionem, eamque priuatis tantum sacris exercet.

273 Nam dissensus in religione non impedit, quo minus Princeps imperio ad Reipublicae salutem accommodata uti, adeoque aliquid ad pietatis culturam, ad corrigendos mores, aliosque actus, rite suscipiendos, ordinare possit, ut recte scribit Brunnemannus.

274 Dummodo ne dissentientium conscientiae afferatur uis.

275 Rem illustri exemplo, precum scilicet Iudaeorum ordinatione, a gloriosissimo Borussiae Rege facta, declarat Boehmerus.

276 Qui idem, quid catholicos et protestantes hic deceat, exponit.

277 Scripta autem, qualis hic intelligitur, ordinatio ecclesiastica differt a non-scripta, seu obseruantia ecclesiastica, de qua pereruditam scripsit dissertationem modo nominatus Boehmerus.

278 Ex hactenus dictis etiam iudicari potest, quomodo intelligenda sit uulgaris illa sententia, cuius est regio, illius est religio, quam singulari pariter commentatione explicauit Rechenbergius.

279 Ceterum plura de iure sacrorum legere cupiens, eos adire potest, qui accuratis id tractationibus ex instituto descripserunt,

Mmmmm 3

quo-

quorum praecipui fere sunt Grotius, Pruinus, Conringius, Rhetius, Henniges, Stifflerus, Moehringius, Wendelerus, Thomafius, Schelguigius, Reuchlinus, Lüdekenius, Reinhardus.

280 De condominio Principis circa sacra scripsit Schilterus.

281 IV. *Axiomata* sunt: (1) Certum quidem est, summam imperantis potestatem ea complecti iura, quibus constitutae in Republica ecclesiae fini proposito congruenter ordinari debent.

282 (2) Nec cordatior quis negabit, eo sollicitius intentiusque curanda esse Principi sacra, quo maioris ea momenti in Republica haberi debent.

283 (3) Praesertim cum ecclesiae non perinde, ut alia in ciuitate collegia, ad certum membrorum numerum restringi possint.

284 (4) At uidere debet Princeps, ut ratio hic constet.

285 (5) Id quod aliter fieri nequit, nisi si uerum omnis ecclesiae finem ante oculos sibi perpetuo ponat.

286 (6) Quod Princeps sacra exercere possit iura, ex ciuili pendet imperio, quomodo autem ea exercere debeat, ecclesiae aestimandum est sine.

287 (7) Ad emendandos nempe homines cuncta dirigi oportet.

288 (8) Attendendum ubique est normae, qua receptam in ecclesia religionem, seu credenda pariter, ac facienda, metiri conuenit.

289 (9) Ut boni sint auditores, idonei piique sunt doctores.

290 (10) Omnium denique legum omniumque institutorum caput in eo uertatur, ut peraeque ad internam ecclesiae salutem, atque ad externam, omnia conspirent.

INSPECTIO II.

DE

MEDIIS POTESATIS ECCLESIASTICAE EXTERNAE.

Media exercendi potestatem ecclesiasticam externam sunt (1) Consistoria, (2) Visitationes, (3) Synodi.

DISCVRSVS I.

DE

CONSISTORIIS.

I. *Descriptio.* II. *Officium.* III. *Axiomata.*

I L.

Describi potest consistorium per iudicium peculiare, ex uiris idoneis, tum ecclesiasticis, tum politicis, a summo imperante ideo constitutum, ut ipsius nomine de certis causis cognoscat, certamque adeo iurisdictionem delegatam, bonae doctrinae disciplinaeque conseruandae gratia, exerceat.

2 Dicitur iudicium, h. e. collegium, certis personis, a magistratu iudicandi facultate instructis, constans.

3 Ergo non locum hic denotat, in quo iudicium tale exercetur.

4 Quo quidem sensu abstracto frequenter usurpatur, ita, ut generalius pro quolibet ordinario iudicis loco, seu auditorio, sumatur.

5 Speciatim in iure consistorium appellatur locus ille, in quo ministri Principis consistunt, et salutaria belli pacisque consilia suppeditant, consistoriani hinc dicti comites, de quibus, praeter Ammianum, legi possunt Godofredus, Perezus, Gretserus, alique scriptores, excitati a Borrichio et Cellario.

6 Improbiae locutiones sunt, quando terra hominum consistorium, et lupanar libidinum publicarum consistorium uocatur a Tertulliano.

7 Imo in concreto etiam sensu consistorium de aliis dicitur conuentibus, e. g. de conuentu academico Professorum.

8 Consistorium uero, quale hic intelligitur, aliis nominibus uocatur dicasterium sacrum, synedrium, consilium, senatus ecclesiasticus, item officialatus, ad similitudinem iudiciorum ecclesiasticorum, quibus pontificii praesunt officiales, quorumque loco nostrates consistoria introduxerunt.

9 Heluetis das Chor- und Ehe-Gerichte, Anglis uero curia christiana (court-christian) nuncupari solet.

10 Nos consistorium, in dicto acceptum sensu, peculiare uocamus iudicium, h. e. a iudiciis secularibus separatum, ac quodam modo distinctum.

11 Scilicet ratione obiecti, seu negotiorum, ad iudicium tale pertinentium, quae siquidem maximam partem sunt ecclesiastica, ipsi hinc dicasterium uocatur ecclesiasticum, nec non sacrum.

12 Notandum, quod ratione obiecti, non subiecti, iudicium hoc ecclesiasticum nominari, dicimus.

13 Quam-

13 Quamvis enim ex uiris ecclesiasticis et politicis plerumque constet, non tamen ab ecclesiasticis demum assessoribus ecclesiasticum appellari censendum est.

14 Tot quidem plerumque sunt ecclesiastici, quot politici.

15 Attamen cum politici praecipuas regulariter partes habeant, ipsique praesidendi munus, siue, ut uulgo dicitur, directorium deferri soleat, propter ecclesiastici ordinis membra hoc minus ecclesiasticum appellari debet iudicium, quod etiam sine illis, uti mox audiemus, constitui potest.

16 Constituentis potestas, non personarum conditio, hic attendi debet.

17 Scilicet, quicquid potestatis consistorium habet, id omne summum habet imperante, huiusque iussu, mandato et nomine exercet.

18 Atqui ex imperantis arbitrio pendet, quibus iurisdictionem ecclesiasticam perinde, atque civilem, demandare uelit, utrum ecclesiasticis et politicis simul, an solum politicis.

19 Nullum hac super re iuris diuini extat praeceptum.

20 Non naturalis, utpote quod decernendi hic potestatem imperanti relinquit, id tantummodo requirens, ut dignis idoneisque hominibus iurisdicatio delegetur.

21 Non positiui, quippe quod nihil eorum praescribit, quae ad singularem, qualis nunc fere est, ecclesiarum rationem pertinent.

22 Multus quidem in eo est Weberus, Hallensis quondam Theologus, in plurimis, quas proponit, doctrinis mire papizans, ut ecclesiasticorum consistorii assessorum necessitatem ex scriptura sacra demonstret.

23 Sed solide, pro more suo, eum refutauit Boehmerus.

24 Quamvis itaque nemo negauerit, consultum plerumque esse, et bono saltem mori conueniens, ut propter certas, quae identidem occurrere possint, causas Theologi consistoriis intersint.

25 Tamen, expedientiae duntaxat, aut consilii rationem, non iuris, aut medii necessitatem hic subesse, multi, non magis summorum auctoritate uirorum, quam rationum plurimarum momentis nixi, affirmant.

26 Solis quidem politicis constare posse consistoria, ita probant

27 (1) Quia.

27 (1) Quia pleraeque causae, in consistoriis tractandae, uia iuris ita decidentur, prout in foris Ictorum sit receptum.

28 (2) Quia causae ecclesiasticae a consistoriis ad iudicia superiora politica per appellationem, uel auocationem deuolui, ibique dirimi soleant.

29 (3) Quia quaestiones conscientiae etiam a politicis consistorii assessoribus diiudicari possint, utpote quibus non minus, quam Theologis, et rerum sacrarum intelligentiam, et coelestium donorum, seu charismatum communionem consequi detur.

30 (4) Quia causae difficiliiores, Theologicum requirentes consilium, ad extraneam Facultatem Theologicam transmitti, huiusque responso decidi possint.

31 (5) Quia, si forte incommoda uideatur frequentior causarum transmissio, prius doctusque Theologus de iisdem consuli, eumque ad finem in consistorium aduocari possit, non secus, atq; in alia iudicia ad certos actus, e. g. ad dehortandum a periurio, acciri soleant ecclesiae ministri.

32 (6) Quia actus, ab ecclesiastico alioqui consistoriali peragendus, u. c. examen ordinandi ad ministerium, a doctore ecclesiae, ad hoc itidem munus accersito, coram consistorio fieri possit.

33 (7) Quia multis in locis nulla habeantur consistoria, sed lites et causae, ad ecclesiasticum alioqui dicasterium pertinentes, in iudiciis secularibus a solis politicis expediantur, e. g. Norimbergae, Hamburgi, commemorante Stryckio.

34 Nonnulli plures addunt rationes, interq; eas etiam hanc, quod facilius a solis politicis tractari atque finiri possint negotia.

35 Cum enim pleraeq; aiunt, causae uia iuris in consistorio decidi soleant, talis autem uia Ictis demum sit perspecta, quis dubitaret, quin hi etiam soli causis facillime expediendis sufficere possint?

36 Praesertim ubi unus alterue assessor Theologus, nulla iuris notitia instructus, suoq; fretus ingenio, ultra mensuram intelligere, siue ultra crepidam, ut in prouerbio est, aut malleum sapere affectet.

37 Ita scilicet, ut, omnia pro suo iudicans captu, creberrimas deceptiones contentionesq; excitet, eoq; difficillimas reddat causas.

38 Nonne, instant, hoc casu satius est, carere Theologo consistorium,

N n n n

rium,

rium, quam Theologum pertinacem turbide altercando et molestiam aliis facere, et suam dedecorare personam?

39 Quidni, pergunt, Politicus pietate, doctrina, rerumque usu conspicuus eiusmodi hominis contentiosi locum occupare posset?

40 Siquidem dantur etiam nunc Richteri, Reinkingii, Reufneri, Fritschii, Brunnemanni, Ziegleri, maximis profecto Theologis æquiparandi.

41 Nec dubium est, concludunt, quin omnes Jcti, qui consistoriis aliquando praeesse uoluerint, accuratam rerum ecclesiasticarum notitiam sibi sint comparaturi, si, sine Theologo assessore causas ibi fore tractandas, nossent.

42 Verum enim uero, quoniam prudentes, moderati piique Theologi, saltem suadendo dissuadendoue, utilissimam saepe operam praestare possunt, tantum abest, ut tales a consistoriis facessere, ut potius eisdem interesse debere, statuamus.

43 Id tantum, remoto partium studio, ueritatis amor postulat, ut, ecclesiasticos consistorii assessores non iuris, ut diximus, aut mediæ necessitate ubique locorum requiri, fateamur.

44 Quid? quod ne ipsa quidem consistoria ubiuis necessaria esse, ex eo patet, quod multis in locis causas, ad ecclesiasticum aliqui dicasterium pertinentes, secularibus omnino iudiciis committi, dictum est.

45 Scilicet, quemadmodum Princeps ciuitatisue rector propter arduas, si quae occurrunt, causas singularia perinde iudicia constituendi, atque commissiones, ut uocantur, speciales decernendi potestatem habet.

46 Ita, si consultum ipsi fuerit uisum, ecclesiasticis etiam causis peculiaria alicubi fora, seu dicasteria, assignare potest.

47 Sin minus, ex ipsius pendet arbitrio, in quo iudicio pariter, ut a quibus personis, causæ ecclesiasticae tractari decidique, debeant.

48 Nisi scilicet mos, pactum, aut lex fundamentalis obstat.

49 Ergo falluntur denuo, qui, Weberum, supra nominatum, secuti, consistoria, quasi originem ab ipso acceperint Deo, immutabilis ubique necessitatis esse, contendunt.

50 Argumenta, hic afferri solita, itidem discussit Boehmerus.

51 Ex hactenus dictis uariæ fluunt conclusiones, e. g. quod consistorium non ab ecclesia, quasi eam repræsentet, sed omnino a Principe existat, quod Princeps ecclesiasticam eius iurisdictionem non minus, quam secularem, nobilibus et ciuitatibus mediatis concedere possit, quod Princeps eius iudicio nequaquam sit subiectus, e. l.

52 Sed quoniam has aliasque plures cum summa, quæ tanto Icto propria est, acortatione (*απορίθεια*) proposuit sæpe laudatus Boehmerus, nihil est, quod eisdem explicandis immoremur.

53 Legi hic præterea merentur Meuius, Zieglerus, Brunniemannus, Stryckius, et Hertius.

54 Itaque imperans consistoria ordinat, ordinatq; ita, prout, habita salutis publicæ ratione, bonum ipsi fuerit uisum.

55 Personæ quidem, consistorium constituentes, uulgo distinguuntur in principales, h. e. præsidem et assessores, et minus principales, quales sunt secretarius, protonotarius, actuarius, aduocatus, scriba, nuntius, e. l.

56 Præses, seu director, ut supra iam diximus, plerumque est politicus, siue nobilis, siue ciuilis conditionis, iuris peritia rerumque agendarum uso ita instructus, ut omnia ad finem propositum accommodate dirigere possit.

57 Idque hoc magis, quod Principis personam, ut uicarius, repræsentet.

58 Quare in nonnullis etiam locis minister status, seu consiliarius intimus, cancellarius, aliusue dignitatis eminentioris consiliarius munere hoc fungitur.

59 Protosynedrio Dresdensi ex nobilium ordine datur Præses.

60 Assessores, ut supra pariter diximus, plerumque sunt politici, et ecclesiastici, numero pares, et consiliariorum nomine in quibusdam locis insigniti.

61 In consistoriis nostris Saxonis duo sunt Theologi et totidem Icti ordinarii, quorum senior dirigendi habet facultatem, excepto, quod Dresdæ est, consistorio, qui, utpote summo, tertius politicus, qui, ut dictum, eximius doctusque est nobilis, præsidet.

62 De eodem insuper consistorio sciendum est, quod illud ecclesiasticum simul senatum (den Kirchen-Rath) complectatur,

Nnnnn 2

eoque

eoque nomine reservata Principis iura sub directione Praefidis per consiliarios, quales hoc respectu assessores dicuntur, et secretarium, protonotario consistoriali contradistinctum, exerceat.

63. Quomodo alia constituta sint consistoria, commemorat Boehmerus.

64 Sed omnis haec constituendi ratio secundum ea, quae supra docuimus, ex solo Principis arbitrio eatenus pendet, ut, nisi pactio, aut lex fundamentalis obstat, uariare ipsam ac mutare possit.

65 Dummodo, ut perinde iam monuimus, iudicio huic idoneos praeficiat viros, h. e. pietate, doctrina, imprimis peritia iuris, et prudentia conspicuos.

66 Cum enim Principis nomine de rebus arduis iudicant, adeoque partes iuris sacrorum, sibi delegatas, exercere debeant, singulari etiam uirtute, scientia ac dexteritate polleant, oportet.

67 Ad tale quippe munus ordinari consistorium, in descriptione diximus.

68 It. *officium* ergo consistorii est potestatem, sibi concessam, ita exercere, ut ordinata publicae religionis instituta probe obseruentur, ecclesiae scholaeque ministri in officio debite contineantur, et pertinentes ad consistorium causae rite tractentur decidanturque.

69 Dicitur talis consistorii potestas nomine solito iurisdictio.

70 Ecclesiastica scilicet, non secularis, ab obiecto sic dicta, non a causa efficiente, cum idem imperans, qui summam habet potestatem, seu superioritatem territorialem, simul ecclesiasticam et secularem habeat iurisdictionem, tanquam summi imperii partes.

71 Non tamen generaliter, seu late pro toto sacrorum iure hic accipitur iurisdictio ecclesiastica, sed specialiter, seu stricte, pro certa eius specie, quam Princeps, ius sacrorum habens, ad tanta, quibus obrutus est, negotia eo facilius expedienda, per consistorium exercet.

72 Quo quidem sensu nihil aliud est, quam potestas publica de causis ecclesiasticis certo praescripto conuenienter ius dicendi.

73 Publica uocatur potestas, quia publica nititur auctoritate.

74 In dicendo autem iure consistit, h. e. in cognoscendis diiudicandisque causis, ad forum ecclesiasticum spectantibus.

75 Eo-

75 Eoque differt a mera potestate legislativa, Principi reservata.

76 Quae vero causae iudicio ecclesiastico sint subiectae, adeoque ecclesiasticae, minime vero spirituales, soli quippe Deo relinquendae, haberi debeant, consistoriales docent ordinationes.

77 Tales ordinationes uti a summo praescribuntur imperante, ita ex huius pendet arbitrio, qualis quantaue consistorii debeat esse potestas.

78 Ergo frustra quaeritur, an puniendi ius habeat consistorium?

79 Cum enim nulla detur potestas sine castigatione, et inane sit ac lutorium iudicis officium sine exequendi facultate, aliquod puniendi ius utique hic concedi debet.

80 Imo ex imperantis voluntate non minus capitales statuere poenas, quam de causis criminalibus cognoscere potest consistorium.

81 Quanquam criminalis plerumque iurisdictio ei est adempta.

82 Quod quidem Pontificii in ecclesiasticis suis iudiciis ideo ordinasse videntur, ut clericorum scelera eo magis maneant impunita, secundum ea, quae ex Zieglero adducit Titius.

83 At protestantes paratum hic habent remedium, quoniam iudicia secularia et ecclesiastica uni subsunt imperanti, adeoque in puniendis pariter, ac cognoscendis delictis manus auxiliatrices, easque sat promptas, sibi inuicem praebere possunt, ut recte iudicat idem Titius.

84 Quandoquidem vero clerici in consistorio, tanquam iudicio suo ordinario, conveniri possunt, patet, iurisditionis ecclesiasticae obiectum non modo res esse, sed etiam personas.

85 Personae itaque sunt omnes illi, qui vulgari clericorum nomine veniunt, h. e. homines, in munere ecclesiastico, aut, quod huic affine habetur, scholastico constituti.

86 De personis, scholae praefectis, infra agendi occurret locus.

87 Ecclesiastici autem homines ita subsunt consistoriis, ut non solum ipsi, quoties doctrinae vitaeve ratio reposcitur, coram eis comparere, sed etiam uxores suas suosque liberos, servos ac domesticos eisdem sistere debeant.

88 Aliud tamen forum fortiuntur, quoties actio instituitur realis de immobilibus, aut causae aguntur, ad consistorium haud perti-

nentes, quas sigillatim recensent Carpzovius, Brunnemannus, Titius, alique, infra nominandi, scriptores.

89 Res sunt negotia, ad doctrinam cultumque religionis, ad disciplinam ecclesiasticam, ad salaria, decimas, aliosque redditus, ad beneficia ac bona ecclesiastica, ad sepulturam, item ad matrimonium, quatenus de constituendo, aut dissolvendo agitur, spectantia.

90 Quorum sat ampla quidem recensio apud iuris ecclesiastici scriptores passim occurrit, plerumque; tamen adeo lubricis canonicorum fundamentis subnixa, ut nunquam non dubii quid subsit.

91 Duabus omnino regulis rem decidere tentavit Schilterus.

92 Sed alteram nimis generalem esse, alteram uero obscurum per aeque obscurum exponere, adeoque id, quod declarandum erat, minus declarare, existimant Titius et Wolffius.

93 Alii aliam, at minus rectam, ingrediuntur viam.

94 Idcirco ex consistorii cuiusque ordinatione, ab imperante praescripta, optime ea cognosci posse, paulo ante monuimus.

95 Dummodo imperans ita, ut par est, rationem hic iniuerit.

96 Legi insuper de his causis ecclesiasticis possunt excitati modo scriptores, Brunnemannus, eiusque epitomator, Wolffius, Titius, quique singulari eas tractatu consignavit, Schraderus.

97 Idem consistorialis quoque processus modum describunt.

98 Diximus autem supra, imperantem non omne ius sacrorum, sed certas tantummodo partes, speciali iurisdictionis ecclesiasticae nomine comprehensas, per consistorium exercere.

99 Ergo certa hic excipiuntur iura, imperanti reservata.

100 Talia quidem plerumque sunt ius ecclesiasticas ferendi leges, ius cultus diuini rationem ordinandi, ius in maioribus dispensandi causis, ius conuocandi synodos, ius ecclesiastica disponendi beneficia, aliaque plura, maximam partem recensita a Boehmero.

101 Sed omnium certissime ex ecclesiasticis pariter ordinationibus perspicui possunt, si Princeps, noxiam litis materiam demturus, ea, qua debebat, ratione in eis omnia definiuerit.

102 Ceterum reservata eiusmodi iura plerumque in sanctiore Principis consilio administrari solent, nonnunquam in senatu ecclesiastico, qualem Dresdae haberi, supra commemorauimus.

103 Plu-

103 Plura de consistoriis nosse cupiens, adire potest doctores, pleniore eadem tractatione persecutos, quales, praeter citatum supra Weberum, fere sunt Norimbergius, Godofredus, Hahnus et Plathnerus.

104 Quibus adiungi possunt scriptores de iurisdictione ecclesiastica, ueluti Gebhardus, Strykius, Dohndorfius.

105 Spectat huc etiam de foro clericorum dissertatio Thomassii.

106 III. *Axiomata* sunt: (1) Ex libero quidem imperio plerumque ordinantur consistoria, ad bonum tamen finem bono ordinantur consilio.

107 (2) Scilicet ut religionis uigeat cultus, morum integritas puriori respondeat doctrinae, ecclesiaeque salus constanter floreat.

108 (3) Ergo talis etiam finis ubique habenda est ratio.

109 (4) Oportet omnia probe perpendi, ad praescriptam tractari normam, atque ea, qua decet, prudentia expediri.

110 (5) Summa requiritur cura, ne qua uulneretur conscientia, nequitia alatur, scandalique detur materia.

111 (6) In primis ecclesiae doctores obseruari, necesse est, utpote qui bonos malosque reddere possunt auditores, prout ipsi uel boni fuerint, uel mali.

112 (7) Quare sic statuere debent Theologi, ideo maxime consistorio se dari assessores, ut, quomodo se gerant ceteri ecclesiae ministri, eo sollicitius animaduertant.

113 (8) Non indulgentiae, sed seueritati hic locus est.

114 (9) Quippe, ut frequenter monuimus, nulla re maior ecclesiae pestis afferri potest, quam si malis impiisque sacerdotibus, in ministerii, ut aiunt, honorem, quasi indelebilem teneant characterem, intempestiue parcatur.

115 (10) Peccati fit reus, qui peccatum, ut debebat, non punit.

DISCVRSVS II.

DE

VISITATIONIBVS.

I. *Descriptio.* II. *Modus.* III. *Axiomata.*

I.

D*Escribi* potest uisitatio, quod sit actus, ex uoluntate superioris a certis idoneisq; personis susceptus, quo in statum ecclesiarum, supe-

superiori subiectarum, ratione tam personarum, seu doctorum et auditorum, quam rerum inquiritur, boni conseruandi, et mali, si quod deprehendatur, tollendi causa.

2 Dicitur uisitatio actus, ad inquirendum susceptus.

3 Ergo non frequentiore hic salutationem, uisendi colloquendique causa institutam, designat, sed circuitionem, lustrationem et peragationem, inuestigandi ordinandique causa factam.

4 Hoc sensu etiam inspectio, nec non exploratio uocatur.

5 Ecclesiastica scilicet, quoniam ad noscendum certarum ecclesiarum statum instituitur, adeoque a ciuili differt uisitatione, qualis est prouinciarum, iudiciorum, ac sigillatim in Imperio nostro Camera.

6 De prouincialibus quidem uisitationibus ex instituto scripsit Fritschius, uisitationum uero cameralium decreta edidit Cisherus.

7 Differt etiam a uisitatione scholastica, specialiter, seu stricte sic dicta, cuius infra mentionem faciemus.

8 Eiusmodi uero uisitationem ecclesiasticam ex uoluntate superioris, h. e. summi magistratus, seu imperantis suscipi, dicimus.

9 Cum enim inspiciendi ordinandique causa fiat, non nisi ab eo imperari potest, qui summam inspiciendi ordinandique res ecclesiasticas potestatem habet.

10 Hanc uero ad imperantem pertinere, supra probauimus.

11 Scilicet imperantis est, pro eo, quod habet, imperio ecclesias perinde, atque alias societates, suo comprehensas territorio, probe obseruare, et, ne mali quid inordinatiue in eis emergat, sedulo cauere.

12 Quod siquidem institutis identidem uisitationibus commode fieri potest, has quoque decernendi mandandique ius habeat, necesse est.

13 Mediorum quippe necessitas pendet ex necessitate finis.

14 Quam ob rem iuris sacrorum partem per tales etiam uisitationes ab imperante exerceri, supra a nobis est dictum.

15 In ueteribus quidem ecclesiis sine praescripto superioris uisitationem peragebant doctores, presbyteris maxime ecclesiarum, sibi commissarum, inspectioni attendentibus.

16 Interiecto post tempore, episcopi ius uisitandi pariter, atque alias potestatis ecclesiasticae partes, sibi arrogarunt.

17 Ita, ut, suis dediti uoluptatibus, illud per peculiare postea uisitatores,

fitatores, non certis adstrictos ecclesiis, sed uisitandis per episcopi dioecesim ecclesiis destinatos, tanquam uicarios suos, exercuerint.

18 Quales uisitatores, alio nomine circuitores (*περιούδου/αι*) dicti, cum chorepiscopis, h. e. episcopis ruralibus, seu uillanis, male confunduntur a Petro de Marca, ut clare ostendit Boehmerus.

19 At uero, quoniam ecclesia, ciuitate comprehensa, ciuili subest imperio, etiam uisitationum ordinatio ad imperantem pertinere censenda est.

20 Imperantis enim, ut modo diximus, est prouidere, ne membra ecclesiae, suum negligendo officium, aut potestate, sibi concessa, abutendo, summisue derogando iuribus, ecclesiae ciuitatique detrimentum afferant.

21 Proinde suis, uti par est, rationibus consulunt Principes Imperiique Status euangelici, cum ius uisitandi sibi uindicant, eoq; summum in sacris imperium naturae legibus conuenienter exercent.

22 Illustre uisitationis talis exemplum praebent missi illi regii, quos Francorum Reges ad inquirendum in ecclesiarum conditionem tuendumq; Regum iura constituuisse, refert Petrus de Marca, pleniusque in suis ad eum obseruationibus enarrat Boehmerus.

23 Alia eiusmodi uisitationum exempla commemorat Schilterus.

24 Quod autem scriptor hic, immortalis ceteroqui laude celebris, ius uisitandi ecclesias ab inferioribus etiam magistratibus praescriptione pariter, atque conuentione, acquiri posse, autumat, id quidem in dubium uocat Titius.

25 Contra, si subordinate, non priuatiue, seu ita hoc intelligatur, ut Principi summa in ecclesias inspectio, ex iure sacrorum pendens, salua maneat, talem utique acquisitionem admitti posse, cum Fritschio statuit Boehmerus.

26 At ipsa uisitatio ecclesiastica, etiamsi per centum annos in quibusdam ecclesiis fuerit omissa, praescriptione haud tollitur, ut recte docet c. 16. X. de praescript.

27 Quae enim ad animarum pertinent curam, ea, quippe ciuili exempta commercio, praescribi non possunt.

28 Cum igitur ad animarum curam spectet uisitatio, patet, maximam eius utilitatem esse, et necessitatem.

Ooo oo

29 Scili-

29 Scilicet saluberrimum est remedium ad cauenda, corrigenda tollendaque uitia, scandala et defecta, quae subinde in ecclesia emergere possint.

30 Excitat ignauos ecclesiae doctores, terret ministros officii sui negligentes, prodit pestiferos gregi pastores.

31 Hac demum uia parochiani ad reuerentiam compelli, a prauo abduci, in officio contineri possunt.

32 Id quod graui confirmat testimonio uisitatione illa, quam anno MDXXVII pio Lutheri consilio, in Saxonia ordinauit Princeps Elector, Iohannes.

33 Quot enim plurimorum annorum peccata tum fuerint correctae, quot ecclesiae partim restauratae, partim in meliorem reductae statum, ipsis Megalandri uerbis uix satis eloqui potest Melchior Adami.

34 Optimis autem uiris, nobili equiti a Plaunitz, Schurfio, ICto, Haubicio et Melanchthoni, demandatam fuisse ab Electore uisitationem illam, idem hic commemorat scriptor.

35 Vnde consequitur, idoneas, ut in descriptione dicitur, personas grauissimo huic negotio praefici oportere.

36 Nimirum uiri debent esse religiosi, graues, eruditione, prudentia rerumque agendarum usu conspicui, partim ordinis politici, partim ecclesiastici.

37 Quamuis enim integrum sit imperanti, solis siue Politicis, siue Theologis hanc dare prouinciam.

38 Plerumque tamen negotiorum expediendorum ratio flagitat, ut delecti ex utroque ordine uiri coniungantur.

39 Politici quidem, ut Principis iura obseruare, eiusque nomine maiorem tibiis auctoritatem interponere queant.

40 Theologi autem, quo, auditores ecclesiae pariter, ac doctores, examinando, religionis fideiq; rationem planius deregere possint.

41 Quam ob rem noster, quem modo nominauimus, Lutherus Electorem Saxoniae, scripta ad eum epistola, humillime rogauit, ut ordinatae ab ipso uisitationi prouincialem simul praefectum adiungere uellet.

42 Ceterum, quot constituentur uisitatores, et utrum ex utroque ordi-

ordine pares sint numero, an impares, nihil refert, dum uisitatio-
nem debito faciant modo.

43 *H. Modus* autem, hic obseruandus, ex Principis arbitrio pendet.

44 Hic enim suscipiendae uisitationis rationem non minus
praescribere potest, quam uaria eius genera ordinare, imo et sum-
tus, ei impendendos, decernere.

45 Scilicet, pro diuersitate obiecti, alia uisitatio est generalis, seu
provincialis, alia specialis, seu dioecesana.

46 Ab adiuncto temporis quaedam dicitur ordinaria, h. e. statis
anni temporibus definita, quaedam extra ordinem, exigente ne-
cessitate, a Principe mandata.

47 Sumtus, uel ex aerario ecclesiastico praestandi, uel, eo defi-
ciente, a parochianis ipsoque patrono conferendi, ecclesiasticis
plerumque ordinationibus definiri solent.

48 Ipse uisitationis modus uel generalior est, uel specialior.

49 Generalior considerari potest (1) ratione ordinationis, seu
constitutionis, (2) ratione peractionis, seu perfectionis, (3) ratione
effectationis, seu consecutionis.

50 (1) Ordinatio ita plerumque fieri solet, ut (a) uisitatores rite
denominentur, (3) eis tradatur instructio, muneris obeundi partes,
et sigillatim directoris potestatem definiens, (γ) superintendenti
aliisque, quorum inter sit, uisitatio significetur.

51 Equidem significationem hanc interdum omitti debere, non-
nulli statuunt, quo facta ex improviso uisitatio maiorem in uisitatis
fructum habere possit.

52 Ciconias hic imitandas esse, dicunt, quas, noctu clanculum
omnia facientes, aduenire, nemo, aduentasse, omnes, discedere,
nemo, discessisse, omnes sentiant.

53 Literarii instar ludi ecclesiam, aiunt, concipi debere, in quo, si
absentis forte magistri aduentus praesentiat, in suam se quisque
stationem colligat, malosque celet mores, sin inopinatio fiat, per-
peram facientes subito deprehendantur.

54 Sed repentina talis uisitatio, praeterquam quod sine magno
uisitatorum incommodo uix fieri possit, uariis etiam exceptioni-
bus materiam dare, bonumque adeo finem impedire potest.

55 Proinde nihil hic nocebit denuntiatio, dummodo ea, qua par est, ratione uisitatio peragatur.

56 (2) Peractio autem tres potissimum actus complectitur, (a) publicationem, (3) inquisitionem, (γ) diiudicationem.

57 Publicatio est actus, quo uisitatores die locoque statuto summi imperantis mandatum de uisitandis ecclesiis solemniter declarant, adeoque negotium, sibi commissum, proponunt.

58 Inquisitio fit tam in res ecclesiae, quam in doctores et auditores.

59 Circa res ecclesiae pernosci oportet aedificia, bona ecclesiastica, aerarium, huiusque administrationem, conseruationem, e. f.

60 De doctoribus ecclesiae sciendum est, an receptae in ecclesia normae conuenienter doceant, et sacra administrent, an uitam agant inculpatam, an omnes fidei industriaeque numeros et partes impleant, e. f.

61 In auditoribus deniq; spectari debet credendorum faciendorumq; notitia, disciplinae obseruatio, reuerentia erga doctores, e. f.

62 Diiudicatio est, qua uisitatores inter inquirendum omnia probe perpendunt, quid tolli debeat, quid emendari, accurate considerant, resq; grauiiores, ad superiorem deferendas, rite discernunt.

63 (3) Effectio consistit in executione eorum, quae, peracta uisitatione, ex uisitatorum iudicio imperantisque uoluntate necessaria habentur.

64 Eumque ad finem decretum plerumque fieri solet.

65 Specialior uisitationis instituendae modus ex praescriptis, ut dicuntur, instructionum formulis cognosci debet.

66 Tales sigillatim consignarunt Eckartus et Fritschius.

67 Quicum conferri possunt iuris ecclesiastici scriptores, laudabili hic labore prae aliis defuncti, ueluti Schilterus, Carpzoui-us, Brunnemannus, Stryckius, Zieglerus, Titius et Boehmerus.

68 III. *Axiomata* sunt: (1) Non exigua temporum nostrorum est infelicitas, quod uisitatio ecclesiastica in plurimis locis uel exoleuit prorsus, uel mirum in modum refrixit.

69 (2) Hinc quippe fit, ut totae ecclesiae ministri, praesertim in pagis, nec doctrinae, uti par est, attendant, nec disciplinae.

70 (3) Animarum quidem pastores dicuntur, at boues magis, quam

quam ecclesiae oues curant, sues diligentius pascunt, quam suos.
 71 (4) Dum ruri uiuunt, non, nisi rura amant, suos saepe rusticos
 rusticitate superantes, in gleba plus, quam glebae adscripti homi-
 nes, defixi.

72 (5) Imo, neglecta per uisitationem inspectione, ipsi ecclesia-
 rum inspectores assignatam saepe speculam negligunt.

73 (6) Speculantur quidem, sed agros, uineas, prata, hortos et
 situs, non dioeceses, parochias, ecclesias.

74 (7) Ita sacrorum ministri cupiditatum fiunt satellites, quique
 animum coelestibus maxime thesauris intendere debebant, uentri
 potissimum de terrestribus prospicere pabulis student.

DISCURSVS III.

DE

SYNODIS.

I. *Descriptio.* II. *Tractatio.* III. *Axiomata.*

I I.

D*escriptio* synodi plenior sequentem fere in modum fieri potest.
 2 Synodus est delectorum ex certis ecclesiis uirorum, in pri-
 mis doctorum ecclesiae, conuentus, a summo imperante ideo indi-
 ctus et ordinatus, ut pia disquisitione controuersae religionis cau-
 sae componi, et salutaria, ubi opus fuerit, instituta decerni possint.
 3 Declarat haec descriptio, nomen synodi in sensu speciali, nem-
 pe ecclesiastico, hic sumi, non generali, pro quacunque congrega-
 tione, aut quouis congressu.

4 Sic habendum cum Sulpitio colloquium synodiam dicit Cicero.

5 Appellatur synodus, qualis hic intelligitur, aliis quidem nomi-
 nibus concilium, Cypriano consilium, nec non presbyterium,
 Hieronymo senatus, imo, Iudaeorum more, synagoga.

6 Sed nomina haec promiscue adhibere, uix permittit usus.

7 Nec idem significare dicuntur synodus et colloquium, quippe
 et sine potissimum et effectu inter se diuersa, ut uberius hoc decla-
 rat Zieglerus.

8 Itaque recepta ustr communi nomina fere sunt synodus et con-
 cilium, nec non comitia ecclesiastica.

9 Dicimus autem in descriptione, synodum esse conuentum de-

Ooo oo 3

le-

lectorum ex certis ecclesiis uirorum, inprimis doctorum ecclesiae.
 10 Scilicet sacerdotes quidem ad synodum praecipue conuocantur, possunt tamen et alia ecclesiae membra ex auditorum ordine admitti, quemadmodum laicos, ut uulgo dicuntur, ueterum synodis interfuisse, ex probatis scriptoribus tradunt Hoornbeekius, Brunnemannus et Zieglerus.

11 Saltem imperantis nomine Politici interuenire possunt.

12 Ius enim synodos, seu concilia indicendi ordinandique ad summum pertinere imperantem, dicimus.

13 In ueteribus quidem ecclesiis, cum Imperatores, gentili adhærescentes superstitioni, omnem omnino curam religionis christianae contemtim a se reiicerent, sacerdotes ius tale perinde, ut ceteras potestatis ecclesiasticae partes, sibi sumserunt.

14 At, immutata rerum facie, Principes, ut in aliis rebus, ita in cogendis dirigendisque conciliis eam, quae summo imperio propria est, potestatem exercere sustinuerunt.

15 Passim loquuntur historiae, quot concilia ab Imperatoribus indicta identidem fuerint et celebrata.

16 E. g. Nicenum a Constantino M. Constantinopolitanum primum a Theodosio maiore, Ephesinum a Theodosio iuniore, Chalcedonense a Marciano.

17 De quibus aliisque pluribus, praeter historiae ecclesiasticae scriptores, legi possunt Arnisaëus, Brunnemannus, Schilterus, Zieglerus, Hoornbeekius, Hebenstreitius, Boehmerus, quosque hi allegant, doctores plurimi.

18 Ipsos autem conciliorum collectores in compendio exhibent Acta Eruditorum Lipsiensium, unde aliquot descripsit Struuius.

19 Ergo perperam ius tale Romano duntaxat Pontifici adscribitur, quamuis ex nimia Imperatorum Principumque indulgentia id ipsi aliquando fuerit permissum.

20 Ita relinquitur, ut quisque imperans in terris, suae subiectis ditioni, synodos cogere et ordinare possit.

21 Idque, qua imperans, non qua summus episcopus.

22 Scilicet eodem summi imperii respectu, quo omne, quod imperans habet, ius sacrorum niti, supra probauimus.

23 Im-

23 Imperantis enim est, ecclesiae pariter, atque aliis in ciuitate sua societatibus, omni ex parte ita providere, quemadmodum utilitatis necessitatisque ratio efflagitat.

24 Quoties igitur consultum ipsi uidetur, conuocata demum synodo, motas de causis fidei controuersias componere, hac etiam uia publicam procurare salutem, iusque sacrorum exercere potest.

25 Adeoque hic imperantis subest arbitrium, non iuris necessitas, cum nullum legis diuinae siue naturalis, siue positivae, praecceptum ea super re occurrat.

26 Dummodo rectum hic iudicium sequatur imperans.

27 Possunt quippe existere casus, cum tollendi in ecclesia dissidia cauendique, quod nasci hinc possit, mali optimum utique remedium haberi oportet synodum.

28 Tum certe in eam maxime curam incumbere debet imperans, ut, optimos conuocando uiros, in suo, cui praest, territorio synodum cogat.

29 Dicimus, in suo, cui praest, territorio, ut, quale indicere possit concilium, significemus.

30 Scilicet concilium aliud est uniuersale, aliud particulare.

31 Vniuersale dicitur, quo certa ecclesiarum membra ex uniuerso christianorum coetu ad ineunda de rebus ecclesiasticis consilia Romani Imperatoris auctoritate colliguntur.

32 Eiusmodi concilia quondam dicta sunt oecumenica.

33 Non, quasi omnes ex orbe uniuerso ecclesiae particulares in eis conuenerint, sed, quod plerique orbis christiani coetus in stabiliendis eorum decretis certas habuerint partes.

34 Saltem eo sensu dici potuerunt oecumenica, quo Imperator, latissimum quippe imperium tenens, totius orbis dominus appellari consuevit, sic iudicante Zieglero.

35 Talia quidem concilia oecumenica quatuor, supra iam nominata, ex communi christianorum approbatione habentur, Nicaenum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, et Chalcedonense.

36 Cur autem ab usu recesserint concilia oecumenica, nec amplius, pro praesenti rerum statu, possint sperari, inter alios docent Zieglerus et Boehmerus.

37 Par-

37 Particulare, seu topicum est, quod quilibet imperans, ui maiestatis, seu summae, quam habet, potestatis, in territorio suo conuocare potest.

38 Estque modo latius, modo angustius, prout uel maior, uel minor fuerit coactus ad illud coetus.

39 Talem igitur synodum hoc loco intellectam uolumus.

40 Et huius ordinandae dirigendaeque perinde, atque indicendae, potestas ad Principem ciuitatisue rectorem pertinet.

41 Ita, ut habendam in ea tractationem omnino definire possit.

42 II. *Tractatio* autem omnis haec quatuor potissimum completi uidetur, (1) locum, (2) obiectum, (3) modum, et (4) effectum.

43 Locum pro suo Principe arbitrio determinare potest.

44 Apud ueteres erat templi maioris, siue metropolitani, siue alterius amplissimi conclaue, modo secretarium, modo secretarium basilicae, modo sacrarium (*ιερατεῖον*) dictum, commemorante Hoornbeekio.

45 Obiectum sunt res et causae, tam ad disciplinam, quam ad doctrinam, in ecclesiis statuendam, pertinentes.

46 Quippe non solum controuersiae Religionis materiae, sed salutaria etiam instituta in synodo proponi decernique possunt.

47 Sicuti canones olim in conciliis relegi solebant.

48 Modus consistere debet in rerum propositarum disquisitione, sub certo praeside, a cunctis, in synodo congregatis, placide ordinateque facienda.

49 Praesidendi dirigendique munus ad ipsum quidem Principem regulariter pertinet, utpote qui duplicem hic potestatem, imperii, seu auctoritatiuam, (*ἐξουσιαστικήν*) et ordinis, seu directiuam, (*διορθωτικήν*) habet, ut recte docet Zieglerus.

50 Sic Imperatores, in sella sedentes, episcoporum comitia, ut praesides, direxisse, omniaq; bono in eis ordine instituisse, constat.

51 Liberum tamen imperanti est suas alicui uices demandare.

52 Speciatim potestas ordinis, h. e. munus omnes synodi actiones dirigendi, a certo ecclesiae antistite publica imperantis auctoritate exerceri potest.

53 Ita nimirum, prout decreta legibus synodicis ratio tulerit.

54 Non

54 Non enim ad arbitrium hic agere debent congregati, sed ad modum, congregationis fini conuenienter praescriptum.

55 Hac mente, rerum, in synodo propositarum, disquisitionem placide ordinateque faciendam esse, diximus.

56 Eumque ad finem certa hic obseruetur norma, necesse est.

57 Qualis quidem norma cum inter christianos sola debeat esse scriptura sacra, in omni etiam tractatione eam spectari oportet.

58 Idcirco sanctum olim euangelium in medio fuit positum.

59 Ad receptam itaque normam dirigi debet, quicquid imperans pariter, ut coetus uniuersus, in fidei causis iudicare uelit.

60 Scilicet Principem perinde, atque alios, de doctrinis, ad eandem religionem spectantibus, iudicium in concilio ferre posse, naturali etiam iuri consentaneum est.

61 Effectus synodi est decretum, de rebus propositis factum.

62 Tale decretum a summo itidem imperante confirmari debet, utpote cuius demum auctoritate ualere potest.

63 Eatenus scilicet, quoad receptae in ecclesia normae haud repugnet, et nihil, quod conscientiae uim afferre possit, complectatur.

64 Cum enim causae fidei non humano subiectae sint arbitrio, nec humana decidi possunt suffragatione.

65 Animorum consensus, non uotorum collectio hic ualet.

66 Ergo extrinseca decretorum synodaliū obligatio ab imperantis oritur auctoritate, intrinseca uero ex conformitate cum recepta ecclesiae norma existit.

67 Secus, ac de decretis, super fidei materia factis, iudicat Marca.

68 Hic quippe, uim eorum, quibus fidei controuersiae scripturae conuenienter dirimantur, non a Principum, sed episcoporum auctoritate pendere, putat, iuste hoc nomine notatus a Zieglero.

69 Quicum conferri possunt scriptores, ex instituto de conciliis ac synodis commentati, quales, praeter supra excitatos, sunt Conringius, Kohnius, Meyerus, Brunnemannus.

70 Synodum Ephesinam secundam, ab hominibus, latronum instar, aduersus meliorum partium uindices grassatis, *ἀντιπικῆς* nomen sortitam, singulari dissertatione descripsit Schurzfleischer.

71 III. *Axiomata* sunt: (1) Non immerito ueteres christianorum ecclesiae commendata sibi habuerunt concilia.

Ppp pp

72 Haec

72 (2) Haec enim maximum omnino usum praebere possunt.

73 (3) Conuocatis demum conciliis, controuersae Religionis causae sopiri, et morum corruptelis remedia parari possunt.

74 (4) Facilius inuenitur ueritas, si plures coniuncto eam studio inquirant, quam si unus alterue seorsim de ea laboret.

75 (5) Absit itaque, ut synodos hodie inutiles iudicemus.

MEMBRUM III.

DE

CONSERVATIONE ECCLESIAE.

Conseruatio ecclesiae inprimis obtinetur (1) ope bonorum ecclesiasticorum, (2) cura aedium sacrarum, (3) instructione scholarum.

ARTICVLVS I.

DE

BONIS ECCLESIASTICIS.

I. *Descriptio.* II. *Acquisitio.* III. *Procuratio.* IV. *Alienatio.* V. *Axiomata.*

I I.

D*escribi* possunt bona ecclesiastica per res externas, certae ecclesiae ideo in proprietatem concessas, ut easdem ad humanos, at bonos pioque, usus per certos homines, eum in finem sub imperio civili constitutos, adhibeat.

2 Nominantur bona a beando, quod beatos faciant et profint, cum beare sit prodesse, iuxta Vlpianum in l. 29., ff. de V. S.

3 Duplici autem ratione considerari possunt bona ecclesiastica, tum quatenus sola adhuc ecclesia ea possidet, omnemque ex eis utilitatem capit, tum quatenus ea personis, quocunque modo ecclesiae seruientibus, ad fructus, inde percipiendos, sunt concessa.

4 Posteriori respectu nonnunquam beneficia uocantur, nomine ex iure feudali ad ecclesiasticum translato, in discrimen bonorum allodialium, quae hereditario etiam iure a clericis possideri possunt, ut scribit Schilterus.

5 Diuersam Barbosae sententiam exponit Boehmerus.

6 Nos bona ecclesiastica externas dicimus res, certae ecclesiae in proprietatem concessas, ut indicemus, quicquid in patrimonio eccle-

ecclesiae contineatur, id etiam omne ad ecclesiastica referri bona.

7 Quare ecclesiae patrimonium dicuntur in l. 14. C. de SS. ecclef.

8 Et tales quidem res sunt, e. g. stipendia ecclesiae, legata ad pias causas, donationes piae, praedia, seu fundi, ad pios usus collati, redditus annui, decimae, oblationes, nec non iura.

9 Patet hinc, bona ecclesiastica non solum a spiritualibus, sed etiam a sacris differre rebus.

10 Spirituales quidem res sunt internae, ad animam pertinentes, ac religionis pietatisque effecta, ueluti hominis sanctitatem, eiusque cum Deo communionem, complexae.

11 Adeoque non, nisi per insolentem ineptissimamque abusivam (κατάχρησις) Pontificii bona ecclesiastica, quo civili eximantur potestate, spiritualia nominant, ut latius hanc aliasque istiusmodi appellationes persequitur Boehmerus.

12 Sacrae autem res sunt illae, quae immediate ac principaliter ad sacra cultus diuini negotia adhibentur.

13 Hoc itaque a rebus sacris differunt ecclesiasticae, quod (1) illae directe cultui diuino inseruiant, hae usibus etiam humanis, e. g. conseruationi ecclesiae, eiusque ministrorum sustentationi, pateant, (2) illae extra omne sint commercium, hae non ita, (3) illae non nisi ob extremam necessitatem, hae etiam ob utilitatem commoditatemque alienari possint.

14 Quemadmodum uero ab illis inde temporibus, cum ecclesiae, uti sunt papales, repudiata primorum Christianorum simplicitate, magis magnifice, quam pie religionem colere coeperunt, res sacrae, ad sacrorum destinandae pompam, mirum in modum sunt multiplicatae.

15 Sic ecclesiastica etiam bona, unde sacerdotum in primis cateruae lautis geminisque cultui tam splendido uictibus fruuntur, in immensum prope cumulum creuerunt.

16 Id quod tanto facilius fieri potuit, quanto solertiores in elicienda hominum supersticiosorum liberalitate inueniendisque acquirendi modis sunt mystae.

17 II. *Acquisitio* itaque bonorum ecclesiasticorum uariis fit modis.

18 Scilicet inter uiuos acquiruntur donatione, quae, ubi ecclesia

Ppp pp 2

iam

iam est exstructa, generale hoc nomen retinet, sin exstruenda adhuc sit, speciatim dotatio dici solet.

19 Singularia de tali donatione legi possunt apud Boehmerum.

20 Dotationem uero ex Pontificiorum, matrimonium spirituale inter ecclesiam eique praepositos fingentium, superstitione (*δαίμονια*) et auaritia (*φιλὰργυρία*) enatam esse, docet Zieglerus.

21 Quod figmentum quaeuosum pariter exponit Boehmerus.

22 Mortis causa acquiri solent bona ecclesiastica non solum ultima uoluntate, quae inde testamentum ad pias causas dici solet, sed etiam successione ab intestato.

23 Dantur alii praeterea modi, eique partim mali, partim boni.

24 Inter malos quidem referri debet is, quo, actione funesta iniuriarum aestimatoria instituta, poena piae causae applicatur.

25 De quo modo cordate iudicat iam nominatus Boehmerus.

26 Bonis autem modis accensetur amortizatio, in Hispania potissimum, Gallia, Italia, aliisque locis usitata.

27 Haec nihil aliud est, quam bonorum immobilium et seculari subiectorum iurisdictioni in manum mortuam, seu possessorem immortalem translatio, facta ex consensu Principis, qui literas amortizationis, uel etiam morticinii, pro certa plerumque pecunia, uel finantiae, uel indemnitis nomine praestanda, impertitur.

28 Ex instituto quidem de ea scripserunt Peckius, Schwendörfferus et Prueschenckius, satis ampla tamen tractatione eam quoque persecutus est crebro citatus Boehmerus.

29 Vera introducendae huiusmodi amortizationis causa fuit profusa in ecclesias munificentia, qua homines, ex appetentium sacerdotum persuasione, uana de operibus meritoriis animarumque remediis opinione capti, res suas promiscue ecclesiis donarunt.

30 Quales donationes cum plurima bona ciuiliū, quae percipi inde poterant, emolumentorum praestatione eximerent, adeoque ingens Reipublicae afferrent detrimentum, necessarium utiq; fuit, eas quodammodo cohibere, atq; ex imperantis suspendere uoluntate.

31 Idque naturali etiam iuri conuenienter, utpote quo sicut nulli priuato, ita nec imperanti ius suum, ad publicos nempe usus ex subditorum bonis aliquod exigendi emolumentum, auferri potest.

32 Hinc

32 Hinc uariae enatae sunt constitutiones, a scriptoribus passim commemoratae.

33 Quae quidem hoc aequiores magisque salutare censeri debent, quod donata ecclesiis bona ad indebitos plerumque usus fuerant dispensata.

34 Scilicet ad pascendos saginandosque homines ignauos, opere operato abdomini magis, quam Deo seruientes, non ad alendos sustentandosque pauperes.

35 Secus, atque in primis christianorum ecclesiis factum est.

36 Has enim non coaceruandis sub religionis specie, sibiue addicendis, inhiasse opibus, sed conflatam ex collatione uoluntaria pecuniam egentibus erogasse, constat.

37 Sic pia benignitatis materiam pia praebuit liberalitas.

38 Nec ante Constantini M. aetatem ecclesias immobilia possedisse bona, sed tum maxime, cum, indulgente hoc imperatore, templa exsurgere, et sacerdotes caput erigere coeperint, talia acquisiuisse, inter alios probant Zentgrauius, Zieglerus, Linckius et Boehmerus.

39 At, quoniam propter abusum non tollendus est usus, neque ecclesiis omnia omnino bona adimi debere, censendum est.

40 Si gentiles, ac sigillatim Romani ex diuisione Romuli aliquam agri Romani partem faciendis sacris assignarunt, Christiani certe suis etiam ecclesiis bonorum quid conferre possunt.

41 Dummodo his bonis, recte procurandis, semper attendatur.

42 III. *Procuratio* autem talis in eo potissimum consistit, ut bona ecclesiastica (1) ad debitos destinentur usus, (2) per bonos dispensentur homines, (3) a superiore obseruentur potestate.

43 Quadruplicem bonorum ecclesiasticorum usum per canones constitui, inque totidem partes redditus ex iis diuidi oportere, inter alios meminit Schilterus.

44 Ita nimirum, ut una reddituum pars episcopo, altera clericis, tertia ecclesiae, seu templo, quarta pauperibus, infirmis, captis et peregrinis assignetur.

45 Sed omnes boni piiue usus, ad quos adhibenda esse bona ecclesiastica, diximus, una ecclesiarum conseruatione, uti membri huius inscriptio habet, comprehendi possunt. Ppp pp 3 46

46 Ad conferuandam quippe ecclesiam necesse est, et res et personas, ad eam pertinentes, conferuari.

47 Res sunt subsidia ad religionem, rite exercendam, necessaria.

48 Personae, ut saepe diximus, sunt partim muneribus ecclesiasticis praepositae, s. doctores, partim extra ea constitutae, s. auditores.

49 Atqui et res et personae ex certis conferuandae sunt bonis.

50 Res quidem, ut nullo non tempore ad sacra cultus diuini negotia, pro eo, ac liturgia postulat, obeunda, suppetant.

51 Personae autem, eaque ecclesiasticae, ut pro sacro, quod praestant, ministerio debitam habeant sustentationem, non-ecclesiasticae, ut, si egestate premantur, nec labore queant uitam quaerere, stipem accipiant.

52 Sic conferuandae ecclesiae ecclesiastica inseruiunt bona.

53 Ad talem uero uel cum iusta opus sit administratione, bonis, ut dictum, hominibus eam committi oportet.

54 Olim episcopi hoc etiam munus aliquamdiu sustinuerunt.

55 Deinceps oeconomi fuerunt constituti, at mero administratorum officio fungentes, non idem habentes arbitrium, atq; episcopi.

56 Hi administratores alibi a solo eligebantur episcopo, alibi ab episcopo et clero simul, primo quidem ex laicis pariter, atque clericis, post, aucta oeconomi dignitate, ex clericis tantum.

57 Dicti insuper sunt uicedomini, quanquam tales episcopali primario domui praefuerunt, et, tanquam uicarii, episcopum in domesticis subleuarunt curis, sic docente Boehmero.

58 Postea uero, quam, neglecto identidem officio, male rem gesserant, uicarii ecclesiae nominari coepti sunt, de quibus erudita prostat dissertatio Schurzleischii.

59 Conferuandis deniq; bonis ecclesiasticis certi dabantur aduocati, qui, iudiciaria etiam potestate instructi, omni, qua poterant, ratione ecclesiae patrimonium defendere debebant, teste Boehmero.

60 Colligimus hinc, maximam utique curam adhibendam esse, qualiscunque demum administratio ordinari debeat.

61 Scilicet duplex datur administratio, una, qua bona ecclesiastica, eaque dotalia, parochis, loco salarii, feudalis instar beneficii, rite utenda ac fruenda conceduntur, altera, qua praefecti aerarii eiulmodi

di bona, redditusque, inde prouenientes, curant, ad reddendas de eisdem rationes obstricti.

62 Illa administratio qualificata, hæc simplex dicitur Boehmero.

63 Vtramque ita fieri oportet, ut bona ecclesiastica probe tractentur, solícite custodiantur, iuste augeantur, debite dispensentur, et prouide conferuentur.

64 Ante omnia aerario fidos præfici oportet homines.

65 Quanta enim aerarii ecclesiastici et necessitas censeri debeat, et utilitas, uel ex eo liquet, quod piæ semper ecclesiæ in ueteri pariter, ac nouo Testamento, quoad per rerum temporumque uicissitudines licuerit, tale habuerunt, ut inter alios commemorant Weberus, laegerus et Boehmerus.

66 Idque pauperum in primis gratia, qui, dispensante certo promissore, seu promo, stipem ex eo accipiebant, indeque aerarii, sicut a matricula, cui inscribebantur, matriculares dici solebant, tradente citato iam Boehmero.

67 Eodem itaque modo etiam nunc curari debet aerarium.

68 Imitanda est ueterum pietas in colligendis, quibus aerarium ad alendos pauperes instrui possit, eleemosynis.

69 Eum ad finem in plurimis christianorum ecclesiis fieri solent oblationes per sacculum sonantem, de quibus peculiarem scripsit dissertationem Wilduogelius.

70 Qui cum conferri hic meretur nostras quondam Hornius.

71 Vt autem recta bonorum ecclesiasticorum procuratio certius obtineri possit, summi auctoritate imperii opus est.

72 Cum enim huic bona ecclesiastica perinde, atq; alia, sint subiecta, etiam de iis item, ut de aliis, disponendi potestatem habet.

73 Scilicet proprietas quidem, seu dominium uulgare eiusmodi bonorum ad ecclesiam, tanquam uniuersitatem, pertinet.

74 At eminens in ea dominium summo utique imperanti manet.

75 Concessa sunt hisce bonis singularia quaedam iura, seu priuilegia, ueluti immunitas a præscriptione, exemptio a tributis, metatis, aliaque similia, quae singulari commentatione exposuit Müllerus.

76 Habet ecclesia libertatem de rebus ad sui conseruationem necessariis decernendi, suumque patrimonium in suos dispensandi usus.

77 Quin

77 Quin etiam patroni ecclesiarum bona ecclesiastica administrandi ius, legitime quæsitum, uel mediate, uel immediate, passim exercent, commemorante Brunnemanno.

78 Sed summam in ista ec omnia potestatem retinet Princeps.

79 Ita, ut certas circa bona ecclesiastica leges præscribere, eorumque usum ecclesiae ciuitatisque saluti conuenienter definire possit.

80 Ipsius demum est, sapienti omnia gubernatione moderari.

81 Imo, exigente rerum temporumque ratione, ad alios etiam usus bona ecclesiastica adhibere, adeoque, ecclesiae exempta dominio, alienare potest.

82 IV. *Alienatio* itaque est talis actus, quo summus imperans bona ecclesiis alioqui propria uel in uniuersum, uel ex parte iustis de causis, ui domini eminentis, ad usus ciuiles transfert.

83 Dicimus, bona ecclesiastica alienari uel in uniuersum, uel ex parte, ut indicemus, duplicem esse alienationem, unam rerum singularium, alteram uniuersitatis.

84 Illa est, qua res mobiles, aut immobiles singulares, ecclesiastico alias patrimonio comprehensae, e.g. pecunia, domus, praedia, ab ecclesia diuelluntur.

85 Haec est, qua uniuersitas rerum ecclesiasticarum, e.g. episcopatus, abbatia, monasterium, in diuersam ab ecclesiastica conditionem mutatur.

86 Vtraque, si res ecclesiastica, priori exuta qualitate, in ciuilem redigitur potestatem, nomine uulgari, at barbaro, secularisatio dici solet, h. e. qualitatis ecclesiasticae in secularem transmutatio.

87 Qualiscunque autem fuerit alienatio, non nisi iustis de causis fieri debet, utpote quibus eminens, quod Princeps hic exerit, dominium niti oportet.

88 Tales unice sunt necessitas et utilitas publica.

89 E. g. redemptio captiuorum, aeris alieni grauioris solutio, sustentatio pauperum, oppressorum liberatio, e. s.

90 Vnde autem utilitas speciatim sit aestimanda, quidue porro hic obseruari debeat, inter alios iuris ecclesiastici scriptores fuisse lateque docent Brunnemannus, Stryckius et Wolffius.

91 Quibuscumque conferri possunt, qui de secularisatione et alienatione-

natione ex instituto sunt commentati, uelut Rhetius, Rothmalius, Mauritius, Thomafius, Tilemannus et Bôdinus.

92 Ceterum generalem de bonis ecclesiasticis tractationem consignarunt Schoockius, Thummius et Vlricus.

93 V. *Axiomata* sunt : (1) Si ulla est uniuerfitas, cui ordinandae conseruandaeque certa quaedam bona in proprietatem dari, conueniat, ecclesia certe est.

94 (2) Haec quippe ceteris in ciuitate societatibus tanto est dignior, quanto propositus ei finis omnibus, quae terra capit, bonis est praestantior.

95 (3) At, siquidem ad obtinendum hunc finem affluentia opum externoque splendore haud opus est, nec ampla nimis bona ecclesiae tribui oportet.

96 (4) Itaque permirum est, quod sapientissimus alioquin Imperator, Iustinianus, in ecclesiis optimam mensuram donatarum eorum immensitatem appellet in Nou. 7. c. 2,

97 (5) Contra ea recte fecerunt Imperatores, qui profusam in locupletandis amplificandisque ecclesiis liberalitatem edictis coercere studuerunt.

98 (6) Nec male suis consuluerunt rationibus, qui monasteria aliaque inertis sodalitiis domicilia siue ad ciuiles, siue ad meliores saltem usus transtulerunt.

99 (7) Mel, laboriose congestum, a fucis depasci, nocet.

ARTICVLVS II.

DE

AEDIBVS SACRIS.

I. *Descriptio.* II. *Constitutio.* III. *Axiomata.*

I.

Describi possunt aedes sacrae, quod sint certa loca publica, summi imperantis auctoritate exstructa, cultuique diuino peculiariter ita destinata, ut certae in eis ecclesiae conuenire, certamque imbi religionem exercere possint.

2 Dicuntur loca, cultui diuino destinata, siue ad ministerium Dei rite dedicata, secundum §. 8. l. de R. D.

3 A sacro igitur hoc fine non tantum sacrae dicuntur aedes, sed aliis insuper nominibus nuncupantur.

Qqq qq

4 Ta-

4 Talia fere nomina sunt domus Dei, (*οἶκος θεῶν*) domicilia sacra, *ἱεροὶ δόμοι*) domus dominicae (*κυριακαί*) basilicae, ecclesiae, e. f.

5 Ecclesia minor uocatur capella, cuius etymon explicat Strykius.

6 Ethnicis dicebantur fana, delubra, templa, quanquam nomina haec, stricte accepta, inter se differre perhibentur.

7 Communissima omnium uox est templum, aliis quidem quasi tectum amplum, aliis a tuendo, aliis a contemplando, aliis a *θεῖος*, iustitia, dictum, optime uero a *τέμενος* deriuandum, quia locum denotat seiunctum, et diuino tantum cultui dicatum.

8 Dicimus, diuino tantum cultui dicatum, siquidem in hoc duntaxat sensu hic accipi debet templum, non pro loco quolibet altiore, neque pro loco, captandis auguriis destinato, neque pro loco clauso ac profano, neque etiam pro sepulcro, ut alioquin id usurpari, scribit Linckius.

9 Quamuis autem gentiles aedificia, diuino destinata cultui, etiam templa dixerint, non eandem tamen de iis habuerunt mentem, atque christiani habent.

10 Quippe in ea fuerunt opinione, suos, quos fingeant, Deos in templis, tanquam propriis sibi sedibus, habitare, et ibi demum praesentes ac proximos inuocari, quin imo inclusos teneri posse.

11 Eum in finem templa solemnī dedicatione in proprietatem Deorum tradiderunt, ut singulari hoc dissertatione enarravit Antonius uan Dale.

12 Hinc Dea stros tales uocarunt incolae, inquilinos, e. f.

13 Quo factum, ut, antequam urbs aliqua oblecta diriperetur, tutelares istos habitatores, alio transferendos, solemniter euocarint, ut supra docuimus in l. G. p. 591. pos. 35.

14 Verum non omnes omnium, ethnicorum animos misera haec totque errorum ferax superstitio occupauit.

15 Fuerunt utique gentes, apud quas simplex uiguit cultus.

16 Lacedaemonios quidem ex Lycurgi instituto non splendidis aedificiis sumptuosisque sacrificiis, sed pia mentis integritate Deos colere oportuisse, inter alios commemorat Potterus.

17 Veteres autem Germanos, puriori deditos religioni, ab imaginibus templisque abstinuisse, adeoque non parietibus cohibere Deos

Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare uoluiffe, testis est Tacitus.

18 Nec homines, ueram amplexi fidem, templa semper habuere.

19 In uetèri quidem Testamento Patriarchas nullo usos fuisse templo, certum est, quicquid de Abrahamo, talis aedificii fabricatore, nugentur Mahometani, merito notati a Buddeo.

20 Diuino uacarunt cultui, obtuleruntque Deo sacrificia, sed non certo demum loco, quippe cum instabilis eorum commoratio aliquid tale uix permiserit, ut recte iudicet idem Buddeus.

21 In nouo autem Testamento primi Christiani adeo nihil morati sunt templa, ut etiam nomen eorum fugerint.

22 Ideo loca, in quibus conuenire solebant, oratoria, seu domos orationum, (*synagoga*) ecclesias, conuenticula, basilicas, sacraria, e. & uocarunt, uti late inter alios docent Schurzfleischius, Linckius et Boehmerus.

23 Quis ergo, quaeris, primum inter homines templa introduxit?

24 In diuerfas quidem sententias hic abeunt doctores, ut in peculiari super hac materia tractatu meminit Hospinianus.

25 Plerique tamen ab Aegyptiis originem templorum ac progressionem arcessunt, ab eisque cum ceteris simul populis etiam Graecos, a Graecis Romanos, a Romanis tandem Germanos templa exstruendi morem accepisse, putant.

26 Et ita inter alios sentire uidentur scriptores, maximam iam partem excitati, Potterus, Schurzfleischius, Linckius, Pictetus, Boehmerus, quique sub huius praesidio inauguralem de templis dissertationem habuit, Reinhardus.

27 Quae quidem sententia cum ea conuenit, qua, uisa apud Aegyptios templa cum tabernaculi, tum templi Iudaici, splendido, at typico simul modo exstruendi, Deo ad gentis, sibi delectae, desiderium se quasi accommodante, occasionem dedisse, statuitur.

28 Hoc autem Israelitae ab aliis maxime populis fuerunt distincti, quod, sicuti unum, eumque uerum tantummodo Deum colere debebant, ita non, nisi unum omnes templum ad cultum talem, coniunctis peragendum animis, habuerunt.

29 Contra infinitis aeque templis, ac Diis, abundarunt gentiles.

Qqq qq 2

30 Cum

30 Cum enim heroas et illustriores quosque homines in Deorum numero uenerarentur, eorum quoque sepulcra superstructis plerumque templis honorarunt.

31 Vnde incredibilis templorum multitudo ubique extitit.

32 Quae multitudo, siquidem debitus rerum sacrarum perinde, atque ciuiliū ordo constare debebat, Romanos ad faciendam in curias diuisionem adduxit.

33 Ita, ut singulis quidem curiis unum aliquem curionem, h. e. sacra pro curia sua facientem, curionibus uero omnibus curionem maximum praefecerint.

34 Et talis gentilismi ratio inter Christianos, ubi a puriore desierint ecclesia, quodammodo emeruisse dicitur.

35 Eatenus nimirum, ut, multiplicatis, quae superstitioso martyrum sanctorumque honori dedicauerint, templis, ecclesiae in uarias quoque curias fuerint descriptae.

36 Scilicet, quae uulgo paroeciae, seu parochiae dicuntur, eas nonnulli more Romano curias, sicuti parochos, seu praepositos ipsis sacerdotes, curiones, parochianos autem curiales, et parochiales denique ecclesias aedes curiatis nominant, ut plurimis scriptorum testimoniis hoc comprobatur Boehmerus.

37 Talem uero status christiani conuersionem Constantini M. tempore coepisse, inter alios docet Zieglerus.

38 Tum nempe, cum, reddita christianis quiete ac libertate, magna surrexerint templa, et sacerdotes, ecclesiae honorationis splendore capti, et Imperatoria abusi benignitate, non nisi opulentiam, potestatem ac dominatum anhelauerint.

39 Hic ergo templorum christianorum perhibetur ortus.

40 Sed mittamus historicam de aedibus sacris tractationem, et, quomodo ea partim receptis christianorum institutis, partim ipsis naturae legibus conuenienter debeant constitui, nunc exquiramus.

41 II. *Constitutio* autem talis tribus potissimum actibus absolui uidetur, (1) aedificatione, (2) consecratione, (3) distinctione.

42 (1) Aedificatio ante omnia imperantis postulat consensum.

43 Cum enim templorum exstructio perinde, atque alii actus, ad ordinandam conseruandamque ecclesiam pertinentes, ex iure sacrorum

crorum pendeat, hoc autem ius soli competat imperanti, etiam imperantis auctoritate ad talem exstructionem opus est.

44 Adeo, ut templum, sine hac auctoritate exstructum, sit nullum.

45 Id quod euangelicae quidem ecclesiae pro eo, ac naturali etiam lege fas est, observant, in pontificiis autem episcopi consensus requiritur, ut late hoc exposuit Linckius.

46 Sed ipsum potius imperantem sua hic auctoritate interuenire, ecclesiae hoc magis refert, quod templa ad ipsius conseruationem spectare debent.

47 Nimirum multiplicatae christianorum ecclesiae, dum, aliam nactae faciem, in ciuitatibus consistunt, talibus indigent institutis, quibus ordinata cultus externi ratio obtineri, adeoque, sublata omnis confusionis materia, omnium salus conseruari possit.

48 Ad talem uero conseruationem maxime conducunt templa.

49 In eis quippe certus hominum coetus ad audiendam discendamque religionis doctrinam pariter, atq; ad colendum inuocandumque Deum rite ac *decenter coniungi potest.*

50 Ergo imperantis est de exstruendis statuere aedibus.

51 Idque non magis de subditorum, eandem, atque ipse proficitur, religionem colentium, quam de dissentientium templis, nisi pacto, aut lege fundamentali aliter sit cautum.

52 Nec tantum exstruendi facultatem confert imperans, sed etiam sumtus, unde, et modum, quo fieri debeat exstructio, definire potest, et ordinare.

53 Sumtus quidem ex communi plerumq; ærario, uel, deficiente eo, minusue sufficiente, a parochiis patronisue suppeditantur;

54 Nonnunquam indictis a Principe collectis comparari solent.

55 Modus autem eatenus ex libero pendet arbitrio, quoad communis nec alieni a religione moris habetur ratio.

56 Pontificii ad modum corporis humani templa exstruunt, ita, ut singulae eorum partes mysticam habeant significationem.

57 Sed antiquam hanc templorum formam papalis quidem cultus diuersitati inseruire, in euangelicis autem ecclesiis nullum habere usum, recte iudicat Strykius.

58 Nec refert, utrum uersus orientem, an occidentem conuer-

Qqq qq 3

tantur

tantur templa, quamuis illud in recordationem paradisi ecclesias ueteres, hoc autem Iudaeos fecisse, memoret Schilterus.

59 Tantummodo talem fieri oportet structuram, quae obeundis rite sacris, maxime habendis audiendisque concionibus commoda uideatur.

60 Spectant huc baptisterium, altare, suggestus et subsellia.

61 Baptisterium est locus, ad sacramentum baptismi, rite administrandum, intra aedem sacram, seu templum, hodie exstructus.

62 Dicimus, hodie, quia ueteres christiani, causam, cur adhibeatur baptismus, indicaturi, extra ecclesias baptisteria ponebant, commemorante Linckio.

63 Quid praeterea de qualitate, collocatione et consecratione baptisterii sit noscendum, inter alios docent Casalius, Hildebrandus, Zieglerus et Hornius.

64 Altare, ab altitudine, quasi alta ara (quanquam inter aram et altare discrimen statuerunt antiqui) dictum, est mensa lapidea, in aedibus sacris auctoritate summi imperantis exstructa, et sacris actibus, ex praescripta religionis norma celebrandis, dedicata.

65 De origine uero altarium, eorum structura, consecratione, ornatu, usibus ac privilegiis erudita prostat dissertatio Sleuogtii.

66 Suggestus, seu suggestum, a lignis aliisque materiis suggestis, seu aggestis nomen habens, est locus editior, in templis ideo exstructus, ut ex eo conciones ad populum commode haberi possint.

67 Talem ceteroqui locum, in ecclesiastica praesertim historia, pulpitum, tribunal, umbonem, thronum, Graece *βῆμα*, Germanice autem Canzel a cancellis, intra quos concionati sint Patres, nominari, et Constantini M. aeuo cum templis originem accepisse, memorat Rechenbergius.

68 Subsellia sunt loca, ad frequentanda in templis sacra apte exstructa, et boni ordinis causa certis ecclesiae membris pro certo plerumque pretio assignata.

69 Dicimus, pro certo pretio, eoque nomine subsellia ad bona ecclesiae immobilia ciuilitertalia referuntur, quia lucrum inde capitur, et emolumentum.

70 Hoc tamen pretium et certum esse oportet, et modicum.

1000000

11. 11. 11

71 Quo

71 Quo igitur iure, quae aequitate in nonnullis locis ecclesiae aediles, seu praefecti pretium tale mirum in modum augere, et, constituta quasi auctione, sedilia plus licitanti uendere possint, cordatior quisque iudicet.

72 Plenior de subselliis tractationem, praeter Linckium aliosque iuris ecclesiastici scriptores, habent Schilterus, Brunnemannus, Strykius, Hornius et Boehmerus.

73 Ex instituto autem de subselliorum iure scripsit Philippi.

74 (2) Consecratio est actus, quo templum, recens exstructum, cultui diuino solemniter dedicatur, adeoque ab usu communi ad sacrum transfertur.

75 Solemnis eiusmodi consecratio nullo quidem legis diuinae iussu praecepta, constantitamen usu ab omnibus ferme gentibus, diuerso licet ritu, obseruata legitur.

76 Variis tum ethnicorum, tum iudaeorum, tum etiam christianorum exemplis inter alios hoc confirmat Linckius.

77 Antiquiores quidem christiani, sicut in omni sincerae religionis cultu simplices duntaxat caeremonias adhibuerunt, ita sua etiam templa puriore inaugurarunt ritu, qualem prae aliis descripsit Zieglerus.

78 Verum, subsecuta temporum ecclesiarumque conuersione, primum hoc institutum perinde, atque alia, detestabilis superstitionum admixtio contaminauit.

79 Et talis quidem corruptio inter pontificios etiam nunc manet, utpote qui caeremoniis a sanctiore religione omnino alienis templa consecrare, suisque, quos fingunt, sanctis tutelaribus dedicare solent, ut fuse lateque ex eorum scriptoribus docent Zieglerus, Linckius et Strykius.

80 At nostris clariore euangelii luce collustratorum moribus templa, ex pio ueterum ritu, precibus, hymnis, uotis, item sacramentorum administratione, ac diuini traditione uerbi, initiari solent.

81 Qualis quidem initiandi ritus ex libertate christiana etiam festo quotannis die recoli potest.

82 Vnde *ἐκκαίνια* extiterunt, a Graeco *ἐκκαινίζω*, h. e. innouare, quasi renoualia, h. e. dedicationis templorum anniuersarii dies festi,

sti, dicta, et in nonnullis etiam nunc ecclesiis, saltem paganis, usitata.

83 Quemadmodum uero ipsa dedicationum solemnia non nisi ex imperantis auctoritate institui possunt, ut ostendit Zieglerus.

84 Sic idem quoque imperans encaeniorum celebritatem uel abolere, uel saltem restringere potest, prout usus eorum postulauerit.

85 Id quod fusc lateque exposuit crebro citatus Linckius.

86 (3.) Distinctio denique templorum, ex ipsa quodammodo dedicatione consequens, in eo maxime consistit, ut, quoniam diuino tantum cultui sunt destinata, hoc etiam nomine certa quaedam priuilegia habeant.

87 Sed hic pariter papales et euangelicae discrepant ecclesiae.

88 Nam illae praeter exemptionem a commercio humano, immunitatem a collectis, inuiolabilitatem et sanctitatem, eamque non minus inhaesiuam et formalem, quam obiectiuam et materialem, etiam ius asyli tribuunt templis.

89 Hoc est, ius, quo delicti etiam grauissimi reus, in aedem sacram confugiens, ne quidem a iudice ciuili, nedum ab alio, inuitus, adhibita ui, inde extrahi possit.

90 Quod quidem ius ideo ab initio fuit introductum, ut humana lapsis imbecillitate, non graui cruentatis scelere, siue iniuriam passis (ἀδικημένοις) non iniuriam aggressis (ἀδικῶν) aliquod suppleret refugium, Nou. 17. c. 7. et Nou. 37.

91 Insecuta autem interpretatione canonica, iam longe patet.

92 Quippe ad omnis generis delicta, publicis duntaxat latrociniiis et criminibus, in ipsam commissis ecclesiam, exceptis, apud Romanenses extenditur.

93 Nec sacrarum modo aedium structura, sed earum quoque ambitus (περίβολος) circumcirca in cœmeterio, imo in certo etiam circuitu, qui saluitas (Freyheit) inde dicitur, ius tale habet, ut latius hoc declarauit Wilduogelius.

94 Sed tantum abest, ut ecclesiae euangelicae delinquentibus ulum in aede sacra asylum praestent, ut potius, iubente magistratu, eos, etiam uinculis inibi constrictos, tradant.

95 Legi hic possunt scriptores supra citati in I. G. p. 628. pos. 88.

96 Ili. *Axiomata* sunt: (1.) Maximum quidem radium entium ad religionem

ligionem, bene ordinateque exercendam, afferre possunt templa.

97 (2) At dolendum est, homines, etiam puriori addictos fidei, debitum eorum usum negligere saepenumero ac peruertere.

98 (3) Sunt quippe, qui, ueram pietatem aut ignorantes plane, aut parum curantes, certis ea diebus frequentasse, et externum in eis cultum peregrisse sat habent.

99 (4) Operato inhaerent operi, et communi patriae more, non sincero religionis amore sacris intersunt.

100 (5) Quid? quod multi in templis, tanquam in theatris, publicisue spectaculis, uel faciendae ostentationis, uel animi explendi, uel saltem fallendi temporis materiam quaerunt.

101 (6) Non itaque mirum, si pii ecclesiae doctores turpissimum hunc abusum graui identidem reprehensione notant.

102 (7) Ex sacro facere profanum, uel ethnici nefas habuerunt.

ARTICVLVS III.

DE

SCHOLIS.

Scholae aliae sunt praeparantes, nempe Lycea et Gymnasia, aliae perficientes, quae dicuntur Academiae.

INSPECTIO I.

DE

LYCEIS ET GYMNASIIS.

I. *Praenotio.* II. *Definitio.* III. *Ordinatio.* IV. *Axiomata.*

I I.

P*raenotio*, hic tradenda, est doctrina de scholis in genere, earum notationem, descriptionem, finem, utilitatem, originem, diuisionem, e. f. complexa.

2 Schola a nomine Graeco σχολη, otium, f. uacationem denotante, ideo dici uidetur, quia docentes discensesq; in schola, ceteris rebus omissis, liberalibus maxime studiis uacare, h. e. studere debent.

3 Quippe nomen σχολη pro σπαδῆ, et descendens inde uerbum σχολάζειν pro σπαδάζειν, adscita inprimis particula πρὸς, a Graecis usurpari, constat.

4 Hoc quidem sensu schola nihil aliud est, quam coetus hominum, certis doctrinis operam studiumque impendentium.

Rrr rr

5 Cum-

5 Cumque in scholis, praesertim maioribus, de rebus cognitione dignis discepciones identidem agitari soleant, hae ipsae etiam, praeeunte Cicerone, scholae uocari solent.

6 Sed, nomine hoc ad militiam translato, scholae olim dicebantur corpora, seu ordines officialium, h. e. eorum, qui munere et officio militari, ad Principis ministerium pertinente, sub ministri officiorum imperio fungebantur.

7 Eiusmodi scholarum undecim fuisse, patet ex Iult. C. de locat.

8 Nominatim uero recensentur a Vegetio, Brissonio, aliisque tum rei militaris, tum iuris civilis scriptoribus.

9 Hinc etiam scholares nuncupabantur milites palatini, seu facri palatii, sub magistri officiorum dispositione in undecim illis scholis taxati, ut loquitur Iustinianus c. l.

10 Scholastici denique nomen non modo rhetorem fictumque fictarum declamatorem in schola, sed etiam, fictione in ueritatem commutata, aduocatum, seu iuris peritum, ut supra diximus, defensorem in foro denotabat.

11 Hodie cuncta haec uocabula in proprio fere sensu usurpantur.

12 Itaq; scholae describi possunt per societates docentium ac discipulorum, ex summi imperantis uoluntate ideo institutas, ut artes et scientiae utiles iuuentuti ad certam praescriptionem tradantur.

13 Dicimus, ex summi imperantis uoluntate institui scholas.

14 Scilicet, cum imperans ea omnia debeat curare, quae communi inserviunt saluti, ad instituendas etiam scholas sua, uti par est, auctoritate ipsum interuenire oportet.

15 Ita nimirum, quemadmodum diuersa diuersarum scholarum fert ratio, uti mox dicemus.

16 Merito autem inter instituta, quae communi inserviunt salutis, habentur scholae, siquidem iuuentuti salutare, in eisdem doctrinae proponuntur.

17 Eoq; nomine ad conseruationem ecclesiae eas spectare, dicimus.

18 Sunt enim officinae, in quibus bonae formantur mentes, quales ad religionem, rite colendam, ecclesia deposcit.

19 Sunt seminaria, ubi, sparso doctrinae feracis semine, nascuntur et efflorescunt transferendae aliorum plantae.

20 Sunt

20 Sunt fontes, unde ad irrigandas regiones amplissimas uarii deducuntur riui.

21 Quid igitur mirum, si, quoties scholarum abiecta fuit cura, ecclesiae etiam multis maximisque conflictatae sunt malis?

22 Cum ignorantia literarumq; orbitate morum quoque ferociam barbariemque semper fuisse coniunctam, loquuntur historiae.

23 Qua de causa in eam maxime curam incubuerunt pii homines, ut liberos suos in scholis, saltem priuatis, rite haberent instructos.

24 Patriarchas quidem publicas etiam scholas erexisse, quatuor, quibus rempublicam Ebraeorum scholasticam descripsit, orationibus probare sustinuit Altingius.

25 Sed lubrico prorsus fundamento eum niti, ostendit Buddeus.

26 Quin tamen de domestica familiis suis prospexerint institutione, nullum est dubium, ut late hoc iuxta alios exponit Alstedius.

27 Insecutis autem temporibus, postquam uaria inter Ebraeos extiterunt instituta, publicas etiam scholas ab eis fuisse constitutas, certo nouimus.

28 Scholas, Saluatoris aetate celebratas, memorat Hoornbeekius.

29 Quales quidem scholae a synagogis hoc maxime disceperunt, quod in his ad orandum legendumque scripta Moïsi ac prophetarum, in illis uero ad scripturam, allegorice explicandam, itemque ad traditiones proponendas euoluendasque conuenerint, sic doctore citato iam Buddeo.

30 Qua uero ratione apud alias gentes extiterint scholae, non magis hic disquirere attinet, quam tot diuersarum inter christianos scholarum primordia, incrementa, et fata indagare.

31 Dicimus, tot diuersarum inter christianos scholarum, ut indicemus, non unius eiusdemque generis esse scholas.

32 Aliae nimirum sunt publicae, aliae priuatae, nonnullae maiores, pleraeque minores, quaedam prouinciales, plurimae oppidanae, seu senatoriae, e. s.

33 De publicis quidem scholis hic tractare, nostri est instituti.

34 Has uero, habito potissimum respectu finis, in praeparantes distinximus et perficientes, quarum illae Lyceae et Gymnasia, haec Academiae et Vniuersitates dici solent.

35 De prioribus quoniam hac Inspectione agere constituimus, ante omnia definitionem earum tradamus, necesse est.

36 *II. Definitio* itaque gymnasiorum, ui originis Graecae palæstras proprie significantium, hoc fere modo fieri potest.

37 Gymnasia sunt societates literariae, summi imperantis auctoritate in certo aptoque loco eum ad finem institutæ, ut uiri idonei riteque delecti iuuentutem ex norma quodammodo praescripta eis erudiant doctrinis, quibus ad studia Academica, bene recteque tractanda, praeparari possit.

38 Dicimus, gymnasia ui originis Graecae significare palæstras.

39 Scilicet Graecum, unde gymnasium descendit, nomen (γυμνάσιον) a denudando (γυμνᾶν) dictum, olim denotabat locum, ubi athletae et pugiles nudi, corporis exercendi causa, luctabantur.

40 Hinc ipsa haec ars exercitatrix uocabatur gymnastica, de qua singulares legi possunt commentationes Mercurialis, Fabri, Panvini et Meursii.

41 Qui uero locis praerat gymnics, dicebatur gymnasiarchus.

42 Post, facta ab exercitio corporis ad exercitium animi translatione, ludii literarii, seu coetus publici, docendis discendisque literis destinati, gymnasia nominari sunt coepti.

43 Qualia quidem gymnasia, in generaliore, seu latiore accepta sensu, etiam Lyceam nuncupantur et Athenaea, altero horum nominum a schola Aristotelis, Apollini Lyceo sacra, altero a loco, qui Minervae Athenis erat destinatus, desumpto.

44 Cum autem praeparantes eiusmodi scholae diuersi sint generis, diuersis etiam nominibus nonnunquam distingui solent.

45 Ita, ut ampliores et illustriores speciatim inque sensu eminentiore (κατ' ἐξοχήν) gymnasia, earumque uel classica, uel Academica, prope discipulorum ac docentium ordo uel inaequalis fuerit, uel aequalis, minores autem ac uiliores uulgo triuales appellentur scholae.

46 A triuio scilicet, seu uulgari studiorum ratione, Grammaticam, Dialecticam et Rhetoricam olim complexa.

47 In speciali igitur sensu gymnasia sunt publici docentium ac discipulorum coetus, in quibus ex instituto illustrium personarum, uel ciuitatum insigniorum, scientiae et disciplinae exactius pleniusque ad maiora traduntur.

48 Contra

48 Contra ea scholae triuiales sunt, in quibus prima tantum scientiarum artiumque liberalium rudimenta iunioribus proponuntur.

49 Sed qualescunque fuerint scholae, ex summi, uti iam dictum est, imperantis auctoritate eas institui oportet.

50 Ita, ut saltem ex concessione eius, seu consensu ab inferiore fundentur magistratu, atque ad debitum quæq; finem ordinentur.

51 III. *Ordinatio* autem scholarum, quales quidem hic intelligimus, sequenti fere modo fieri debet.

52 (1) Ut apto commodoque statuatur loco.

53 In solitudine quidem, seu secessu, ab hominibus non ita frequentato, erigendas esse scholas, nonnulli contendunt.

54 Multitudo, aiunt, hominumque, die ac nocte discursitantium, strepitus literarum turbat studia, iuuenumq; animos eo facilius ab industria abducit, quo natura ad otium sunt proniores.

55 Ideo Musarum sedes in tranquilla montium altitudine, non celebrata urbium planitie finxerunt Poetae.

56 Et ueteres sapientiae cultores in suburbis, hortis, locisue aliis segregatis, et naturali magis pulchritudine, quam artificioso hominum ornatu placitis, suas plerumque scholas habuisse, constat.

57 Verum in celebrioribus etiam locis commode institui posse scholas, non magis exempla, quam rationes suadent.

58 Exempla quidem scholarum, in frequentissimis exstructarum urbibus, cum prope infinita sint, ex antiquioribus Athenienses, Corinthiacas, Alexandrinas, Syracusanas, Antiochenas et Romanas, ex recentioribus Parisienses, Norimbergenses, Hamburgenses et Vratislavienses meminisse, sat erit.

59 Rationes autem praecipuae uidentur esse sequentes.

60 (a) Quia in scholis, loco illustriore constitutis, facile providere possunt antescholani, seu scholarchae, ut sinceræ pariter religionis, atque utilioris scientiae praecepta doceantur, adeoque nullae siue morum, siue doctrinarum corruptelae sub latebrarum occultentur umbra.

61 (3) Quia iuuenes in urbium frequentiorum, et ampla maxime aula splendentium, celebritate tam cultiorem uiuendi rationem, quam politioem loquendi elegantiam una cum literis comparare possunt.

Rrr rr 3

62 (γ)

62 (γ) Quia studiorum tristitia et acerbitas iucunda, qualis in loco frequentiore suppetit, sodalitate, uariaq; rerum nouarum delectatione ita mitigari potest, ut ne teneræ obtorpescant mentes, et, obscuris duntaxat claustris detentæ, rebus agendis ineptæ euadant.

63 Id tantummodo curandum est, ut scholæ in tali condantur loco, qui regionis situ, temperie coeli, aërisue purioris salubritate commendari mereatur.

64 Aëris enim crassitudo, et uaporum, ex terra paludola nunquam non surgentium, grauitas adeo conglobatum uitiat sanguinem, ut torpor, grauedo, scabies, sciatica, febris, aliaque morborum genera studiis aduersa inde nascantur.

65 (2) Ut certi idoneique deligantur doctores.

66 Certos, dicimus, hic requiri doctores, h. e. ad peculiare muneris scholastici partes pro conditione scholarum destinatos.

67 Scilicet cum Lycea et gymnasia, ut supra innumus, diuersi sint generis, inque uarios plerumque ordines distincta, certis utique doctoribus opus est.

68 Proinde in gymnasiis classicis uarii dantur praeceptores, inter se subordinati, uti Rector, Con-Rector, Sub-Rector, ceterique collegae, in Academicis autem Rector perpetuus et Professores certarum, quae in eis doceri debent, scientiarum.

69 Cuiuscunque autem generis fuerint scholæ, idonei debent esse earum doctores, h. e. requisiti ad officium, rite obeundum, necessariis instructi.

70 Talia fere requisita sunt. (α) honestas uitae, (β) sufficiens doctrina, (γ) recta docendi ratio.

71 Honestas uitae complectitur omnes illas uirtutes, quae cum in omni uiro bono, tum maxime in erudito elucere debent.

72 Quandoquidem uero omnium uirtutum fons et caput est pietas, hac etiam eo magis praeditum esse oportet magistrum scholae, quo certiores laborum studiorumque progressus inde expectare potest.

73 Qui, Deum timens, diuina fruitur ope, is demum et ingeniorum iuuenilium uarietates facile pernoſcet, et curas molestiasq; tranquille sustinebit, et discrimina quaeuis feliciter superabit.

74 Nu-

74 Numen coeleste sinceris sui cultores in nulla destituit fortuna.

75 Nouimus scholarum Rectores, qui, dum, summa confecti senectute, minimum laboris suscipere quierunt; precando pieque monendo maxime doctos fecerunt discipulos.

76 Quod si ergo pietati deditus est praeceptor, etiam ceteris studebit uirtutibus, quae rem scholasticam promouere possint.

77 Probitatem, fidem, moderationem, benignitatem, patientiam et aequabilitatem debite exercebit, nec committet unquam, ut sanctum neglexisse opus uideatur.

78 In eam potius curam incumbet, ut, diligenter fideliterque suos erudiendo discipulos, omnes officii partes impleat.

79 Cum autem nemo alterum docere possit, nisi ipse fuerit doctus, in scholastico etiam doctore sufficiens requiritur doctrina.

80 Sufficiens, inquit, doctrina, h. e. talis, quae peculiari muneris rationi respondeat, adeoque rebus, in schola tractandis, par sit.

81 Non itaque necessum est, ut unusquisque paedagogus uniuersalem, et, quanta quidem in homines cadit, perfectam omnibusque numeris absolutam habeat eruditionem.

82 Sat doctrinae habet, si ea est doctus, quae alios docere debet.

83 Dummodo recta docendi ratione polleat, utpote quae maxima ad bonum scholasticum momenta afferre potest.

84 Quid enim discipulis profuerit magister, excellenti ornatus doctrina, at nulla doctrinam aliis tradendi facultate instructus?

85 Aliud est multa scire, aliud iuniores scienter erudire.

86 Non omnes, qui docti sunt, alios docere possunt, cum artis sit docere, et quaedam docendi sit ars, ut bene scribit Cicero.

87 Ergo singularis hic facultas in scholastico requiritur doctore.

88 Quae quidem facultas non solum clare et perspicue loquendi, sed etiam probe discernendi ordinandique rationem complectitur.

89 Perspicuis autem uerbis animi sui sensa explicaturus, ipse distinctam prius ideam de rebus proponendis concipiat.

90 Non potest non obscure loqui, qui loquenda haud intelligit.

91 Sic etiam formandus est sermo, prout discipulorum tulerit captus, siquidem non eadem omnes peraeque assequuntur.

92 Quam ob rem discerni oportet ingenia, uelocia at tardis, obtusa ab acutis, eximia a mediocribus.

93 Pro

93 Pro tali diuersitate diuersam docendi rationem iniri, par est.

94 Ita, ut labores iusto distribuantur modo, pensa uariantur, ipsaeque doctrinae modo limatiore, modo crassiore, ut aiunt, Minerva proponantur.

95 Tardioribus maxime ingeniis repetitio debet esse subsidio.

96 Optima denique methodus est a facilibus progredi ad difficiliora, non multa, sed multum proponere, intellectum magis, quam memoriam exercere, ad uitam, non scholam omnia referre.

97 Hinc, ubi incipi oporteat, ubi finiri, facile liquet.

98 Scilicet post religionis doctrinam, rectamue credendi et agendi rationem, primum quippe necessarium, maximo cum studio tractari debent linguae, quibus partim ad comparandam eruditionem, partim ad publica obeunda negotia opus est.

99 Et talis quidem lingua iuxta uernaculam inprimis est latina.

100 Huius enim usus tam late patet, ut sine ea nec scientias in Academia recte addiscere, nec munus in ecclesia, ciuitate, aut schola digne sustinere, nec publica in aulis negotia debite expedire detur.

101 Id quod praeter alios fuisse lateque docuerunt Limnaeus, Carpouzuius, Fritschius, Becmannus, Grauius, Otto et Bergerus.

102 At moderatum debet esse Latinitatis studium, ut cordate praeter iam excitatos monent Buddeus et Ianus.

103 Proximum a linguis locum debent habere disciplinae instrumentales, eae praesertim, quae ad ordinandos exprimendosque animi conceptus adminiculum praebent, ueluti Logica et Rhetorica.

104 Quanti in cognoscenda boni idea, rerumque optimarum cognitione adipiscenda Dialecticam aestimauerit Plato, egregie docet Zentgravius.

105 De oratoria, ut dicitur, arte manifestum est, eam, si recte fuerit tradita, praeterquam eruditis, principibus etiam uiris, summa capeissentibus munia, amplissimos afferre fructus.

106 Poëticae saniori non omnem in scholis locum abiudicauerim.

107 Id tamen, propria edoctus experientia, culpandum habeo, quod inepti quidam scholarum magistri non solum poëtas Graecos perinde ac Latinos ad uerbum edisci, sed etiam uersus Ebraeos, Chaldaicos, Syriacos, Arabicos, et, nescio quos, alios conscribi, eosdem

demque non sine circulatoria sapientiae scholasticae ostentatione recitari, typique vulgari iubent.

108 Quis enim dubitaret, quin tempus et ingenium in alias plane res impendi possent, quam in talem, ut ita loquar, uersificationem, non nisi cum spe certissimæ obliuionis ac poenitentiae coniunctam?

109 Annon satius esset mathematicas aliquot addiscere doctrinas?

110 Maxime cum Arithmeticae ac Geometriae subsidio optimarum perinde scientiarum, ac linguarum, imo ipsarum quoque uirtutum principia acquiri possint, ut scite hoc demonstrauit Weigelius.

111 Praetermitto Historiam, Physicam, aliasque huius generis disciplinas, quarum rudimenta si in Gymnasiis probe traderentur, tum demum recta iuuentutis ad Academiam foret praeparatio.

112 Quicquid autem otii temporisue subcisiui in scholis subiade inciderit, id non ludicris omnino rebus perdi, sed musicae, calligraphiae, diagraphicae, aliisque exercitationibus iucundis pariter, atque utilibus dari oportebat.

113 Cumque sigillatim elegantia manus eruditae maximam pariat commentationem, consultius sane foret, si omni gymnasio certus adiungeretur calligraphus, qui iuuenes scite scribendi artem statis per septimanam diebus horisque doceret.

114 Namque absurdissimum esse prouerbium, doctos male pingere, imo, si pro doctis haberi uelint, male pingere debere, rectissime inter alios ostendit Lihenthalius.

115 Qui doctam de re scholastica commentationem concinnauit.

116 Praeter hunc uero scriptorem etiam alii hic legi merentur, qui partim generales, partim speciales de instituenda iuuentute comparandae doctrina tractationes prodiderunt.

117 Quales fere sunt (1) Huartus, (2) Vives, (3) Richerius, (4) Vossius, (5) Wagenicilius, (6) Alstedius, (7) Fichetus, (8) Budaeus, (9) Sturmius, (10) Crenius, (11) Ringelbergius, (12) Fungerus, (13) Mechouius, (14) Schuppius, (15) Naudaeus, (16) Pomarius, (17) Fleurius, (18) Hoffmannus, (19) Vockerödtus, (20) Dornmeyerus, (21) Whitte, (22) Fritschius, (23) Rechenbergius, (24) Nagelius, (25) Langius, (26) Grofferus, (27) Iunckerus, (28) Fahsius, (29) Kemmerichius, (30) Buddeus, (31) Reimmannus, et anonymi permulti.

118 Libros ad studia addiscenda necessarios sigillatim recensent Morhofius, Boeclerus, Gottschlingius, Struuius, Heumannus, et Junckerus.

119 Plurimum quoque ad rectam discendi vivendique rationem conferre possunt instructiones, quas suis aliorumve liberis praescripserunt illustres summique viri, veluti L. B. de Limburg, Kolbius de Wartenberg, de Seckendorf, ab Hoffmannswaldau, Geierus, Schudtius, aliique.

120 Nec minus huc faciunt scripta, de Regum, Principum Nobiliumque filiis, recte informandis, adornata, e. g. Oforii, Marianae, Wagenseilii, Pastorii, Sturmii, Schefferi, aliorumque, maximam partem allegatorum a Morhofio.

121 Geminum fere argumentum tractarunt illi, qui de Principis virique politici eruditione sunt commentati, veluti Herbinus, Roehrensee et Bierlingius.

122 (3) Ut vigilantes prudentesque constituantur inspectores.

123 Tales nimirum, qui docentes discentesque sedulo obseruent, existentes subinde defectus emendent, bonumque scholasticum omnibus modis procurent.

124 Cum enim scholarum doctores, suo relictis arbitrio, facile vel officium suum negligant, vel saltem non ea, qua decet, ratione exequantur, superioris utique cura hic opus est.

125 Dicimus, cura superioris, utpote qui scholas perinde, atque ecclesias ita moderari debet, ne detrimentum Reipublicae afferatur.

126 Id quod, constitutis demum inspectoribus, praecaveri potest.

127 Praesertim si crebriores accedant uisitationes, ad perspicendum rei scholasticae statum, eundemque, ubi necessitas postulauerit, reformandum institutae.

128 Quales quidem uisitationes speciatim descripsit Fritschius.

129 Quibus autem modis redactae ad incitas scholae possint sustentari, florentique restitui fortunae, docet Brunnemannus.

130 IV. *Axiomata* sunt: (1) Tanta quidem scholarum est praestantia, ut secundum Principes et Episcopos neminem de Republica magnificentius mereri posse, quam ludi literarii magistrum, non inepte dixerit Erasmus.

- 131 (2) At nullum etiam munus scholastico gravior censeri debet.
 132 (3) Quantum enim laboris, fastidii ac molestiae in repurgando Augiae stabulo pertulisse fertur Hercules, tantundem difficultatis, curae et industriae in formanda iuuentute subire debet paedagogus.
 133 (4) Adeo corrupta nunc est hominum prope omnium natura!
 134 (5) Ad otium, non laborem, ad uitia, non uirtutes prona plerumque est inuentus.
 135 (6) Quod dextra porrigit doctor, id, sinistra accipit auditor.
 136 (7) Est ergo aliquid sic doctrina ornare posse hominem, ut, quod Socrates dixit, pulcherrimum euadat animal.

INSPECTIO II.

De
ACADEMIIS.

I. Descriptio. II. Constitutio. III. Depravatio. IV. Axiomata.

I.

Describi possunt Academiae, Latino alias nomine uniuersitates dictae, quod sint societates publicae, a summo imperante ad perficienda riteque exornanda literarum studia ordinatae, eumque in finem certis iuribus ac priuilegiis instructae.

2 Dicimus, Academias Latino alias nomine uocari uniuersitates, ut indicemus, Academiae nomen ex Graecia habere ortum.

3 Scilicet de etymo quidem uocis inter doctores haud conuenit, aliis ab *αἰνός*, et *δῆμος*, quasi sit medicina hominum, aliis ab *αἶας* et *δῆμος*, quasi procul a turba, aliis a Cadmeo populo, scholarum publicarum fundatore, aliis, eisque probabiliorem secutis opinionem, ab Academo, seu Ecademo, siue Echedemo, scholae, a nomine suo dictae, auctore, eam deriuantibus.

4 Hoc tamen certum est, Athenis scholam nobiliorem nomine Academiae primum fuisse insignitam, postquam in Academia, h.e. loco suburbano, arboribus pulcherrimis consito, uariisq; exornato monumentis, scholam constituit Plato, summae apud Graecos prudentiae et auctoritatis uir, ut dicitur Callistrato in l. 2. ff. de nund.

5 Hinc ipsa inibi philosophantium secta Academia fuit dicta.

6 Imo et uillam suam in memoriam Platonis Academiam, et compositos in ea libros quaestiones Academicas uocauit Cicero.

7 In speciali itaq; sensu Academia etiam nunc superiorem denotat scholam, recepto uniuersitatis nomine alias nuncupari solitam.

8 At generatius accepta, uarias sustinet significationes.

9 Vsurpatur quippe (1) de collegio ciuium praestantiorum, musicae, oratoriae, aliisque eiusmodi artibus excolendis destinato, (2) de gymnasio equestri, pro iuuentute illustriore, tam studiis, quam exercitiis erudienda, instituto, (3) de systemate, seu libro, certarum disciplinas methodice complexo.

10 Cur autem Academiae, quales quidem hoc loco intelligimus, recepto in uulgus nomine uniuersitates dicantur, haec potissimum sunt causae.

11 (1) Quia corpora, seu collegia, ex distantibus personis collecta, certisq; institutis, iuribus ac priuilegiis instructa, constituunt, adeoq; communis, seu uniuersitatis referunt formam, (2) quia uniuersis literarum cultoribus aditum ad se praebent, (3) quia facultatem uniuersa studiorum genera docendi discendiq; complectuntur.

12 Hinc uniuersalia etiam studia, imo studia absolute, ueteribus dicebantur, hodieque nonnullis ita dicuntur, ut patet ex priuilegiis Caesareis, Academiae Halensi concessis.

13 Metonymica nimirum locutione, quia studia, in Academiais perficienda riteque exornanda, fere praecipuus sunt finis, ad quem eas a summo ordinari imperante, diximus.

14 A summo, inquit, imperante, utpote qui sicut in aliis societatibus, ita etiam in Academiais, recte constituendis, Reipublicae providere debet.

15 Scilicet Academiae ad erudiendam destinantur iuuentutem.

16 Atqui interest Reipublicae, eos, qui, scholis egressi, inter ciues uitam degere, et partim sacra, partim politica sustinere debent munera, bonis utilibusque imbui doctrinis.

17 Vt enim talis plerumque sit messis, qualis facta fuerit sementis, ita uix aliter in ciuitate se gerunt homines, atque ut docti fuerint in uniuersitate.

18 Quia de causa scholas tam maiores, quam minores, si recte se habeant, ad conseruandum ecclesiae statum prodesse, diximus.

19 Accedit, quod Academiae a peculiari diriguntur magistratu, certis-

certisque ornantur iuribus ac privilegiis, qualia mox recensēbimus.

20 Hæc autem omnia ab imperante proficisci, recte ait Zieglerus;

21 Ergo cuique imperanti, ui maiestatis, h. e. summæ, quam tenet, potestatis, aut saltem territorialis, ut dicitur, superioritatis, suam intra regionem Academiis instituere et ordinare licet.

22 Quoniam uero perfectus Academiarum status cum aliis iuribus Academicis etiam honores conferendi potestatem requirit, talis uero potestas in Imperio nostro ad Imperatoris pertinet reservata, is demum eiusue uicarius priuilegium tale concedere, eoque Academiis, in toto Imperio ualituras, confirmare debet.

23 Quod quidem confirmandi ius Pontifex Romanus, ut summus rerum ecclesiasticarum, siue, quod perperam dicitur, spiritualium dominus, sibi arrogat.

24 Sed præterquam quod adhuc in quæstione sit, utrum ad facultates ecclesiasticas, an politicas referri debeant Academiae, facer iste dominatus iam supra a nobis est explosus.

25 Nec obstat, quod nonnullas in Scotia Academiis ab episcopis, u. g. Aberdonensem ab Elphistone, et S. Andreae a Kennedo, constitutas fuisse, ex Choppino tradit Limnaeus.

26 Nam usurpata eiusmodi potestas ad inducendum ius aliquod non plus momenti habere potest, quam tyrannicum illud imperium, quo Praeful Romanus in Reges ac Principes subinde est usus.

27 Quicquid igitur iuris etiam nunc in Romano-catholicis, ut dicuntur, Academiis Pontifex habet, id omne, Principum Imperisque Statuum facilitate abusus, ex ratione status papalis sibi sumfit, ut bene iudicat Conringius.

28 Quod cum recta secum uia reputent nostrates ciuitatum rectores, tantum abest, ut ullam Pontificis auctoritatem hic agnoscant, eiusue consensum (quod quidem Principes aliquot euangelici olim fecerunt) hodie expetant, ut etiam Academiis, ab ipso quondam erectas, subinde immutent, et noua, ubi bonum fuerit uisum, ratione constituent.

29 Ille *Constitutio* autem Academiarum personas complectitur et res.

30 Personae aliae sunt principales, seu primariae, nempe Professores et Studiosi, aliae minus principales, seu secundariae, ueluti syn-

dicus, protonotarius, actuarius, quaestor, depositor, accensus, seu pedellus, siue a pedibus, siue a pedo, h. e. sceptro præferendo, dictus.

31 Professores, a profitendo, h. e. palam fatendo, dicti, sunt personæ publicæ, ad certas plerumque scientias, publice priuatimque docendas, legitime constitutæ, eumq; ad finem in certos ordines descriptæ, certisque stipendiis, iuribus ac privilegiis donatæ.

32 Dicuntur personæ publicæ a publico, quod gerunt, munere, publicas nimirum scholas, seu publicæ, ut uulgo uocantur, collegia in publicis habendi locis.

33 Quæ publica docendi potestas cum publica etiam auctoritate niti debeat, Professores legitime constitutos esse oportet.

34 Talis autem constitutio in Academiis iam ordinatis ita plerumq; fieri solet, ut (1) Academiae nutritor ex denominatis ab Academia uiris certum eligat, (2) electus ex rescripto, cum in finem concessio, præstatis præstandis, in corpus Academicum recipiatur, (3) receptus solemniori oratione nouum auspicetur munus.

35 Requisita Professoris exposuit Julianus in l. 7. C. de Profess.

36 Dicimus porro, Professores ad certas plerumque scientias, publice priuatimque docendas, constitui.

37 Scilicet haud patitur uirium humanarum ratio, ut omnes in omni scientiarum, longe lateq; diffusarum, genere excellere, aliosque erudire queant.

38 Quapropter consultum utique est, ut certa cuique Professorum doctrina, excolenda probe, scienterq; tradenda, committatur.

39 Ea; de causa in certos plerumq; ordines eos describi, addimus.

40 Tales fere sunt quatuor, ut uulgo dicuntur, Facultates, Theologica, Iuridica, Medica et Philosophica.

41 Quæ tamen distinctio non in omnibus usq; Academiis fuit.

42 Quippe ab initio duæ tantum extitisse Facultates, Theologica et Philosophica, seu artium, et duæ reliquæ circa annum M CC XXX accessisse perhibentur.

43 In Vindobonensi etiam Academia quintam Facultatem, ex oratoribus et poetis constantem, ab Imperatore Maximiliano adiunctam, contra in Rostochienfi trium duntaxat Facultatum, Iuridicæ, Medicæ ac Philosophicæ, inaugurationem a Martino V. Pontifice factam fuisse, ex uariis scriptoribus tradit Lilienthalius.

44 Verum hodie in plerisq; Academiis tum pontificiis, tum evangelicis quaternarius Facultatum numerus non inepte retinetur, dummodo rectus earum situs, ut bene monet illustris Thomafius.

45 Tales itaq; Facultates regulariter ex solis constituuntur Professoribus, alicubi tamen privati etiam Doctores in eas cooptantur.

46 Singulae autem suum habent Decanum, ab eo dictum, quod deni olim in quaque Facultate habebantur Professores, quorum ad eo praepositus uocabatur Decanus, cum decuriae suae moderator esset ac praeses, commemorante Limnaeo.

47 Scilicet nomen hoc primum a militia, ubi decem militum praefectus dicebatur decanus, ad coenobia et ecclesias translatum, de eo usurpari est coeptum, qui monachis ceterisque clericis praefuit, ut in suo ad Codicem commentario docet Perezius.

48 Qui etiam decanorum, ad efferendos humandosque mortuos Iustiniani tempore constitutorum, ibi meminit.

49 De decanis coelestibus notum extat programma Leschnerti.

50 Nunc appellatio haec, in Academiis recepta, eum denotat, qui dirigendo suo collegio ad semestre, uel annum spatium per electionem ex collegii membris, siue Professoribus, siue Assessoribus, seruato plerumque ordine, praeficitur.

51 Officium ergo Decani est (1) causas sui ordinis moderari, (2) conuentus, facta collegarum conuocatione, instituere, (3) gradus, in sua Facultate promouendos, procurare, et (4) si Philosophus fuerit Decanus, recipiendos in Academiam studiosos initiare.

52 Talem uero Decanum seruato plerumq; ordine eligi, dicimus.

53 Itaq; singulare aliquid est, quod in Academia Lipsiensi Facultatis Iuridicae praeses, qui nomine peculiari, ex canonibus recepto, Ordinarius dicitur, perpetuus est Decanus, atq; immediate ab Electore constituitur, memorantibus Carpzouio, Titio et Hornio.

54 In aliis quippe Academiis, ueluti in nostra, praeter talem Collegii Iuridici praesidem, seu Ordinarium, sub semestris cuiusq; auspiciis, uel saltem quotannis, cum nouo Academiae Rectore nouus etiam Decanus Jctus perinde, ac Theologus, Medicus et Philosophus, constitui solet.

55 Vt autem singulae Facultates suum habent moderatorem, sic uni-

uniuersam pariter Academiam certus gubernat magistratus, Rectoris Magnifici nomine insigniri solitus.

56 Constituitur plerumque per electionem siue a solis Professoribus, siue a Magistris simul et Doctoribus, in Academia creatis, obseruato uel Facultatum, uel nationum ordine, secundum Academiae cuiusque statuta.

57 Proinde nullibi perpetuus est hic magistratus, sed alibi trimestris, ut olim Louanii, alibi quadrimestris, ut Coloniae, alibi semestris, ut hic Vitembergae, alibi annuus, ut Altorfii, Halae, alibi triennalis, uti Salisburgi, vid. hic Limnaeus.

58 Non quidem desunt, qui uni solum uiro, eique iustam habenti aetatem, et eruditione, rerum usu, prudentia atque auctoritate praestanti, perpetuos deferri oportere fasces, cum personato statuunt scriptore, Relfensone Heremontano.

59 Sed, siue honos, siue onus habeatur Rectoratus, omnibus omnium ordinum Professoribus, quippe aequalibus, per uices committi debet, ut recte iudicat idem Limnaeus.

60 Nec obstat, quod interdum Professores, nulla iuris intelligentia rerumue agendarum peritia instructi, sed suum duntaxat scibile edocti, Rectoris munia perperam obire, et pudendos, ut aiunt, loquacissimos facere possint.

61 Nam malo huic, quanquam rariori, paratum est remedium.

62 Adsunt, quos Rector talis in consilium adhibere debet, uiri iudicio, doctrina et usu ualentes, tum Decani, tum alii Professores.

63 Quid? quod eum in finem certus etiam adiutor ad expedienda, quae totius Concilii decretum haud postulant, negotia Rectori adiungi potest, ueluti in Rostochiensis Academia generalem eiusmodi assessorem eadem hora, qua nouus eligatur Rector, constitui, inter alios refert Cothmannus.

64 Hac igitur aliaue uia officii partes facile perficiet Rector.

65 In eo autem Rectoris officium maxime consistit, (1) ut studiosos in Academiam recipiat, (2) ut utriusque rei politerariae, et oeconomicae gubernationem domusque curat, (3) ut causas Academicas pro ratione iurisdictionis uel solus, uel, postulante rei grauitate, Seniorum, Decanorum, aut omnium Professorum consilio adiutus, expediat.

66 Est

66 Est itaque Rector caput Academiae, adeoque nobilissimae societatis gubernator, in amplissimo dignitatis gradu locatus.

67 Ad talem Rectoris dignitatem hæc maxime videntur spectare.

68 (1) Quod solemniter plerumque ritu in aedibus sacris, seu templis Academicis inauguratur, et inter maximas tum Professorum, tum civium gratulationes Academicum capit magistratum.

69 (2) Quod in publicis plerumque actibus ante se pedellos, sceptrum argenteum, uel duo, uel, pro quaternario Facultatum numero, quatuor, ut Gryphiswaldæ, uel, ut Oxonii, sex, tria aurea, et tria argentea, praeferentes, habet.

70 (3) Quod epoinide et mitra purpurea, amictu Regibus, Principibus et Cardinalibus alioqui proprio, utitur, imo in Academia Patauina præter purpureum eiusmodi ornatum auream quoque stolam gerere potest, et, exacto munere, aurea donatus catena, in ordinem equitum S. Marci recipitur, teste Conringio, a quo tamen dissentit Knichenius.

71 (4) Quod insignia Academica, libros statutorum ac privilegiorum, clauēs archiui, bibliothecae, aerarii et carcerum, sigilla, &c. solus apud se habet, imo solus fere ministris Academicis, et nonnullis in Academiis, uti Mompeliensi, magno studiosorum numero comitatus incedit.

72 (5) Quod domini, uel patroni uniuerſitatis personam in corpore Academico repræsentat, prælati dignitate fruitur, eoque nomine non omnibus tantum Professoribus, sed illustrissimis etiam iuuenibus, Academica tractantibus studia, est potior, imo a summis Principibus singulari sæpe honore dignatur, ut multis hoc exemplis comprobant Piccartus, Camerarius, Lipsius et Becmannus.

73 (6) Quod, durante magistratu, varias insuper potestates in nonnullis Academiis habet, variasque sustinet dignitates, e. g. in Academia Parisiensi nundinas, du Landit dictas, aperiendi ius habet, in Bononiensi ab excommunicatione potest absolvere, in Iulia et Kiloniensi est S. Palatii Lateranensis aulae et Imperialis consistorii Comes, ut multa de eo testimonia adducit nominatus Knichenius.

74 (7) Quod ipsi Principes, Comites, aliæque personæ illustres Rectoris Magnificentissimi titulum, constituto ad obeunda muneris

Ttt tt

hu-

huius officia Pro-Rectore Magnifico, accipere, quin suis etiam humeris ornamenta Academica sacrare non dedignantur, ut in singulari de Rectore Academiae commentatione memorat Wendelerus.

75 Patet hinc, quanta Rectoris Academiae debeat esse auctoritas.

76 Scilicet ab omnibus et singulis Academiae membris, ciuibus ac subditis Rectori, ex quacunque demum fuerit Facultate, sine ulla difficultate, aut diminutione (ungehindert und unuergeringert) debitam praestari oportet reuerentiam, ut gloriosissimus quondam Vniuersitatis nostrae nutritor, Io. Georgius II. Princeps Elector in ordinatione, anno MDCLXIX promulgata, praecepit.

77 Dicitur, ex quacunque demum Facultate fuerit Rector, ad indicandum, sicuti omnes in Academia Facultates pari fruantur iure, ita omnibus etiam Rectoribus aequalem deberi honorem.

78 Quod si ergo quis Rectorem Philosophum, quasi Theologo, Icto, aut Medico minime aequiparari, siue, ut uulgo loquuntur, parificari posset, minoris habere uellet, is certe tanto stolidiorem proderet arrogantiam, quanto notius est, in Academia Parisiensi solam Facultatem Philosophicam ad Rectoratum posse adspirare, memorante Knichenio.

79 Aequales sunt Academiae Professores, et ignorantur, per Dei gratiam sapientumque Principum benignitatem, maiorum minorumque gentium Patres.

80 Quicumque igitur fuerit Rector, tantum abest, ut impune possit laedi, ut contra iniuriam atrociorem, a ciuibus ipsi illatam, capitali etiam poena uindicandam esse, multi statuunt cum Menochio.

81 De funesto illo casu, quo anno MDXX studiosus, nomine Balthasar Faber de Gleichender, Herbipolensis, ob Rectorem, Vdalricum Erbar, Medicinae Doctorem, nefario ausu interfectum, in publico hic foro capite plexus est, legi possunt Sennertus et Sueuus.

82 Praeter Rectorem in nonnullis etiam nunc Academiae est Cancellarius, siue perpetuus, siue temporarius, alicubi Rector maior, alicubi minor.

83 In Anglia Cancellarium Rectoris loco haberi, docet Bentham.

84 Tali olim munere fungebatur episcopus loci, hodie in quibusdam Academiae Theologus, in nonnullis etiam Ictus id sustinet,

net, prout Academiae nutricio, ui recuperatae in terris euangelicis sacrorum aequae ac profanorum potestatis, ordinare placuerit.

85 Cancellarii loco in Academia Halensi uidetur esse Director.

86 In eo autem Cancellarii officium dicitur consistere, (1) ut Academiam protegat et defendat ab iniuria, si qua illi inferatur, (2) ut in causis secundae instantiae iudicet, et appellationes a Rectoris sententia admittat, quod tamen catholicon esse, negat Limnaeus, (3) ut facultatem conferendi gradus Academicos summi Principis nomine singularum Facultatum Decanis, siue promotoribus concedat, ut ex Lansio referunt Schwederus, Roehrensee, alique.

87 In Academiis nostris potestatem Academicas conferendi dignitates habent Decani, qui propterea Pro-Cancellarii uocari solent, atque partim ipsi, partim per promotores ius tale exercent.

88 Ceterum de Cancellariis Academicis scripsit Meibomius.

89 In Academiis Gallicis et Louaniensi praeter Cancellarios etiam conseruatores priuilegiorum constitui, refert Limnaeus.

90 Sed satis de Professoribus uariisque eorum ordinibus, reliquum est, ut de studiosis Academicis non nihil addamus.

91 Sunt autem studiosi, pro discipulis in Academia sumti, certi alicuius Academiae ciues, certo instituto conuenienter recepti, et pro certis, quibus fruuntur, iuribus ac priuilegiis ad certum quoque officium obstricti.

92 Dicuntur studiosi, teste Limnaeo, nonnullis in locis scholares, uulgo studentes, et Germanice Bursche, siue quod sint iuuenes (iunge Bursche) siue quod Academica frequentent collegia, quae nonnullis in locis Bursae uocantur, ut memorat Knichenius.

93 Receptio studiosorum, a Rectore Magnifico facienda, complectitur (1) professionem nominis et patriae, (2) promissionem obedientiae ac reuerentiae, (3) inscriptionem, s. relationem nominis in matriculam, (4) concessionem diplomatum, seu testimoniorum.

94 Nomen ac patriam profitendi necessitas eo nititur, quod Academiae ad studiosorum parentes, propinquos, aut magistratus saepe aliquid deferendum habent.

95 Promissio obsequii et honoris uel iuramento fieri solet, uel stipulatione, iuramenti tamen loco habenda.

96 De iuramento Academico uariae inter Ictos et Politicos existunt controuersiae, e. g. an illud a studiosis exigi, consultum sit? an eius uiolatione committatur periurium? e. f.

97 Equidem, et Vockerodtium de iurisiurandi Academici argumento, usu, abusu et damnis aliquot orationes, in actu solemniori habitas, erudita de praecipuo scholasticae disciplinae impedimento dissertatione significasse, et memet ipsum Academico quodam scripto hanc pertractasse materiam, memini.

98 At breuiore hic disquisitione defunctus est Knichenius.

99 Inscriptio nominis in album, seu matriculam ad probandam receptionem obtinendamque fori Academici copiam conducit, quanquam nec omnibus in Academiis, nec eodem ubique modo eam fieri, ostendit Knichenius.

100 Vbi necessaria est, etiam sub multa, seu poena a studio, ut certum intra tempus suum profiteatur nomen, requiri potest.

101 Inter diplomata, nouo concedenda studio, etiam refertur testimonium depositionis, h. e. actus, quo scholasticus, Academiam ingressus, et beatus barbaro dictus nomine, a certo homine, ad officium hoc constituto, et depositoris nomen hinc nacto, uariis exagitur modis, et, qualem, remota morum barbarie, in Academia se gerere debeat, uerbis et factis admonetur.

102 Eiusmodi quidem ritus, in nonnullis etiam nunc Academiis, praesertim Germanicis, usitatus, a multis maximopere praedicatur. et tantum non quasi ad essentiam studiosi habetur necessarius, ut Eliae Putschii exemplum testatur apud Lansium.

103 Idque ideo, quia non modo septemplex praebet usum, sed sua etiam uetustate se commendat, quippe ex mysticis ueterum initiationibus originem trahens, et simili fere mori Atheniensium respondens, ut Gregorii Nazianzeni testimonio id probant Conringius et Becmannus.

104 Verum enim uero nouelli studiosi mores non ludis scenicis, scommatibus, plagis, iniuriis, stolidisque quaestiunculis ac meris nugis (Depositors- Possen) sed seriis piisque adhortationibus, a Rectore et Decano Philosopho faciendis, emendari possunt.

105 Eaque de causa depositionis ritum, ut ridiculum, inanem, litera-

literarii ordinis maiestati minime conuenientem, et errore, non ratione aliqua praegnante introductum, ideoque a plerisque exterorum Academiis exulantem, ex nostra etiam Germania, perinde ac pennalisimum et nationalisimum, profligandum, eiusque loco ferium studiosorum examen retinendum esse, cordate iudicant Limnaeus et Wendelinus.

106 Plura de depositione, beanismo, itemq; pennalismo scripserunt Dinckelius, Wiedramus, Gellius, Senftius, Becmannus, Knichenius, Schoockius, Dornauus et Hoffmannus.

107 Priuilegia studiosorum uaria sunt et amplissima, maximam uero partem in authentica Habita C. ne filius pro patre, comprehensa, et figillatim exposita partim ab interpretibus huius constitutionis, ueluti Pacio, Richtero, Sueuo et Hubero, partim a Rebuffo, Lucio, Limnaeo et Schwedero.

108 De foro studiosi delinquentis extat dissertatio Schoepferi.

109 Officium denique studiosorum in eo praecipue consistit, (1) ut pietatem, omnium quippe uirtutum matrem, omnisque sapientiae ac felicitatis fontem, sincere colant, (2) ut Professores, parentum loco habendos, debito afficiant honore, gratoq; prosequantur animo, (3) ut propositum uitae Academicae scopum perpetuo ante oculos habeant, adeoque suum constituent symbolum, Dic, cur hic.

110 Hactenus de primariis Academiae personis est dictum, nunc de secundariis esset agendum.

111 Cum autem tractatio talis non ita magnum hic momentum habere uideatur, ea omissa, ad res Academiae transimus.

112 Res Academiae summatim complectuntur (1) aedificia, (2) stipendia, (3) priuilegia.

113 Aedificia, ad usum Vniuersitatis destinata, fere sunt templum Academicum, auditoria, seu collegia, et conuictorium.

114 Haec quidem omnia apto commodoque loco debent esse sita, figillatim uero auditoria et liberum aërem, et silentium, et immunitatem a seruitutibus, et elegantiam requirunt.

115 De cura ueterum in exornandis eiusmodi aedificiis scripsit Schmidius, praecipua autem quarundam Academiarum collegia recenset Knichenius.

116 In Academia Lipsiensi aedificiorum Academicorum reditus percipiunt collegiati, qui sigillatim respectu collegii Paulini dicuntur decemuiuri.

117 Stipendia alia sunt Professorum, alia Studioforum.

118 Professorum stipendia dicuntur salaria, suntq; reditus, ex certis fundis institutisue ad tuendam muneris dignitatem percipiendi.

119 Dicimus, ad tuendam muneris dignitatem, cum honore bonae nutriantur artes, atque hoc specimen sit florentis Reipublicae, ut disciplinarum Professoribus praemia opulenta pendantur, ita scribente Symmacho.

120 Norunt hoc Bononienses, qui quadraginta coronatorum millia in Professores suos quotannis expenderunt, commemorante inter alios Conringio.

121 Et Florentinos Philippum Decium, Mediolanensem, Pisis iura docentem, annuo stipendio sesquimille aureorum honorasse, scribit Hermes.

122 Imo Belgae Scaligero et Salmasio, Leidam euocatis, mille aureos solares annui stipendii loco ideo constituerunt, ut sola tantum praesentia Academiae celebritatem augerent, teste Starckio.

123 Scilicet florentes existimatione hominumq; doctorum fama Academiae praeter splendorem artiumq; rite excultarum fructus eximium quoque lucrum ciuitatibus afferre possunt; ut fuse lateq; docet Limnaeus.

124 Imo uel septingentos octingentosue studiosos in Academiam centum aureorum millia quotannis deportare, censet Lansius.

125 Quam ob rem praelare agitur cum illis Rebus publicis, quarum Rectores Academiae suis de stipendiis sufficienter prospiciunt.

126 Ita nempe, ut Professores, bene merentes, et prandium, ut Ximenius quondam dixit, et coenam habere, h. e. non in uegeta tantum aetate, sed in languida etiam senectute, se suosq; sustentare queant.

127 Quid? quod talia debent esse salaria, ut Professores non continuis demum laboribus uictum quaeritare, et, tanquam in pistrium aliquod detrusi et compacti, merere, uitamque conterere cogantur, sed literario identidem otio frui queant.

128 Hoc est, ut honesta a studiis uacatione ad tempus uti, et siue
in

in amoenum secedendo pradium, siue peregre abeundo, siue aliam capiando delectationem, animi corporisque uires, iam antea iuuenili plerumq; labore attritas, reficere possint, ut egregie hic describit Lilienthalius.

129 Turpissimum certe est, si scribae, pedissequi, assentatores, subrostrani, hominumque inertium cateruae amplis mactantur praemiis, utiles uero dignique Professores, quasi monachorum instar paupertatis uoto essent obstricti, dura conflictantur miseria, et facto concedentes, famam quandoq; sibi, liberis et familiae famem relinquunt, ut belle loquitur Limnaeus.

130 Studiosorum stipendia sunt beneficia, pauperioribus ad studia, rite tractanda, partim ab ipso Academiae nutritore, partim a uiris illustribus, piis, literarumue amantibus constituta.

131 Pertinent huc in primis conuictoria et mensae gratuita.

132 De stipendiis literariis peculiare scripserunt tractationes Saggittarius, Hauckoldus et Loeschnerus.

133 Priuilegia denique alia sunt generalia, seu Professoribus cum studiosis communia, alia specialia, seu parti alterutri propria.

134 De studiosorum priuilegiis, tum communibus, tum propriis cum supra scriptores quosdam excitauerimus, liceat eorum consideratione hic supersedere, quo propria Professorum iura ac priuilegia paulo uberius considerare possimus.

135 Sunt autem Professorum iura ac priuilegia haec fere potiora.

236 (1) Potestas publice priuatimque docendi, disputandi, itemque dandi responsa, scribendi, et scripta censendi.

137 Publice docendi potestas Professores a Doctoribus et Magistris priuatis distinguit, imo solis etiam Professoribus in quibusdam Academiae est propria, ut de Academia Helmitadiensi testatur Commingius.

138 De tradendis autem doctrinis Princeps pro publica statuere potest salute.

139 Ius de rebus, ad professionem suam pertinentibus, respondendi singulae habent Facultates, et Medicis anatomia insuper licet, de qua legi potest Petermannus.

140 Scribendi aliorumque scripta censendi facultatem ita pariter definire potest Princeps, prout bonum ipsi fuerit uisum. 141

141 (2) Ius dignitates Academicas conferendi.

142 Palmarium hoc est Academiarum priuilegium, quo fere solo ab omnibus distinguuntur Lyceis et Gymnasiis.

143 De origine quidem graduum Academicorum inter scriptores non conuenit, aliis, seculo xiii. aliis, Lotharii Imperatoris ætate eos, in Gallia præsertim et Italia, conferri cœptos esse, statuentibus.

144 Id tamen certum est, honores eiusmodi Academicos ab antiquissimis inde temporibus in tanto fuisse pretio, ut illustres etiam personae eos capessere sint dignatae, uti mox speciatim dicemus.

145 Hodieq; Angliae primates Doctorum titulis ornari gestiunt.

146 Imo Anglicum illud portentum, Cromwellum una cum uniuersis militum suorum ducibus omnis generis gradus Oxonii acceptasse, commemorat Wood.

147 Proinde inepti sunt illi, qui tales honorum Academicorum titulos uilipendunt, adeoque, ne ullum ex filiis suis, aulicae destinatis uitae, doctorem habere contingat, serio optant.

148 Quasi indoctus, specioso duntaxat cultu, et maiorum nominibus insignibusque superbiens trosculus ad obeunda in aulis munera aptior esset perito grauique Academiae Doctore.

149 Illustris historiae Moscouiticae scriptor, L. B. ab Herberstein, tametsi trium Germaniae Caesarum, Maximiliani I. Caroli V. et Ferdinandi I. gratia floruit, et, rebus domi forisque praeclare gestis, summos obtinuit honores, tamen Baccalaurei titulum, quo sedecim annorum iuuenis in Academia Viennensi fuerat insignitus, plurimi semper fecit, ut ex Dietherro refert Ernesti.

150 Maneat ergo gradibus Academicis, inuito Momo, laus debita.

151 Nec audiendi sunt illi, qui, Menzerum, Carolo stadium, Weigelium, Hohburgium, Arnoldum aliosq; secuti, dignitates Academicas Christiano indignas iudicant, iuste hoc nomine notati a Thomaſio, Wernsdorfio, Alberti, et Aepino.

152 Tres autem Academici dantur gradus, Baccalaureatus, Licentia et Doctoratus, non quatuor, ut quidem, Magisterium a Doctoratu distinguentes, statuunt Itterus, Limnaeus et Roehrensee.

153 Baccalaureatus est nomen incertae fere originis, aliis a Turcico bassalar, h. e. homine praecipuo, aliis a bacca laurea, gradus huiusce

existunt, quod Nobiles etiam, Barones, Comites ac Principes Magisterii axioma saepe assumerunt, teste Noldeno.

166 De gradu Doctoris ex instituto scripserunt Waltherus, Wächtlerus et Müllerus.

167 De foeminis, Doctorum titulo ornatis, legi potest Limnaeus.

168 An Comes Palatinus Caesareus in Academiarum ac potestatis territorialis praeiudicium ubiq; creare possit Doctores, cordate disquirat Titius.

169 Doctorem a non-Doctore creari posse, cum aliis asserunt Itterus, Limnaeus, Zieglerus et Carpzovius.

170 De proëdria Doctoris legi possunt Besoldus et Hornius.

171 Doctores bullatos, etsi superbi magis, quam docti saepenumero sint, adeoque uerbis Melandri, a Lilienthalio exhibitis, notari mereantur, pro genuinis tamen Doctoribus esse habendos, docent Limnaeus, Zieglerus, aliique.

172 Doctores, ab ipso Principe creati, dicuntur codicillares.

173 Praeter recensitas uero dignitates laureatos etiam poëtas creandi ius nonnullis Academiis, ueluti nostrae, est concessum, ita tamen, ut, quemadmodum ordo Philosophorum hanc exercet potestatem, sic tales quoque poëtae, perinde atq; ipse Professor poësis, inter Philosophos referantur.

174 Ergo non noua hinc existit Facultas, eaq; quinta, cuius euitandae causa Academias iure hoc diu caruisse, autumat Zieglerus.

175 Qui etiam, priscos Romanorum Caesares ideo ius tale sibi reseruasse, ait, ut apud ætatis suae poëtas, tanquam terribile hominum genus, gratiam inire, eorumque flagella, uiuis et mortuis metuenda, concessa ab ipsis laurea, euitare potuerint.

176 Scilicet ab antiquissimis usq; temporibus solemne hoc poëtis fuisse, scribit, ut quodlibet audendi, ac maximos minimos perstringendi sibi sumserint potestatem, et, cum lex xii. tabb. carmen famosum acerbè uindicarit, et poëtarum ingeniis uitam hominum noluerit subiectam, figurate loquentes, (*ἐπαμφοτέρως*) mordacitatem dicacitatemque suam exercuerint, adeoque poëticen, præstantissimam alioquin artem, in contumeliae et petulantiae conuerterint instrumentum.

177 Plura de utriusque poetarum moribus iudicia affert Buddeus.

178 Ceterum ritus, in promotionum solemnibus adhiberi plerumque soliti, et collocationem in cathedra, traditionem libri, impositionem pilei, seu birreti, annuli aurei concessionem, osculationem, e. s. complexi, passim a scriptoribus exponuntur.

179 De titulis uero promotorum legi possunt Seldenus, Feltmannus et Clotzius.

180 De promotionibus Ebraeorum extat dissertatio Auerswaldæ.

181 (3) Iurisdictio in ciues Academiae.

182 Senatus Academicus, ex Rectore Magnifico omniumque Facultatum Professoribus constans, et Concilii nomen habens, iurisdictionem exercet in ciues cum temporarios, tum perpetuos, quanquam hi tantum generale coram iudicio Academico forum sortiuntur, illi non aequè.

183 Origo talis iurisdictionis ex citata deriuatur authentica.

184 Cum autem ex ea imperium merum Academiae asseri posse, plerique Doctores negent, ex statutis rem aestimari oportet.

185 Esse tamen Academiae, quae merum habeant imperium, probant Limnaeus, Cothmannus, et, qui argumenta in utramque partem attulit, Knichenius.

186 (4) Immunitas a foro communi et oneribus publicis.

187 Quoniam Academiae singulari fulgent dignitate, et, memorante Zieglero, ex ipsa Electoris Saxonis sententia praelaturis accensentur, par utique est, ut singularem quoque immunitatem habeant.

188 Subsunt itaque Professores uel consilio Principis secretiori, ut Francofurti et Halae, uel consistorio supremo, ut hic Vitembergae, ideo, quod ad iura episcopalia, quae per consistoria exercentur, scholarum, in monasteriis olim constitui solitarum, cura pertinere dicitur.

189 Augustus Borussorum Rex duos insuper supremos Academiae curatores, eosdemque ex intimis status sui consiliariis constituit, ut patet ex privilegiis Electoralibus, Academiae Halensi concessis, et una cum inauguratione huius Academiae conscriptis a Cellario.

190 Vt autem talis a foro communi exemptio non exiguam Professoribus Academiae auctoritatem conciliat, sic etiam immunitas

Vuu uu 2

ab

ab oneribus publicis, hac præfertim temporum rerumque difficultate, solatii plurimum et subsidii præbet.

191 Quapropter tantum abest, ut beneficia et priuilegia, Academiae concessa, imminui, deceat, ut potius ea augeri eisdem riteque confirmari, fas sit.

192 Specialia cuiusq; Academiae priuilegia statutis continentur.

193 Scilicet habent Academiae non minus, quam aliae societates, peculiaria sua statuta, quibus iura earum, priuilegia, beneficia et universi status Academici fundamenta comprehenduntur.

194 Qualia statuta, quoniam ex sapienti Principis consilio ad Academicum spectant bonum, probe etiam observari debent, sicuti hunc ad finem in Academia Hardeuicensi quodque electionis noui Rectoris die quotannis ea recitari, tradit Hornius.

195 Sin subinde uiolantur, eo facilius turbæ et conuersiones hinc oriri possunt, quo magis tot ubique gliscentes studiorum morumque corruptelae Academiae deprauant.

196 III. *Deprauatio* itaq; Academicarum duplici potissimum ratione considerari potest, primum ratione studiorum, seu doctrinae, tum ratione morum, seu uitae.

197 Ratione doctrinae hi præcipui deprauationis sunt fontes.

198 (1) Praepostera studiorum tractatio.

199 Præterquam quod multi, studiis scholasticis parum instructi ac præparati, in Academiae excurrunt, adeoque fundamentis, male iactis, infirmam superstruunt compagem, etiam plurimi ineptam discendi uiam ingrediuntur.

200 Quippe Academiam uixdum ingressi, neglectis solidae doctrinae principiis, siue ad Theologorum scholas thetico-polemicas, exegeticas et homileticas, siue ad Ictorum prælectiones Iustinianas, siue ad Medicorum cursus, ut uocantur, medicos prouolant.

201 In quibus collegiis ubi tantum profecisse sibi uidentur, ut uel homiliam, adiuncto postillarum auxilio, compilare memoriterque recitare, uel actionem in foro secundum decantatas caussidicorum formulas instituere, uel collectas medicamentorum compositiones in morbis non ita soniticis adhibere possint, sua se confecisse studia, opinantur.

202 Quam corrupta autem hæc sit opinio, cordatior quisq; iudicet.

203 (2) Inconsultum nouitatis studium.

204 Ita

204 Ita quidem scientiae et artes sunt comparatae, ut noua subinde incrementa admittant, neque adeo ueterum duntaxat placitis stari, oporteat.

205 At tantum abest, ut noua quæque antiquis sint meliora, ut saepe peiora censerī debeant.

206 Cum itaque insolenti hoc seculo pessimae optimarum doctrinarum commutationes identidem existant, etiam maxima hinc mala in Academias immigrare possunt, nisi ea adhibeatur cautio, quam supra commendauimus in I. N. p. 262. pos. 129.

207 (3) Immoderatus multiplicis doctrinae amor.

208 Non leue solidioris utiliorisque eruditionis obstaculum est, quod multi ex sola sciendi libidine in diffusissima omnis generis studia se ingurgitant.

209 Hinc enim fit, ut multa discētes, nihil accurate discant, et, dum ubique uagantur, nullibi certam habeant sedem.

210 Sic doctrinae, animo prorsus imbibendae, uix primoribus degustantur labris, aut extremis, ut dicunt, digitis attinguntur, quemadmodum supra pariter monuimus.

211 Ideoque doctores, παντοφίαν profitentes, culpāt Morhofius.

212 Volatica, dicit, percurfatione stolidos circumduci tyrones, qui se totum sapientiae oceanum, his doctoribus, exhaustisse, opinentur.

213 Publica igitur lege coërcendum esse, iudicat, hunc furorem hominum, quibus magistris patentissima ad ignorantiam sternatur uia, omnis solida doctrina euertatur, in cathedras, in forum cruda propellantur studia, pro Philosophis ieiuni et strigosi terminorum nomenclatores, pro Mercuriis stipites et trunci ubiq; in seculi nostri infamiam triumphant.

214 Taceo, quod multiplicis scientiae (πολυμαθείας) sectatores artiumq; gurgites non modo umbraticis plerumque studiis se dedant, sed etiam, neglecta uoluntatis cultura, tam peruerfos induant mores, ut Academiis maxima hinc adspargatur labes.

215 Ratione uitae deprauationis materiam praebent haec.

216 (1) Sincerae pietatis neglectio.

217 Quam rara in Academiis uera sit pietas, proh dolor! palam est.

218 Taceo, quantus eorum ubique sit numerus, qui, nulla Religionis cura affecti, impiam plane uitam agunt.

Vuuuu 3

219 Id

219 Id tantum doleo, quod multi etiam eorum, qui perfectionem Dei notitiam sunt consecuti, eamque alios docere sustinent, plane alienos a tali cognitione mores exerceant.

220 Nonnulli loca, cultui diuino destinata, aut raro adeunt, aut, si ea saltem diebus dominicis festisque frequentant, nec audiendis sermonibus, nec faciendis precibus animum, ut par est, attendunt.

221 Tempus, ut supra dixi, aut stertendo, aut legendo, aut confabulando, imo, quod in hominibus, singularem honestatis speciem prae se ferentibus, mirandum est, ridendo ioculandoq; fallunt.

222 Sic Dei domus in congerronum mutantur diuerticula.

223 Quidam continuae scriptorum gentilium lectioni adeo adhærescunt, ut legendo Dei uerbo nihil plane temporis impendant, imo scripturam sacram, quasi res uiles rudiore tradat stylo, infra uenustos Latinae Graecaeque doctrinae cultores iudicent.

224 Alii denique sat habent, si puriora Religionis dogmata memoria teneant, eisdemque docendo, scribendo et disputando non magis ad captandam eruditionis famam, quam ad lucranda studii mercenarii commoda uti possint.

225 Scilicet fidei ueritatem (*ορθοδοξίαν*) curant, uitae sanctitatem (*ορθοζωίαν*) negligunt, et bene dicere student, non bene facere.

226 Cum autem pietas, ut sæpe monuimus, omnium omnino uirtutum sit parens, quid mirum, si, expulsa pietate, uitia ingruunt?

227 Quid mirum, si superbia, aemulatio, inuidia, discordia, obtreectatio, uindicta, intemperantia, luxuria, immodestia, aliaque huius generis mala Academias deprauant?

228 Diogenes scholam Euclidis bilem (*χολήν*) appellasse dicitur.

229 Quid, quæso, in scholis etiam superioribus frequentius hodie est, quam eruditorum, bile tumentium, acerba inter se altercatio?

230 Non muneris auctoritas, non sanctimonia morum, non uitae solitudo, non fides amicitiae, non necessitudo, non sodalitas, non Religio, sat firmum semper praesidium aduersus hominum male moratorum insultus praebet.

231 Imo astutam exercere malitiam, aliosque, etiam innocentissimos, scite uexare posse, inter doctrinae ingeniiq; laudes habetur.

232 Sic ergo in improbam nocendi artem transit eruditio.

233 Sic, qui dictis sapientes se profitentur, factis parum sapientiae ostent-

ostendunt, quique minimos uerborum naeuos declinare student, in maxima actionum probra incurrunt.

234 Quid? quod multi adeo suis sibi studiis placent, ut palam gloriantur, malle se habere excellentem sine moribus eruditionem, quam mediocrem cum honestate ac decore coniunctam.

235 Sed suffeni tales, adhibito identidem helleboro, discere debent, doctum sine moribus a sapientissimo Graeciae Philosopho dictum esse asinum auro argenteo onustum, aut porcum pretioso ornatum monili.

236 Saltem istiusmodi gurdīs Batauorum commendandum erat prouerbium, quo drachmam eruditionis cum moribus coniunctae centupondio scientiae morum expertis praestare, aiunt.

237 Taceo, tales studiorum helluones nubem pro Iunone saepius amplecti, h. e. non ueram utilemque sectari doctrinam, sed uanam mereque scholasticam.

238 Laureolam in mustaceo quaerunt, umbraticos perreptant doctores, et, si aliquot tricarum centurias improba compilarunt sedulitate, quasi pueri in faba, nescio quid se reperisse, clamitant.

239 Nascitur hinc pedantismus, h. e. ineptae uanaeque eruditionis (*ματ᾽ αὐτοσχylas*) affectatio, quam in oratione academica, Richerii obstetrici animorum, et Thomae Philosophiae aulicae adiecta, graphice depinxit Huberus.

240 Quicum conferri possunt Goezius, Bailletus, Clericus, Bierlingius, Ianus, Lilienthalius, Büchnerus, quosque hi allegant, alii.

241 Huc etiam spectat oratio de uulpeculis scholasticis Heideri.

242 (2) Libertatis Academicae abusus.

243 Si quicquam est, quod maiorum, Academias deprauantium, seges existere possit, Academicae profecto libertatis est abusus.

244 Cum enim pauci considerent, quantum a libertate distet licentia, id sibi in Academiis licere, credunt, quod libet.

245 Legibus quidem alligatum se profiteri Principem, uox maiestate regnantis digna dicitur Imperatoribus in l. 4. C. de LL.

246 At multi in Academiis quasi exleges uiuere gestiunt.

247 Norunt studiosi nostri leges, a summo praescriptas magistratu, norunt boni ciuis officium, norunt propositum uitae Academicae scopum.

248 Non omnes tamen suas hic partes implere, loquuntur domicilia, testantur iudicia, fatentur collegia.

249 Io. Corasium, Ictum, Tolosae quater mille auditores discendi cupidissimos quondam habuisse, tradit Rebuffus.

250 Et Eobanum Hessum Erfordiae mille et quingentis studiosis poetas praelegisse, memorat Kirchnerus.

251 O quantum ab aureis illis ferrea haec distant tempora!

252 In exquisitissimis etiam lectionibus non tot Auditorum decades nobis uidere contingit, quot centurias beati illi Professores in uulgaribus suis habuerunt scholis.

253 Vnde autem hoc studiorum frigus, nisi a libertatis Academicæ abusu?

254 Hic sane efficit, ut tot Academiae ciues otio se dedant, non studiis, Veneres ament praeter Musis, collegia commutent cum popinis et lustris, chartas lusorias globulosque tridiculares magis tractent, quam libros.

255 Quapropter iuuenes sui impotentes non sine custode ad suum in Academia arbitrium uiuere debebant, sed siue certi Professoris, siue idonei fideique ephori subesse curae, ut eum in finem tutores in Anglia haberi, constat.

256 (3) Impunitas delictorum.

257 Equidem seuera nimis disciplina studiosos Academicos haud coerceri, sed benigne ingeniiisque liberalibus conuenienter tractari, imo, remissa interdum culpa, ad uirtutem, sponte exercendam, incitari oportere, putauerim.

258 Non magis enim mentes generosae ob ebullientis forte iuuentutis feruorem opprimi debent, quam musta, cum iucalescente tumescunt spuma, dolis effundi.

259 Attamen infirmitati, non prauitati hic indulgendum est.

260 Alitur malitia impunitatis spe, crescunt delicta nimia in delinquentes lenitate, spernuntur leges, non uindicta legum uiolatione.

261 Non itaque committendum est, ut intempestiua malorum tolerantia Academiae ex uirtutum officinis in uitae flagitiosae feritatisque cyclopicae domicilia convertantur.

262 Debent potius Principes, sui memores imperii, ab Academicis beluinam excludere licentiam, moresque improbos reformare, ut pie monet Brunnemannus.

263 Fusius iuuentutis Academicæ morbos descripsit Kirchmayerus.

264 Ceterum plura de Academicis praeter scriptores, passim iam excitatos, memoriae prodiderunt Schwimmerus, Iunius, Middendorpius, Lindemannus, Bocerus, Mollerus, Seldius, et, qui bibliothecam Academicam adornauit, Thurmannus.

265 Academicarum uero catalogum exhibent Wendelinus, Menzius, Knichenius.

266 IV. *Axiomata* sunt: (1) Ut quisque societatem, in qua uiuit, nosse debet, sic eruditum de Academia, communi doctorum matre, aliquam habere scientiam decet.

267 (2) Mater est Academia, lactantia mammarum ubera, tanquam sanctissimos sapientiae uirtutisque fontes, porrigens.

268 (3) O si omnes Academici tanta matre dignos se praestarent filios!

F I N I S.

INDEX.

INDEX RERVM ET VERBORVM

Ex duobus numeris prior designat paginam, alter positionem, unus uero solus paginam, ubi tractatio incipit, uel saltem inscriptione exhibetur.

A.

- A** *Adificatio*, quando Principi liceat? 100. 35. eius exempla ubi habeantur? ibid. 36
Abrahamus, an mandata ipsi occisio filii Juri Naturali aduersetur? 235. 306
Accademia, quid de ea notandum? 800. 75
Accessio, quid sit, et quotuplex? 425. 198
Accidentia stola, uide stola.
Accisia, quid de ea sit iudicandum? 742. 132
Actio humana, quid de ea noscendum? 57
Actus uoluntatis uide uoluntas. an dentur per se honesti, aut turpes? 233. 284 uoluntarii et uoliti quomodo differant? 319. 217
Addictio in diem, quid sit? 387. 330
Adiaphora, quomodo Princeps ea debeat ordinare? 818. 126
Admiralitas, qualis sit societas? 395. 430
Adulterium, quid de eo sit noscendum? 455. 197
Advocatus ecclesiae quotuplex? 823. 184
Aedes sacrae, uide templa.
Aedificia Academica quae sint? 885. 113
Aegyptii, an Israelitae contra Jus Naturae ipsis abstulerint uasa? 235. 308
Aequalitas, ubi debeat attendi? 195. 89 hominum unde sit aestimanda? 327. 317 scriptores de ea 330. 368
Aequitas, quid de ea sit noscendum? 189 cerebrina qualis sit? 197. 122
Aerarium, in ciuitate quotuplex debeat esse? 743. 138 scriptores de eo ibid. 141 ecclesiasticum quam necessarium sit? 855. 65
Aetas, ubi sit attendenda? 195. 89
Affectus, quid de iis sit notandum? 128 quam noxii sint? 275. 136
Affinitas, quid sit? 447. 104
Agentes, an sint legati? 624. 47
Aggratiandi ius, quid sit? 603. 116. quomodo debeat exerceri? ibid. 117.
Alapa, an sanguine uindicanda? 298. 176
Albinagii ius quid sit? 425. 195
Alluuio, quid de ea noscendum? 425. 208
Altare, quid sit? 862. 64. quis de eo scripserit? ibid. 65
Ambitio, ut praedominans in homine est passio, quid de ea sit notandum? 110. 1 cui propria sit? 808. 181
Ambitus templi, quale ius habere dicatur? 864. 93
Amentes, cur pacisci nequeant? 367. 51
Amicitiae amor, uide amor.
Amnesia, quid sit? 617. 16
Amor, in quotuplici sensu sumatur? 75. 2 quotuplex sit? ibid. 4.
Amor Dei, quid de eo sit notandum? 75. 9 qualis debeat esse? 115. 62
Amor proximi, quos admittat gradus? 195. 93. et 326. 307. etiam inter gentes? 551. 14
Amor sui, quotuplex sit? 113. 39
Amortizatio, quid sit? 852. 26
Anatocismus, quid sit? 394. 411

Xxx xx

Anatomia,

INDEX RERVM ET VERBORVM.

- Anatomia*, an punitorum corpora ei sint
subiicienda? 501. 146 in Academia
quibus competat? 887. 139
- Angels*, uide Spiritus.
- Anima*, quid de ea sit tenendum? 346
- Ἀνθοπλασμακία*, an sit licita? 251. 65
- Antitropophagi*, cur sint culpandi? 496. 92
- Ἀντιπαραγία*, quid sit? 470. 173
- Apagogium*, quid sit? 728. 35
- Apotheosis*, unde sit orta? 673. 47
- Apparatus legatius*, quid sit? 622. 25
- Apparitus defunctorum*, an lusus sit Sa-
tanae? 251. 67
- Appetere*, quid sit? 50. 4
- Appetitus*, sensitiuus quid sit? 122. 17
- Apprehensio*, in mente humana quid sit?
30. 8 corporalis cur requiratur ad oc-
cupationem? 413. 60
- Arbiter*, quae eius inter gentes sint offi-
cia? 563. 16
- Aristocratia*, quid de ea noscendum? 707
- Aristoteles*, quid de eo sciri mereatur 13. 16
eius Ethica quomodo differat a nostra?
16. 34 quanta superstitione eum colue-
rint ueteres? 17. 51 an Ranius eius fue-
rit persecutor 18. 33. optimum de eo
iudicium quod? ibid. 59. quot statu-
erit uirtutes? 145. 48 quid de illis iu-
dicandum? 148. 88
- Aritmetica*, quid profit? 873. 110
- Arma*, an aduersus ea magica liceat prae-
seruatio? 251. 66. uenenata cur in bel-
lo sint prohibita? 598. 51
- Armistitium*, an differat ab induciis? 614. 4
- Ars*, quid sit? 42. 55
- Affecuratio*, qualis sit contractus? 396. 443
- Asylum*, eius ius an legati aedibus compe-
tat? 627. 87 an templis? 864. 88
- Asbenaca*, quid sint? 868. 43
- Atbens*, quid de eo notandum? 23. 20
- Atbeismus*, an nocentior sit superstitione?
344. 125
- Auaria*, quid sit, et quotuplex? 395. 431
- Auaritia*, qualis in homine sit passio? 110. 1
cui sit propria? 808. 181 quod eius sit
obiectum? 112. 21. cur officio erga ho-
mines aduersetur? 330. 359
- Auctoritatis* praeiudicium uide praeiudi-
cium.
- Auditores*, ecclesiae, uide ecclesia
- Aulici*, eorum mores quis descripserit?
157. 42
- Autobiria*, quid de ea notandum? 271. 66
- B.**
- Baccalaureatus*, quid sit? 888. 153
- Baptismus* Christianorum a quo in casu
necessitatis possit administrari? 806. 148
qui Icti de eo scripserint? ibid. 153
- Baptisterium*, quid sit? 862. 61
- Baracolla*, seu *baratta* qualis sit contra-
ctus? 390. 356
- Beatitudo* uide felicitas.
- Bellum*, quid sit, et quid generatim de eo
obseruandum? 575. cur et quomodo
debeat indici? 581. in eo quid iuris ho-
stis in personam hostilem habeat? 588.
19 quid in res hostiles? 589. quales res
possint tales censerit? 590. 16 quomodo
debeat geri? 594. quanam eius sint ef-
fecta? 601. 3 status ei contradistinctus
qualis? 610 quibz modis possit finire? 612
- Benedictio* parentum, qualis sit? 468. 112
- Bestiae*, uide Bruta.
- Bona*, qualis eorum debeat esse defensio?
296. 143 de ecclesiasticis quid tenen-
dum? 850
- Bonum summum* quid de eo tenendum? 89
- Bructerorum mons*, qualis sit? 251. 70
- Bruta.*

Bruta, quae officia homini aduersus ea
sint obseruanda? 505. 24 amor eorum
inordinatus qualis? 510. 74. an ab hoste
in hostem possint immitti? 600. 83
Buccinator, quo iure fruatur? 624. 47

C.

Caeremoniae, scriptores de eis? 157. 43
quotuplices sint? 158. 55. quatenus ea-
rum obseruantia inter gentes sit neces-
saria? 573. 45

Caesaro-Papia, quid sit? 814. 59

Calculus Minervae, quid sit? 714. 39.

Calendarium, cur illud a Pontifice Roma-
no accipere noluerint protestantes?
819. 139

Calligraphia, quid proficit? 262. 138. ubi
sit tractanda? 873. 113

Calumniæ, pro cauillatione sumpta, quid
sit? 188. 94 et 197. 128

Cancellarius, in aula quis sit? 738. 73. scri-
ptores de eo ibid. 75. in Academia quis?
800. 82

Canones ecclesiae quid sint? 818. 762

Canonicum ius, unde extiterit? 829. 267

Canonicus, quis sit, et qui de eo scripserint?
782. 317

Capella, quid sit? 858. 5

Capitulatio belli, quid sit et quotuplex?
603. 22

Captiuitas, quid sit, et quid de ea notan-
dum? 602. 9

Cardinales, protectores an ministri sint
publici? 620. 4 legati quo nomine di-
cantur? 625. 57 unde nomen habeant?
782. 312

Caro, efusus eius an liceat? 283. 253. et 508.
55 carne humana uesci cur nefas? 496. 91

Castellum, uide munimentum.

Casus fortuitus, quid de eo sit notandum?
317. 180

Catechizatio, quid sit? 805. 139 scriptores
de ea ibid. 141

Ceremoniae, uide Caeremoniae

Certitudo, moralis quæ ita dicatur? 273. 101

Cessio, quid sit? 404. 544

Character legati, uide legatus

Charitas, uide amor.

Chiromantia, scriptores de ea? 135. 40

Χρησθισία et *Χρησθισία* an differant?
777. 247

Christiani, de eorum obrectatoribus qui
scripserint? 790. 39

Cibus, qualis eius debeat esse usus? 267. 8
quotuplex eius detur delectus? 283. 251

Circumcelliones, quales fuerint haeretici?
279. 185

Circumstantia, quid sit? 61. 50 quomodo
distribuat? ibid. 53 an fundamentum
requiritis? 192. 44

Ciuitas morum, uide decorum

Clauis, adulterina quid possit indicare?
196. 108

Claves regni coelorum, qualem comple-
ctantur potestatem? 761. 49

Clerici, qualem in bello habeant fauorem?
587. 10 an homagium debeant praesta-
re? 682. 150 cur a tributis sint immu-
nes? 742. 135 et 786. 364 unde dicant-
tur? 788. 4. quid de hac appellatione
sit iudicandum? ibid. 6 quomodo con-
sistorii subsint? 817. 87

Coelibatus, quid sit, et quid de eo obser-
uandum? 453. 178

Coena sacra Christianorum a quo sit ad-
ministranda? 805. 147 qui ICh de ea
scripserint? 106. 153

Cognitio sui, quam utilis sit, et necessaria?
34. 1 scriptores de ea, ibid. 3. quomodo
ad rectae Rationis usum proficit? 101. 26

XXX XX 2

quan-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- quantopere ab omnibus commendetur
Philosophis? 120. 59 et 255. 12 qualis de-
beat esse? 257. 54
- Collectae* in ecclesia quales sint orationes,
et quid de eis notandum? 821. 168
- Collegium*, quid sit? 486. 47 academi-
cum quid? uide academia. collegia pie-
tatis cur probe sint discernenda? 790. 38
- Colloquium*, quomodo differat a synodo? 845. 7
- Combinatio*, in mente humana quid? 39. 9
- Concilia*, ubi iisdem sit opus? 712. 14 an
concilia, seu synodi ita possint uocari,
uide synodus.
- Commercium*, quale inter gentes debeat
esse? 541. 25 an paci conseruandae in-
feruiat? 646. 16 quomodo debeat insti-
tui? 740. 97 scriptores de eo 742. 127
- Commissarii*, qui legatis accenseantur? 624. 40
- Commissoria lex* in uenditione quid sit? 388. 33 in pignore quid? 401. 508
- Commodatum*, quid de eo noscendum? 382. 262
- Communio* primaeva qualis fuerit? 410. 30
que res in ea etiam nunc existant? 411. 40
- Compensatio* debiti quid sit? 406. 565
- Complacentiae* amor uide amor.
- Complimenta*, quid sint? 344. 174
- Concilium* uide synodus
- Concio sacra*, probatoria quomodo de-
beat fieri? 773. 196 in ea audienda quid
debeat euitari? 791. 74 quibus nomi-
nibus aliter dicatur? 799. 64 artificia-
lis an sit probanda? 800. 67 qualis esse
debeat? ibid. 68. bonam habituro quid
sit obseruandum? ibid. scriptores de
ea 805. 136
- Concubinatus*, quis de eo scripserit? 445. 85
- Concubitus* anticipatus quomodo punia-
tur? 459. 247
- Concupiscentiae* amor, uide amor
- Conditio*, quid de ea notandum? 370. 72
- Condomatio* debiti, quomodo fiat? 406. 571
- Confessio*, Christianorum priuata quid sit? 806. 155
- Confidentiae* praeiudicium, uide praeiudi-
cium.
- Confirmatio* ecclesiae ministri quid sit? 777. 256
- Coniectura*, unde oriatur? 39. 13
- Coniugium*, quid de eo notandum? 438. 1
ad morganaticam quale sit? 459. 249
putatiuum quale? 458. 263 eius pactio
quatenus inter gentes necessaria 541. 20
- Coniuratio* uide factio
- Consanguinitas*, qualis impediatur matrimo-
nium? 448. 118
- Conscientia*, quid de ea tenendum? 43 cur
quotidie examinanda? 138. 35 cur nul-
lum in eam ius habeat imperans? 816. 96
- Consensus*, quotuplex sit? 368. 74 prae-
sumptus ubi statuatur 414. 80
- Consiliarius*, quid sit? 733. 10 scriptores
de eo? 738. 81
- Consilium* quomodo differat a lege et pa-
cto? 171. 68 quid sit? 733. 11
- Consistorium* ecclesiasticum, quid de eo sit
noscendum? 831
- Consuetudo*, quantam habeat uim? 131. 16
scriptores de ea 22 quomodo differat
ab obseruantia, stylo curiae et ritu? 174. 105
- Consulentes*, an sint legati? 624. 47
- Consultatio*, cur requiratur ad conscien-
tiam. 44. 17 quid sit? 52. 25
- Contactus* uirtutis in homine quid? 71. 13
- Contemplatiua uita* an summum sit bo-
num? 74. 23 et 86. 51
- Contractus*,

Contractus, quid de eo notandum? 378. 204.
Controversiae inter gentes unde existant?
 562. I quomodo possint componi? 563.
 9 earum obiecta specialia quae? 567 in
 causis fidei cur evitari non possint? 825.
 225 quomodo tractari debeant 826. 227
 quid iuris imperans circa eas habeat?
 826. 228
Conuenticula sacra, quid de iis notandum?
 790. 37
Conversatio quid efficere possit? 130. 16
 item 138. 31 et 157. 36
Conversio, hominis philosophica qualis
 sit? 138. 25 et 140. 68
Conuiuia, an sint licita? 283. 257 luxurio-
 sa quantum Reipublicae noceant? 752. 38
Copulatio sacerdotalis quid sit? 440. 23
Corpus humanum, quid de eo sit noscen-
 dum? 71. eius sanitas quomodo destrua-
 tur ab affectibus? 126. 80. mortuo quid
 debeatur? 488.
Creatio, quid sit? 31. 6 an ex lumine natu-
 rae possit cognosci? ibid. 9
Creaturae an in usum hominis sint factae?
 410. 24. et 504. 4. quomodo eis sit u-
 tendum? ibid. 14. earum abusus in quo
 consistat? 509. 64.
Credentiales, quid sint? 822. 19.
Crematio mortuorum uide mortui.
Culpa, quotuplex sit? 63. 68. quid sit? 147
 78. et 315. 156. quomodo differat a dolo et
 casu? 317. 185.
Cultus diuinus uide religio.
Cura, nimia quantum noceat? 276. 150
Curia apud Romanos quid fuerit? 860. 32
Cygarum, quale sint hominum genus? 752. 32
 D
Daemon uide spiritus.
Damnum, quid de eo noscendum? 313. 128

Decanus, quid de eo notandum? 879. 46
Decimae, quid sint, et qui de eis scripserint?
 786. 357
Decorum, quid de eo sit noscendum? 154
Decretum, cur requiratur ad conscien-
 tiam? 44. 18.
Deditio, hostis, quid de ea sit obseruan-
 dum? 602. 18
Defensio uitae uide uita.
Definitio, in sensu philosophico quid sit?
 39. 18
Deismus, quomodo religioni aduersetur?
 243. 98
Delator quam odiosum sit nomen? 311. 108
Delegatio, in materia solutionis quid sit?
 404. 141
Delictum, quid sit? 147. 78
Democratia, quid de ea sit noscendum? 711
Demonstratio, quid sit? 40. 20
Deposito academica, quid de ea sit notan-
 dum? 884. 101
Deposito, quid de eo tenendum? 384. 280
Deputati, qui legatis accenseantur? 624. 46
Desertio, malitiosa quid sit? 455. 106.
Despoticum regnum, uide regnum.
Deuotiones, quales iuri naturae repu-
 gnent? 280. 210
Deus, eius cognitio naturalis quotuplici
 ratione possit spectari? 19. eius exi-
 stentia quomodo possit cognosci? 22.
 quomodo eius essentia? 28 quomodo
 eius prouidentia? 30. amor eius uide a-
 mor. uoluntas eius quotuplex sit? 218.
 77. cultus eius naturalis, uide religio.
 Deum, rationem et naturam sequi quo
 sensu ueteribus fuerit unum? 223. 143.
 perfectio eius quid complectatur? 224.
 151. unitas an ethnicis fuerit cognita
 243. 107
 XXX XX 3
Dextera

Dextera, quale sit signum? 333. 17
Diabolus, uide spiritus.
Diaconus, quid sit? 782. 315. quis de eo scripserit? ibid. 316. apud protestantes quis ita dicatur? 784. 339
Dialectica, quid profit? 872. 104
Dictator Romanus, quis de eo scripserit? 676. 81
Dies dominicus, uide sabbatum.
Diffidentiae praeiudicium uide praeiudicium.
Dignitates academicae, quid de iis sit notandum? 888. 142
Disciplina ecclesiastica, cur imperans eam praescribendi ius habeat? 827. 245
Discipulus, qualem doctore debeat obedientiam? 109. 77
Disputatio, immoderata quantum sit malum? 109. 75.
Dissimulatio, quotuplex sit? 337. 73.
Diuisio, quid sit? 40. 19
Diuitiae, quotuplices sint? 84. 19. an summum sint bonum? 86. 46. quomodo iure naturali sint utendae? 222. 126 quale ciuitatis sint subsidium? 739. 92
Diuortium, quid sit et quando fiat? 454. 125
Docilitas quid sit? 40. 22
Doctor ecclesiae uide minister. Doctor Theologiae quid sit ex sententia Patini? 808. 180
Doctoratus, quid de eo notandum? 889. 161
Dolus malus quomodo differat a culpa et casu? 317. 185. an obstat pacto? 377. 195 bonus ubi detur? 338. 94. et 597. 38.
Dominium, quid de eo sit notandum? 408 cur inter gentes sit necessarium? 547. 1 hostis in res hostiles particulare quale sit? 606. 80. uniuersale quale? 609. 112. eminens quid sit? 694. 127. cur maiestati sit asserendum? ibid. 128

Potatio, ecclesiae an ius patronatus ea possit acquiri? uide patronus. unde originem traxerit? 852. 20
Draconis leges, quales fuerint? 198. 38
Dubitatio, quotuplex sit? 108. 50
Duellum, quid de eo notandum? 271. 72 an ad decidendas gentium controuersias liceat? 564. 23

E

Ebraei, eorum magistri quid senserint de autochiria? 278. 180. eorum lingua an sit prima eua et uniuersalis? 360. 408
Ebrietas quando ueniam mereatur? 197 117. quam noxia sit? 173. 97. an ualeat diuinis causa liceat? 284. 263. quatenus obstat pacto? 368. 62
Ecclesia unde dicatur? 756. 3. in quotuplici sumatur sensu? 757. 4. in sensu proprio quid sit? ibid. 13. quotuplex? 758. 20 parochialis quo alias nomine dicatur? 759. 27. et 860. 36. cur una dicatur mater, altera filia? ibid. 30. incorporata quae? ibid. 34. cur sit societas aequalis? 759. 37. qualem habeat finem? 762. 63 quomodo uniuersitatis ciuilis induat naturam? 762. 64. an formam habeat politicam? 763. 72. an in tres distingui debeat status? ibid. 77. cur de ea in politica sit tractandum? 787. 370. eius directio quid complectatur? 794. quibus modis possit conseruari? 850. an inter ecclesiam eiue praepositos spirituale intercedat matrimonium? 852. 20
Ecclesia doctor uide minister
Ecclesiae auditores quid de iis sit notandum? 787
Educatio, qualis hodie sit? 130. 3. et 152. 27 scriptores de ea 131. 21. quam necessaria sit? ibid. 23. et 469. 125. bona quid debeat

- beat complecti? 467. 92. an iure naturae a parentibus requiratur? ibid. 99. praua quantum Reipublicae noceat? 750. 10. recta quomodo debeat fieri? ibid. 13
- Electio imperantis*, quid de ea sit notandum? 722. 23.
- Electio ministri ecclesiae* quomodo fiat? 774. 205
- Electio Papae*, uide Pontifex Romanus.
- Emigratio*, cur permittenda sit subditis diuersae religioni addictis? 74 8. 55. et 816. 93
- Emphyteusis*, quid sit? 426. 210
- Emptio uenditio* qualis sit contractus, et quomodo ineatur? 386. 316.
- Encaenia*, quid sint? 863. 82
- Enthusiasmus*, cur religioni aduersetur? 243. 99.
- Epicurus*, qualem de summo bono habuerit sententiam? 83. 11. eius defensores qui? 84. 16. aduersarii qui? ibid. 17. deprauata eius doctrina cur religioni aduerteretur? 243. 96
- Episcopale ius*, an potestas in sacris ita debeat appellari? 761. 64. et 809. 11.
- Episcopus* quid sit? 781. 300. scriptores de eo, ibid. 301. iudicium Patini de eo 808. 180
- Equites*, quot eorum genera olim fuerint in Gallia? 81. 224. sacri quinam sint? 783. scriptores de iis ibid. 321
- Error* quid sit? 221. 111. an iustae obstitat defensioni? 294. 115. qualis impediatur pactum? 376. 181
- Etbica*, quid de ea sit notandum? 9
- Eucharistia* uide coena sacra.
- Eunuchus*, an matrimonium inire possit? 459. 24
- Evocatio* deorum apud gentiles quid fuerit? 591. 35. et 858. 13. loci obfessi quid sit? 607. 88
- Examen* futuri ecclesiae ministri quale debeat esse? 775. 230
- Excommunicatio* Papae, uide Pontifex Romanus.
- Excursiones hostiles*, quid de iis sit notandum? 593. 58
- Excussio* beneficium quid sit? 401. 496
- Existimatio* quid sit, quoduplex, et cur quaerenda? 257. 43. an propriis eam laudibus tueri liceat? 264. 159. qualis eius debeat esse defensio? 297. 168. quomodo possit laedi? 310. 98
- Expugnatio* loci obfessi quid sit? 607. 90
- Exules* fidei cur sint recipiendi? 644. 63.
- F
- Faetio* quid sit? 753. 50. unde existat? ibid. 53. quomodo sit punienda? 754. 57
- Facultates* in academia quid sint? 878. 40
- Falsiloquium* quid sit? 339. 99
- Fames*, quid eius necessitas efficiat? 196 111. et 270. 64
- Familia*, quid de ea sit noscendum? 482
- Fatum*, quoduplex sit, et a quibus oppugnatum? 55. 69
- Feciales*, quid de iis sit notandum? 583. 20
- Felicitas* hominis summa, quid de ea sit noscendum? 83
- Fera bestia*, quando possit occupari? 412. 59
- Feriae*, eas ordinandi ius cur imperans habeat? 819. 135
- Feudum*, quid sit? 427. 220
- Fides*, an idem sit, ac conscientia? 43. 2. bona ubi requiratur? 416. 98. qualis possessor inde dicatur? 414. 298
- Fidei iussio*, quid sit, et quoduplex? 399. 480
- pro pace quid sit? uide guarantia.

Filia,

Filia, uel *filius* si ex ignorantia ducatur in
matrimonium, quid sequatur? 459. 249
eius intra et officia quae sint? uide liberi

Flagellatio apud pontificios qualis? 184.
269

Fodinae metallicae qualem praebant u-
sum? 740. 111

Foedus, quid de eo inter gentes sit obser-
uandum? 552. an paci conseruandae in-
seruiat? 640. 12

Foemina, uide mulier.

Foeneratores, quales sint coercendi? 394.
413. an sepultura eis deneganda? 501. 153

Fontes, quales sint rariores? 253. 88

Formulae fidei, an necessariae sint? 815. 10

Fornicatio uide scortatio.

Franchisiae, uide asylum.

Fuga, quando licita, quando minus? 289. 46

Funebris oratio, qualis debeat esse? 500.
138. de honorario pro ea debito quis
scripserit? 786. 363

Funus unde dicatur? 498. 13. quo ritu a-
pud Romanos fuerit elatum? 498. 115

Furiosus, qualis aestimetur? 279. 197. an
defensio aduersus eum liceat? 294. 115
quis proprie talis sit? 367. 54

Furtum, quid de eo sit notandum? 317. 189
tale committens quando impune possit
occidi? 196. 112. et 297. 166

G

Gemelli Principes an simul regnare debe-
ant? 731. 75

Gentes integre an peculiaria habeant tem-
peramenta? 119. 35. quid sint? 521. 9 quid
sibi inuicem debeant respectu persona-
rum? 540. quid respectu rerum? 547
quid respectu nexus et status? 550

Geometria, quid proficit? 873. 110

Gradus amoris quomodo sint obseruandi?

uide amor. in propinquitate quid fiat?
448. 112 academici quales sint uide di-
gnitates.

Guarantia quid sit? 617. 76

Gymnasium, uide schola.

H

Haereticus, cur fides ipsi seruanda? 374. 157

quid in eum liceat? 817. 108

Hansa Teutonica, siue hanseatica societas
cur fuerit destructa? 487. 60

Historia, quomodo inseruiat iurispruden-
tiae? 166. 31. ethica a quibus fuerit scri-
pta? 10. 8. iuris naturae a quibus? 211. 49

Homagium, quid sit? 681. 143 an clerici
id praestare debeant? 682. 150

Homicidium, quale mereatur ueniam?
196. 112 quotuplex sit? 308. 64

Homo, quotuplici modo possit confide-
rari? 33 eius cognitio quam necessaria sit
et utilis? 34. 1 qualis sit praecipua? ibid.
4 eius emendatio utrum ab intellectu
debeat incipere, an a uoluntate? 42. 64
dignitas eius in quo consistat? 103. 56
quale ius in creaturas diuinitus ipsi sit
concessum? 410. 19 in quot genera pos-
sit distingui? 493. 9

Honestum, quid de eo sit noscendum? 149

Honores an summum hominis sint bonum?
84. 21 et 86. 49

Hospitalitas, scriptores de ea 367. 330

Hostilina, qualis fuerit Dea? 587. 5

Hostis, an sepultura ei possit denegari? 501.
150 quis talis dicatur? 586. 1 quid iuris
habeat in personas et res hostiles? uide
bellum.

Hugonottae cur ita dicantur? 816. 92

Humatio, uide sepultura.

Hunsfuit, quale sit nomen? 311. 105

Hyaena, qualis sit bestia? 312. 7

Hypotheca,

Hypotheca, uide *pignus*.

I
Ideae Platonicae, quis de eis scripserit? 84. 15
Ignauia, cur sit euitanda? 106. 33. et 169. 71
quantum noceat? 751. 25.
Ignorantia, quid sit? 60. 38. quoruplex?
ibid. 39. quae regulae de ea sint obser-
uandae? 68. 138. scriptores de ea 109. 62
Illatio, in mente humana, quid sit? 39. 10
Imaginatua, quid sit? 41. 46
Imitatio, quid possit? 131. 11. item 138. 33. et
157. 37
Immisericordia, quid sit? 330. 361
Immortalitas animae uide *anima*.
Immunitas ab oneribus cur competat le-
gato? 629. 100. cur ministris ecclesiae?
cur academicis? 891. 187
Impense, quoruplices sint? 436. 322
Imperia, an prima ex latrociniis sint orta?
662. 41. an immediate a Deo sint con-
stituta? 667. 104
Imperium, uoluntatis quale sit? 54. 59. Dei
in homines unde deriuandum? 201. 33.
hostis in hostem quale habeat particu-
lare? 601. 6. uniuersale? 609. 112. merum
quid sit? 690. 78. mixtum quid? ibid. 81
Imputatio, quid sit? 66. 118. quodnam eius
fundamentum? 67. 120. ubi obtineat?
ibid. 126
Incessus, an passionem hominis possit in-
dicare? 132. 10.
Inclinatio animi quoruplex? 258. 72
Incubi, quid de iis sit statuendum? 251. 58
Indictio belli, uide *bellum*.
Indifferentissimu, quid sit? 65. 100
Indaciae, quid de iis noscendum? 614
Inductio, quid sit? 39. 17
Indulgentia, quid sit? 330. 362
Ineritudo, quid sit? 188. 95

Inertia, quid sit? 330. 388
Infans, cur pacto non possit obstringi? 366.
34. eius expositio quale sit crimen?
468. 122
Ingenium, stricte dictum, quid sit? 40. 22
de scrutinio eius scriptores 43. 73
Iniuria, quid sit et quoruplex? 622. 22.
Innoxiae utilitatis officia quae? 324. 285
Inquisitio catholica, quid de ea sit iudican-
dum? 817. 112
Inspectores scholae uide *schola*.
Intellectus, quid de eo tenendum? 38. eius
officium erga uoluntatem quod? 51. 23
et 56. 29. quibus laboret morbis? 104. 3
quaenam horum sint causae? 108. 10
quae antidota? 108. 48. quomodo sur-
betur affectibus? 126. 78. eius emen-
datio cur sit necessaria? 137. 13
Intelligentia, quid sit? 41. 58
Intemperantia, in quo consistat? 273. 93
quantum republicae noceat? 752. 35
Intentio, qualis sit uoluntatis actus? 53. 42
quoruplex? ibid. 44. quoruplicem fa-
ciant scholastici? 354. 326
Intercessio gentis pro gente afflicta cur sit
facienda? 543. 46
Interpretatio, quid de ea tenendum? 181
Interregnum, quid sit? 724. 44
Inuentio rei alienae, quid de ea sentien-
dum? 230. 238. item. 318. 156. et 436.
329. thesauri uide *thesaurus*.
Inuestitura ministri ecclesiae, quid de ea sit
noscendum? 778. 261
Ira, iusta quid operetur? 197. 116
Iesuita, quid sit? 783. 322. scriptores de eo.
ib. 323. Patini iudicium de eo 808. 180
Focus, qualis offendar? 312. 110. quid sit, et
quoruplex? 343. 160
Judaei, an ad christianam religionem pos-
sint

Y Y Y Y

sint cogi? 818. 114. cur caute sint reci-
 piendi? ibid. 115
Judicium, mentis humanae quid sit? 39. 9
 et 40. 30. cur de omnibus rebus teme-
 re haud ferendum? 107. 45
Judicium, domesticum quid sit? 45. 24 con-
 stituendi potestas quid sit? 690. 74. in-
 certa causarum in eo tractandarum ra-
 tio quantum reipublicae noceat? 755. 73
Juramentum, quid de eo notandum? 344.
 176. eius remissio quid sit? 359. 390 a-
 cademicum quale? 384. 96
Jurisdictio, exemptio ab ea cur competat
 legato? 628. 92 in comites suos cur eam
 habeat legatus? 629. 105. quot comple-
 ctatur partes? 690. 75. quotuplex sit? ib.
 76 ecclesiastica qualis consistorio com-
 petat? 836. 71
Jurisprudencia, quid de ea tenendum? 164.
Jus, in quotuplici sensu accipiat? 168. 4
 pro lege sumtum, quid sit? uide lex. non
 scriptum quae requisita debeat habere?
 174. 104 permissuum an detur, et quid
 de eo noscendum? 177. perfectum et
 imperfectum quid? 322. 26 ab una gen-
 te inter subditos statutum quatenus ab
 altera debeat approbari? 544. 56
Jus Gentium, de eius natura et indole quid
 sit noscendum? 557
Jus Naturae, in sensu moraliter acceptum,
 quid sit? 199. quae habuerit fata? 208.
 quotuplices eius sint scriptores? ibid.
 10. quodnam eius demonstrandi sit
 principium? 212
Justitia, quomodo possit describi? 146. 70
 et 171. 57 quotuplex sit? 53. quomodo a
 charitate differat? 323. 267
 L
Labor, qualis eius debeat esse usus? 268. 18
 immodicus quantum noceat? 277. 154

in officio honesto quatenus sit tole-
 randus? 282. 240
Laico, quotuplex sit? 305. 12
Laici, unde dicantur? 788. 5. quid de hac
 appellatione sit iudicandum? ibid. 6
Latina lingua, uide lingua.
Latro, an praestitum ei iuramentum debe-
 at seruari? 349. 251
Latro, qui dicantur esse a latere Principis?
 615. 58
Legatus, quid de eo sciendum? 620
Legitima, an sit iuris Naturae? 422. 168
Lex, de eius natura quid noscendum? 167
 de legum collisione qui scripserint? 232.
 269. legum ferendarum ius quid sit, et
 cui competat? 687. 48. quales in re-
 publica leges debeant ferri? 689. 66
 fundamentales quid sint? 701. 44. an
 summae potestati repugnent? ibid. 55.
 scriptores de eis? 704. cur non facile
 sint mutandae? 754. 68. divinae an ob-
 ligent per modum consilii? 174. 107 an
 dentur positivae uniuersales? ibid.
 109 an forenses et ceremoniales possint
 dici abrogatae? ibid. 111. an de iure in
 N. T? 175. 113. a quonam possint expli-
 cari? ibid. 115.
Libellus famosus, quid sit? 312. 116
Libri, boni libri cur legendi? 118. 29. item.
 157. 38. improbandae lectionis qui sint?
 259. 81. gentiles an in scholis sint legen-
 di? 261. 121. malorum retractatio an sit
 honesta? 263. 142
Liberi, quid de iis noscendum? 460. 6 na-
 turales num ad regnum possint perue-
 nire? 731. 83
Libertas, qualis competat uoluntati? 15.
 61. quae eius sint contraria? 56. 74
 cur eius consideratio ad usum rectae
 rationis

rationis proli? 100. 17 academicae
abusus quantum noceat? 875. 243
Libertinismus, quid sit? 243. 110
Licentia, qualis sit gradus academicus?
889. 156
Limites, quid de iis inter gentes sit obser-
uandum? 568
Linea, in propinquitate quid? 447. 108
Lingua, an detur uniuersalis? 360. 407
Latina quam necessaria sit? 872. 99
Litaniae, eas ordinandi ius quis habeat?
822. 176
Literaria res, eo eius studium, proli?
265. 132
Locatio conductio, quid sit? 398. 365
Lottaria, quid sit? 398. 426
Ludi, quid de eis noscendum? 398. 468
de scenicis quid sentiendum? 752. 38
Lupanaria, cur non sint toleranda? 174. 118
et 753. 45 quo nomine dicantur a Ter-
tulliano? 821. 7
Luxuria, quam noxia sit? 273. 96
Lycei, quid sint? 368. 43
Lytrum, sub conditione matrimonii da-
tum, quid efficiat? 449. 242 quid de
eo obseruandum? 604. 43
M.
Maccenas, quis de eo scripserit? 734. 24
Magia, quid de ea notandum? 259. 47
scriptores de ea 252. 75 cur in bello
sit prohibita? 598. 62
Magisterium, quid sit? 889. 162
Magistratus, quod eius officium? 293. 113
Maiestas, quid de ea sit notandum? 669
quae complectatur iura? 684. quomo-
do exerceatur in monarchia? 697.
quomodo in aristocratia? 707. quomo-
do in democratia? 711. quomodo in re-
bus publicis mixtis? 717 quibus modis
acquiratur? 720

Maieftatis laesae crimen quam graue sit?
283. 164
Mandatum, quid de eo sit obseruandum?
381. 241 quod duplex detur legato? 620. 20
Manifesta, quid sint? 384. 40
Manus, an ad significanda animi sentia pos-
sit adhiberi? 333. 21 eius impositio in
ordinando ecclesiae ministro unde sit
introducenda? 777. 248
Mare, an certo sub sit dominio? 411. 40
et 549. 25
Maritum, quae eius sint officia? 450. 140
Martyres, de virginibus, a carnifice stu-
pratis, quid sentiendum? 299. 195 cur
in templis fuerint sepulti? 490. 39
Matrimonium, uide coniugium
Mediator, quid de eo notandum? 618
Meditatio, cur sit necessaria? 103. 62 qua-
lis debeat esse? 108. 77
Memoria, quid sit? 40. 26
Mendacium, quid sit? 339. 210
Mens humana, uide intellectus.
Meretrices, quomodo a Periandro olim
fuerint punitae? 443. 51 quid sint? 753. 47
Metoposcopia, scriptores de ea 135. 40
Metus, quid sit? 63. 76 quid de eo nota-
dum? 70. 169 quando excuset? 298. 28
qualis obstat pacto? 875. 161
Miles, in quo uiuat statu? 281. 218 an pa-
ci conseruandae inseruiat? 689. 8
Minister ecclesiae, quid de eo sit noscen-
dum? 756 quanta boni sit praestantia?
786. 368 et 792. 65 qualem habeat po-
testatem? 798. 45 quale eius in con-
cionando sit officium? 800. 77 quatenus
ab imperante possit constitui? 823. 104
an huius imperio debeat subesse? 824.
202. controuersias theologicas quomo-
do debeat tractare? 826. 227. cur ma-

Y y y y 2

lus

- lus sit pumiendus? 827. 242. an necessa-
rio debeat esse consistorii assessor? 832.
22 quomodo subsit consistorio? 837. 87
Minister Principis, quid de eo sit notan-
dum? 733. 7.
Miseria, humana cur debeat considerari?
137. 15.
Missilia, quid sint? 413. 59.
Moderamen inculpatæ tutelæ, quæ eius
sint requisita? 488. 30.
Mobatra, quid sit? 389. 353.
Monachus, unde dicatur? 782. 318. qui de
eo scripserint? 783. 319.
Monarchia, quid de ea sit noscendum? 697.
Monarchomachi, quid statuunt? 674. 59.
Moneta, proba quam necessaria? 740. 108.
Monopolia, quid de iis sit notandum? 398.
et 740. 105.
Mons pietatis, quid de eo sit iudicandum?
394. 414.
Moralis actio uide actio.
Moralitas quid sit? 5. 3.
Mores, quid sint? 5. 2. quales in Academia?
894. 227.
Morganatica uide coniugium.
Motiones, an in aulis sint habendi? 740. 34.
Mors, cur nemo eam sibi ipsi debeat infer-
re? 271. 65. quando eam liceat oppo-
nere? 280. 202. uicaria quid sit? 284. 272.
ab obligatione quando liberet? 407. 182.
eius consideratio quam necessaria sit?
503. 169.
Mortui, quid eis debeat? 488.
Morbi, an hominis passionem possit indi-
care? 133. 7.
Mulieres, quales sint? 446. 91. an maribus
præstent? 451. 148. de eruditis qñ scri-
pserint? ibid. 149. cur apud gentes
quasdam a regno excludantur? 729. 56.
del Doctorum titulo insignitis 890. 167.
Multitudo hominum an civitati conducatur?
741. 115.
Mumiae, quid sint? 493. 61.
Munimentum, de eius obsidione quid no-
tandum? 607. an tale habere conducatur?
ibid. 96.
Musica, an ei opera sit danda? 262. 168.
Mutuum quid sit? 393. 395.
Natura, quid significet? 75. 31. item 200. 9.
et 228. 215. rerum in quo consistat? 101.
21. eius contemplatio quid proficiat? ibid.
25. quale iuris naturæ sit principium?
218. 46. naturam Deum et rationem in-
qui, quo consensu ueteribus fuerit u-
num? 223. 143.
Naturalismus, quid sit? 243. 95.
Navigatio, quam utilis sit? 82. 231.
Necessitas quid sit? 196.
11. quid sit? 169. 39. quæ sequenda ha-
bere debeat? ibid. 41.
Necessitudo, quid de ea notandum? 550.
Neutralitas, quid de ea tenendum? 610.
Nobilitas, inter cui similes? 735. 42. cur ple-
rumque sit superbus? ibid. 43. an com-
mercium possit exercere? 742. 124.
Nobilitas, quis de ea scripserit? 86. 50.
Novatio quid sit? 404. 543.
Novitas, cur non promissæ sit relictienda?
107. 40. nec tamen inconsulte sectan-
da? 262. 127. et 892. 203.
Nunus, quid de eo sit noscendum? 431.
268. de confessionario et oblatório qui
scripserint? 786. 363.
Nuntius apostolicus quis sit? 625. 59.
Obedientiæ amor uide amor.
Oblationes, pro uictoria quomodo possint
ferri?

INDEX RERVM ET VERBORVM.

fieri? 613. 19 per sacculum sonantem
 cur introductae? 855. 69
Obligatio, quid sit? 373. 142
Observantia, quomodo differat a confue-
 tudine, stylo curiae et ritu? 174. 105.
 ecclesiastica quid sit? 829. 277
Obsidio, quid sit? 607. 87
Occupatio, qualis sit acquirendi modus?
 412. 48. bellica quid sit? 606. 87 an iu-
 strum tribuat imperium? 721. 5
Oceanus, uide *mare*
Ochlocratia, quid sit? 716. 75
Oeconomi bonorum et ecclesiasticorum quo
 nomine diuti? 854. 58
Oecumenica concilia, uide *synodus*.
Officium quid denotet? 149. 60 erga De-
 um, uide *religio*, erga seipsum, uide *ui-*
ta, erga alios in quo consistat? 305. 20
Oligarchia, quid sit? 709. 49
Olla fortuna, quid sit? 398. 466
Opes, uide *diuitiae*
Opinio, unde oriatur? 39. 12
Oppugnatio loci obsessi quid? 607. 89
Optimates, quales ita dicantur? 707. 3
Oratores, ubi quintam constituerint *Facul-*
tatem? 878. 43
Oratoria, quid proficit? 872. 105
Ordinarius, in Academia quis? 879. 54
Ordinatio ministri ecclesiae quid? 777. 245
Ordinationes ecclesiasticae cur factae? 829.
 269 quis eas recenset? *ibid.* 270
Osculum, foeminae inuitae datum an iniu-
 riam complectatur? 312. 122 de osculo
 pedum Pontificis qui scripserint? 782.
 306. qui de eo generant? *ibid.* 307
Ostracismus, quid fuerit? 716. 65
Pactum, quomodo differat a lege et consi-
 lio? 172. 68 quid de eo sit noscendum?

363 inter gentes, uide *foedus*.
Paganismus, quid sit? 241. 102
Pagus, quid sit? 484. 25
Palatia Principum qualia habeantur? 492.
 49. scriptores de iis *ibid.* 50
Panegyrici, quid profint? 745
Papa, uide *Pontifex Romanus*.
Papo-Caefaria, quid sit? 814. 59
Paragium, quid sit? 728. 38
Paragium et *βείας* crimen quid sit? 629. 109
Paxentes, quid eis debeat. 218. 70 an con-
 iugium cum liberis contrahere possint?
 448. 117 quae eorum sint iura? *ibid.* 8.
 quae officia? 466. 77
Parochia, quid sit? 758. 25. unde dicatur
 curia? 860. 36
Pasquillum, uide *libellus famosus*.
Passiones, quatenam sint dominantes? 110
Patres ecclesiae, qui ita dicantur? 781. 298
Patriarcha, quid de eo noscendum?
 781. 295
Patronus ecclesiae, quid de eo eiusque iu-
 re sit noscendum? 767. 118
Pauperes, ubi fauorem habeant? 194. 80
 quantam eorum curam gesserint pri-
 mi Christiani? 853. 36 et 855. 66
Pax, quid generatim de ea sit notandum?
 633. quibus modis possit confirmari?
 636. quibus conseruari? 639
Peccatum, quid sit? 147. 78
Pedantismus, quid sit? 895. 239
Perceptio, quid sit? 39. 8
Percussores, an ab hoste in hostem possint
 immitti? 599. 71
Peregrinatio, an proficit? 746. 29
Peregrini, cur inter gentes recipiendi?
 540. 8 an tales in ciuitatem adscisce-
 scere consultum sit? 668. 110
Persidia, quid sit? 330. 357
 Yyy yy 3
Pericu-

- Periculum*, ubi necessitatis habeat fauorem? 269. 39 quale in morali- bus spectetur? 190. 63
- Peripatetici*, qualis eorum sit Ethica, uide Ethica, quae de summo bono opinio? 85. 29
- Periurium*, quid sit? 358. 377 an tale com- miserit Franciscus I. 361. 423
- Permutatio*, qualis sit contractus? 386. 306 in bello quid? 604. 40
- Persae*, eorum reges quot uirtutum ma- gistris sint usi? 145. 52
- Pestis*, an ab hoste in hostem debeat trans- ferri? 599. 4
- Petalismus*, quid fuerit? 716. 66
- Philosophia*, quid sit? 98. 68 cur iurispru- dentiae conducatur? 166. 30
- Physiognomia*, quid de ea iudicandum? 134. 26. et 136. 41 scriptores de ea 135. 39
- Pietas*, quomodo possit describi? 146. 68 quid de ea sit notandum? uide religio. eius cultores quam iniquis saepe mo- dis tractentur? 791. 42 quanta eius in Academia sit neglectio? 893. 217
- Pignus*, quid sit? 401. 500
- Plagium*, hominis quid sit? 313. 129 litera- rium an sit furtum? 318. 197
- Platonici*, quid de summo bono statue- rint? 84. 24
- Plebs*, quid sit? 711. 9
- Plenipotentarius*, quid sit? 624. 46
- Poenae*, quid sit? 691. 94 quotuplex? ibid. 100. quomodo exercenda? 692. 107
- Poenitentia ecclesiastica*, an hodie sit usita- ta? 828. 254 scriptores de ea ibid. 255
- Poetae*, ubi quintam constituerint Facul- tatem? 878. 43 quales eorum sint mo- res? 890. 176
- Poetica*, qualis in schola debeat habere lo- cum? 872. 106
- Politica*, eius natura qualis? 645. an utile tantum debeat docere? 648. 45 do- ctiores et scriptores eius quam diuersi sint? 665
- Polygamia*, quid de ea notandum? 444. 70
- Polybistoria*, eius affectatio cur noceat? 250. 92 et 893. 208
- Polytheismus*, quid sit? 243. 100
- Pontifex Romanus*, cur dicatur seuerus seuerorum? 474. 30 quam impietas eius sint excommunicationes? 683. 176 quo- tuplices sint eius legati? 625. 56 quo- modo eligatur? 713. 34 et 713. 30 qui generatim de eo scripti sunt? 782. 304 qui speciatim? 782. 305
- Populus*, an commune sit maiestatis iube- rum? 675. 68 quis ita dicatur? 711. 6 quomodo distinguatur a plebe? ibid. 9
- Postliminium*, quid sit? 604. 46
- Postulatio episcopi* quid sit? 774. 212
- Potestas ecclesiastica* interna et externa unde trahat originem? 794. 2 quomo- do una ab altera differat? 795. 15 an u- traque in uno coniungi possit subiecto? 797. 30 interna quid sit? 798. 44. quas complectatur partes? 799. 53. externa quid sit? 808. quae complectatur iu- ra? 814. 63. scriptores de iis? 829. 279
- Potestas imperantis*, uide iura maiestatis
- Potus*, qualis debeat esse? 267. 8 an in alterius salutem liceat? 283. 259 an omnis eius excessus sit peccatum? 284. 261
- Præcedentia*, quid de ea sit tenendum? 570
- Præiudicium*, quid de eo sit noscendum? 105. 13
- Præscriptio*, quid de ea tenendum? 414. 76
- Præsentatio futurae ecclesiae ministri in sensu generali quid complectatur? 773. 193 in speciali quid sit? 775. 218*
- Præsum-*

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Præsumptio*, unde oritur? 39. 13
Prætores Romani quantopere aequitati studuerint? 198. 140
Preces, publicas ordinandi ius cur imperans habeat? 820. 149 an etiam in ecclesiis diuersae religioni addictis? 829 272
Presbyteri, quid sint? 782. 313 scriptores de iis ibid. 314
Presbyterium, de quo usurpetur? 845. 5
Pretium, quid de eo notandum? 429. 239
Primogenitus, cur singulari fruatur iure? 726. 17. scriptores de eo 728. 43 an inhabilis uice alius quis fungi debeat? 730. 73 an, eo deficiente, filia debeat regnare? 731. 77. an eius filius patruo sit praefendus? ibid. 79
Principes, an defensio aduersus eos liceat? 295. 137 eorum coniugia qualia plerumque sint? 444. 63 quid eorum animis ex sententia Platonis admixtum? 473. 10. non debent fieri serui ministrorum suorum 481. 121 an duellum suscipere possint? 564. 26 potestas eorum an immediate sit a Deo? 671. 25 quibus legibus sint soluti? 679. 111. an debeant esse docti? 736. 55 et 744. 12 quomodo ciuitatem debeant gubernare? 747. 39 quo respectu ius habeant in ecclesiis? 761. 51
Privilegium, quid sit? 173. 80
Probabilissimus, Iesuitarum quid sit? 46. 45
Proclamatio, coniugii quid sit? 439. 22
Proëdria uide praecedentia
Promissio, quotuplex sit? 379. 223
Propensio, uide passio
Propinquitas, ubi sit attendenda? 195. 93 et 326. 307. qualis impediat matrimonium, uide consanguinitas.
Prouidentia Dei, uide Deus.
Prudentia, quid sit? 42. 54 sub qua imagine possit repraesentari? 736. 46
Pudicitia, qualis eius debeat esse defensio? 298. 181
Pudor, cur homini sit inditus? 321. 256
Pulebrum, cur idem sit, atque honestum? 151. 38
Putatum matrimonium, u. coniugium.
Pythagorici, summum bonum in quo statuerint? 86. 28
- R.**
- Rabulae*, quid sint? 167. 74
Raptus, uirginis quale sit delictum? 310. 87 hominis uide plagium.
Ratio, quid de ea generatim sit noscendum 93. quomodo ea utendum? 99. eius usum quid impediatur? 104. Deum, Rationem et Naturam sequi quo sensu ueteribus fuerit unum? 223. 143
Ratio belli, quid sit? 395. 22
Ratio status, quid ita uocetur? 693. 126
Ratiocinatio, quid sit? 39. 10
Reciprocatio, actionum et passionum in homine quid sit? 71. 13
Rectitudo moralis quid requirat? 65. 106 in quoniam consistat? 102. 48
Rector Academiae, quid de eo noscendum? 879. 55
Reditus publici, quid eorum causa constitui debeat? 741. 138
Regio uacua qualis sit? 412. 52
Regnum, an prima Reipublicae fuerit forma? 668. 108 an ceteris formis sit praestantior? 698. 12 an detur patrimoniale? 700. 34 an hereditarium? 730. 71 despoticum quid sit? 704. 90
Religio, de naturali quid notandum? 236 ob eam oppressis quid debeatur? 544 63 liberum eius exercitium cur competit

- petat legato in aedibus suis? 629. 103
 christiana quomodo se habeat ad Rem-
 publicam? 761. 52 et 814. 7 quomodo
 ecclesiae minister eam docere debeat?
 799. 55 eam stabilendi ius quatenus
 Principi competat? 814. 69 diuersa
 quando, et cur toleranda? 815. 83
Remissio iuramenti, uide iuramentum.
Repetitio, ad usum Rationis quomodo
 conducatur? 100. 13 qualis debeat esse?
 108. 57
Repressaliae, quid de iis obseruandum?
 564. 22
Res, derelictae quando possint occupari?
 411. 54 merae facultatis quae? 416. 94
 sacrae quomodo differant ab ecclesia-
 sticis? 851. 13
Rescriptio pacis quotuplex sit? 405. 552
Reservatio mentalis, quid de ea iudican-
 dum? 354. 317 in emtione et uenditione
 quid sit? 388. 339
Residentes, quales sint legati? 624. 52
Respublica, quid sit? 659. 7 cur introdu-
 cta? 660. 11 quomodo constituatur? 663
 52 cur dicatur persona moralis? 665. 73
 an in statu integritatis locum fuisse ha-
 bitura? 667. 101 an ex metu malitiae
 constituta dici possit? ibid. 106 an ipsius
 naturae instituto prouenerit? 668. 114
 simplex quae? 697. mixta quae? 717
 quae subsidia ei sint porrigenda? 732
 quae officia in ea praestanda? 744 quae
 mala ex ea profliganda? 749. quae in-
 epta eius sit gubernatio? 754
Retractus, in emtione et uenditione quid
 sit? 388. 336
Reuelatio Dei, an huic aduersetur ratio?
 94. 19 an in Philosophia sit attendenda?
 218. 80
Rex, quis talis sit? 698. 10
Rhetorica, uide oratoria.
Rixae, an iusta sint causa dissoluedi ma-
 trimonium? 456. 24
Rostra, quid et cui usui destinata fuerint a-
 pud Romanos? 499. 126 et 593. 57
Rubenzobius, eius sedes ubi? 251. 71
 S
Sabbatum, an sit iuris naturalis? 244. 117
 et 880. 148
Sacculus senans uide oblationes.
Sacerdos uide minister ecclesiae
Sacra, priuata quomodo debeant institui?
 790. 36 publica unde extiterint? 794. 6
 eorum administratio cui competat? 805
 141 eam recte facturum quid debeat ob-
 seruare? 807. 160 ius sacrorum an ius
 episcopale debeat nominari? 809. 11
Sacrae res uide res.
Sacramenta Christianorum a quibus re-
 gulariter debeant administrari? 805. 148
Sacrificia, an sint iuris naturalis? 244. 115
Sadducei, unde errorem de mortalitate
 animae hauserint? 84. 14
Sacuitia, quid sit? 330. 363
Saga, quid de eis notandum? 250. 57 scri-
 ptiores de eis 252. 76
Sagacitas, quid sit? 41. 42
Salarium, ministrorum ecclesiae in quo
 consistat? 785. 352. cur augeri potius,
 quam minui debeat? 786. 368 quis de
 eo scripserit? ibid. 363. professorum
 quale debeat esse? 889. 118
Salicalex, quid praecipiat? 701. 52 et 729. 53
Saltatio, an sit licita? 284. 267
Salutas, quid sit? 864. 93
Sanguis, escarius an liceat? 283. 255 scri-
 ptiores de eo 285. 276
Sapientia, quid sit? 42. 53. et 102. 36
 Saturnus

- Saturnus*, an eius regnum significauerit statum Adami? 668. 112
Satyricon scomma, quid sit? 312. 114.
Scandalum, quid sit? 147. 78. et 306. 31
Scepticismus, cur religioni aduersetur? 242. 93
 cur requiratur ad conscientiam? 44. 16
 multiplicis studium cur noceat? 107. 43 et 893. 107
Schola, unde dicatur? 865. 2 quid significet ibid. 4. pro ludo literario accepta, quid sit? 866. 12. quotuplex sit? 867. 32. triuialis unde dicatur? 868. 46 quid sit? 869. 48 quomodo ordinanda? 869. 54 doctor in ea qualis esse debeat? 870. 70. scriptores de ea 873. 117. inspectores quales esse debeant? 874. 122
Scholastici doctores, quomodo Ethicam Aristotelicam introduxerint? 13. 2 quot statuerint uirtutes? 145. 50 quales sint eorum subtilitates? 311. 101
Scientia unde oriatur? 20. 12 quid sit? 42. 51
Scortatio, quam noxia sit? 274. 110. an iuri naturae repugnet? 442. 50
Scrupulus, in conscientia quid sit? 47. 53
Secretarius, quid sit? 739. 83 scriptores de eo ibid. 87
Secularisatio, quid sit? 856. 86
Separatio a thoro et mensa cur sit introducta? 456. 209
Sepulcra, an intra urbem sint licita? 490. 25 cur uiolari hand debeant? 502. 161 quid potestatis in ea habeat hostis? 592. 47 an templis originem dederint? 860. 31
Sepultura, quid de ea noscendum? 488. 2 qualis fuerit apud Romanos? 498. 115 cui iure possit denegari? 500. 340. cur etiam gratis sit concedenda? 502. 157
Sequestrum, quid sit? 184. 287
Sermo, quid de eo noscendum? 332.
Seruitus, quid sit, et quotuplex? 427. 215
Seruus, quid de eo noscendum? 415 seruorum multitudo cur Reipublicae noceat? 721. 20
Sigillum confessionis, quid sit? 41. 35
Silentium, ubi sit licitum? 341. 126 ubi minus? ibid. 139
Simonia, quale sit crimen? 391. 376 et 766. 109
Simplicitas, interpretationi contraria quid sit? 188. 93
Simulatio, quotuplex sit? 317. 78
Socialitas, quid eam turbet? 126. 80 an Juris Naturalis sit principium? 213. 32
Societas, qualis sit contractus? 395. 420
Sodomia, an iuri naturae repugnet? 442. 44
Solutio, debiti quomodo possit fieri? 403. 531
Somnus, qualis eius debeat esse usus? 168. 25 cur eo correptus non possit pacisci? 367. 59
Sonus, quomodo differat a uoce? 332. 5
Sors, an usus eius sit licitus? 244. 121 quotuplex? 397. 451 quando inter gentes habeat locum? 564. 19 an in acquirendo imperio possit adhiberi? 722. 16 num in constituendo ecclesiae ministro? 774. 210
Spiritus creati, quid de iis noscendum? 247
Sponsalia, quid sint? 439. 21
Sponsio, qualis sit contractus? 396. 432
Sponsor pacis, quid de eo noscendum? 631
Sponsancitas, quid sit? 54. 60
Spontaneum, quomodo differat a uoluntario? 60. 34
Statu, quid sit et quotuplex? 304. 2 eius mutatio quid possit efficere? 406. 574 in sensu Politico quid sit? 697. 9
 Zzz zz
Statutum,

INDEX RERVM ET VERBORVM.

- Sacrum*, quid sit? 688. 61
Sterilitas, an iusta possit esse causa matrimonii dissoluedi? 457. 227
Stipendia professorum quae? 888. 117 quae studiosorum? 887. 130
Stripes communis, quid sit? 448. 111
Stoici, quid senserint de autochiria? 278. 174
Stoicismus, quid sit? 243. 97
Stola, quid denotet, et eius iura quid sint? 786. 360
Stratagema, quid de eo sit obseruandum? 597. 40
Studia, quomodo sint eligenda? 258. 63 eorum intemperies quantum noceat? 277. 166 cur ita dicantur Academiae? 876. 12
Studiosi in Academia, quid de iis notandum? 883. 91
Stylus curiae, quomodo differat a consuetudine, obseruantia et ritu? 174. 105
Subditus, quid sit? 681. 140 quae eius sint officia? 747. 47
Subiectio, in ciuitate quid sit? 681. 136
Subsellia in templo, quid de iis notandum? 862. 68
Successio ab intestato, quid de ea noscendum? 419. 34
Sacerdotes, quid de iis statuendum? 251. 58
Suffragium, quid de eo obseru. ? 712. 17
Suggestus, quid sit? 862. 66
Summum bonum uide bonum.
Superbia, quid sit? 330. 360
Superficies, quid sit? 427. 215
Superintendens, a quo constituatur? 780. 281 quid sit? 783. 338 officium eius quale? 784. 334 quis de eo scripserit? ibid. 335
Superstitio, an nocentior atheismo? 244. 125
Synagoga, an idem sit, ac synodus? 845. 1
Judaeorum quomodo discrepauerit a Ychola? 857. 29
Synodus, quid de ea noscendum? 845
Systema ciuitatum quid sit? 718. 17
T.
Tabacus, de eius abusu quid sentiendum? 284. 265
Talis, an inter hostes liceat? 590. 19
Temperamentum, quid de eo tenendum? 116
Temperantia, quomodo possit describi? 146. 96
Templa, an in eis mortui sint sepeliendi? 590. 25 quid potestatis in ea habeat hostis? 590. 19 quomodo soleant profanari? 791. 48 item 865. 97 et 894. 220 quid de iis amplius noscendum? 857
Tempus, quando soluat obligationem? 406. 579 quid sit, et legitimum ubi requiratur? 416. 100
Testamentum, iuramento firmatum an nouo possit aboleri? 361. 421 quid sit, et an iuris naturalis? 423. 180
Theologia, an coeptum eius studium describi possit? 263. 152
Theologus, uide minister ecclesiae
Thesaurus, quid de eo notandum? 412. 55
Tisulus iustus quid sit? 416. 99
Traditio, ubi necessaria? 414. 73
Tranquillitas animi, an summum sit bonum? 85. 27
Transactio bellica, quid de ea notandum? 416
Transitus, innoxius quatenus iure Gentium debeat? 542. 30
Trinitas, an ex lumine naturae possit cognosci? 29. 15 et 243. 109
Triumphus,

- Triumphus*, quid sit? 613. 17
Tropaea, quid sint? 613. 18
Tutela, an sit iuris naturalis? 468. 107
Tyrannus, quid de eo tenendum? 705. 98
V.
Vectigalia, cur exemptio ab iis competit legato? 629. 100. quid sint, et in eis exigendis quid sit obseruandum? 742
128
Venenum, an usus eius in bello liceat? 598. 51
Veritas quid sit? 221. 110 ubi iustitiae sit synonymum? 224. 163 quotuplex sit? 340. 112
Vespillo, unde dicatur, et de eius iure quis scripserit? 498. 113
Vestis, qualis eius debeat esse usus? 268. 32
Vicarius, imperii quid sit? 724. 48 scriptores de eo 725. 51
Vice-domini, qui fuerint? 854. 57
Victoria, quid de ea notandum? 612
Vicus, quid sit? 484. 25
Viduitas, quid sit? 454. 189
Violentia, quid sit, et quid de ea obseruandum? 63. 73
Virginitas, qualis eius debeat esse defensio? 298. 181 quam graue crimen sit eius uiolatio? 310. 86 eius seruandae pactum an liceat inter coniuges? 458. 238 cur eius uiolatio nec inter hostes liceat? 600. 79
Virtus, quid de ea notandum? 142 cur eius studium sit necessarium? 256. 22
Vis, vide violentia.
Visitatio, domesticam cur minister ecclesiae sacre debeat? 807. 137 de ecclesiastica quid sciendum? 839
Vita hominis, quomodo utenda? 254 quomodo conseruanda? 267. quomodo defendenda? 286. uitae genus quomodo eligendum? 256. 36 et 260. 110
Vitium morale, quid de eo notandum? 174. 14
Vitrici ecclesiae uide oeconomi.
Viuisepultura, qualis detur? 271. 70
Vinctura mortuorum cur fiat? 493. 63
Vniuersitas quid sit? 486. 47 cur ita dicatur Academia? 876. 10
Vocatio ministri ecclesiae quid? 774. 214
Voluntas, quid de ea notandum? 50. quinam eius sint morbi? 110. an factis etiam possit declarari? 219. 81 quale sit nomen? 120. 99. cur sequatur intellectus iudicium? 222. 135
Voluptas, an summum sit bonum? 83. 10 et 86. 42. qualis sit passio, et quid de ea notandum? 111. 12 an finis sit matrimonii? 441. 37
Votum, an iure naturali sit praestandum? 244. 117 pro suffragio sumtum, quid sit? 712. 17
Vox, an passionem hominis possit indicare? 134. 15 quomodo differat a sono? 312. 5
Vrbs, an intra eam mortui sint sepeliendi? 490. 25 quo modo differat a ciuitate? 659. 4
Vsucapio, uide praescriptio.
Vsura, quae licita sit, quae minus? 393. 402
Vulspeculae scholasticae, quis de iis scripserit? 895. 241
Vxor, mala an a marito possit coerceri? 451. 154 qui talem plerumque habeant? ibid. 156. quae eius sint officia? 453. 172

Sphalmata insigniora.

pag. 5. pos. 1. l. obiecto. p. 12. pos. 23. l. alteram. ibid. pos. 27. l. Gottschlingius. p. 14. pos. 7. l. Stagiritas. p. 15. pos. 26. l. Hermias. ibid. l. Lantouius. ibid. pos. 28. l. Teleseus. ibid. l. Kortboltus. p. 16. pos. 32. l. alii cuncti. p. 24. pos. 3. l. Knutzenius. p. 27. pos. 59. l. Raynandus. p. 32. pos. 23. l. Marollus. ibid. l. Wulferus. p. 39. pos. 18. l. adequata essentiae. p. 45. pos. 25. l. οὐκ εἶναι. p. 51. pos. 14. l. aduersatur et aduersante. ibid. pos. 15. l. non solum. p. 53. pos. 14. l. irrefragabili. p. 54. pos. 52. l. bac. p. 83. pos. 1. l. omnino. p. 66. pos. 19. l. ex probare. p. 75. pos. 2. l. uel proprie, uel improprie. p. 80. pos. 65. l. dici solet. p. 83. pos. 1. l. omnino. p. 84. pos. 16. l. Piccolomineus. ibid. l. Arnkiel. ibid. l. Arnardus. ibid. l. Queuedus. ibid. l. des Coutures. p. 87. pos. 69. l. uacet. p. 91. pos. 112. l. uarii. ibid. pos. 121. l. collineant. p. 93. pos. 6. l. synonymice. p. 94. pos. 11. l. subiecit. p. 99. pos. 90. l. Chalcidenfis. p. 107. pos. 39. l. parere. p. 113. pos. 37. l. earum. p. 114. pos. 48. l. Bayerus. p. 120. pos. 52. l. Costaeus. p. 122. pos. 27. l. Teleseus. p. 129. pos. 116. l. Luisinus. ibid. pos. 119. l. Zentgravius. et sic ubique. p. 131. pos. 21. l. Vegius. p. 135. pos. 4. l. metoposcopia. ibid. 40. l. Taisnirus. p. 140. pos. 68. l. conuersationem. p. 154. pos. 2. l. natura. ibid. pos. 8. l. indifferentes. p. 157. pos. 43. l. Stieuius. p. 158. pos. 51. l. complimentorum. p. 166. pos. 35. l. Kestnerus. p. 183. pos. 6. l. praerequitur. p. 184. pos. 30. l. ambigua. p. 200. pos. 10. l. naturali. p. 202. pos. 45. l. aduersas. p. 207. pos. 100. l. paradiso. p. 211. pos. 44. l. Beyerus. p. 225. pos. 165. l. in iniustitia. ibid. pos. 168. l. declinatio. p. 200. pos. 10. l. instructu naturali. p. 232. pos. 266. l. corpori. p. 433. pos. 290. l. Deum. p. 241. pos. 67. l. eis. p. 244. pos. 126. l. Baëlius. p. 247. pos. 5. l. ita spiritus. p. 248. pos. 18. l. eorum. p. 250. pos. 54. l. ἀναπνεύσας. ibid. 57. l. epodi. p. 257. pos. 53. l. praecipuae. p. 289. pos. 85. l. Junius Brutus. p. 263. pos. 142. l. ab Elswich. p. 266. pos. 193. l. debent. p. 283. pos. 258. l. dissuaderi. p. 284. pos. 264. l. eueniant. p. 285. pos. 275. l. conseruatione. p. 297. pos. 173. l. bonum externum. p. 303. pos. 242. l. vita. ibid. pos. 251. l. easdem. p. 317. p. 332. pos. 6. l. concentus. p. 337. pos. 80. l. multa dissimulant inuicem, multa simulant. p. 355. pos. 332. l. affirmat. p. 356. pos. 345. l. de Fuentes jurata. p. 397. pos. 452. utramque. p. 409. pos. 2. l. cum plenissima. p. 413. pos. 170. l. ex lege ciuili debitam. p. 432. pos. 281. l. Rudolphi. p. 447. pos. 108. l. discernens. p. 449. pos. 182. l. Beyerus. p. 473. pos. 14. l. §. 42. l. de Jur. person. p. 488. Rubr. Membr. l. l. officia II. Fundamentum. p. 494. pos. 75. l. Arnkiel. p. 495. pos. 85. l. foeda. p. 504. pos. 7. l. condidit. p. 517. pos. 5. l. Justinianeis. p. 523. pos. 26. l. circa quam Jns Gentium versatur. p. 533. pos. 6. l. fit. p. 536. pos. 3. l. uidebantur. p. 543. pos. 43. l. amplecti. p. 16. pos. 45. l. Beyerus. p. 552. pos. 7. l. proprie. p. 561. pos. 137. l. sunt. p. 568. pos. 2. l. extiterunt. ibid. pos. 3. l. stites. p. 572. pos. 26. l. praecedat. p. 626. pos. 65. l. Thomassinus. p. 635. pos. 23. l. Kortboltus. p. 650. pos. 67. l. internam duntaxat. p. 656. pos. 10. l. Busneta. p. 661. pos. 33. l. et lentis. p. 668. pos. 109. l. extitisse. p. 670. pos. 47. l. Leysero. p. 412. pos. 56. l. maxime notitia. p. 738. pos. 8. l. institutio. p. 752. pos. 42. l. effoeminata. p. 780. pos. 289. l. Romano. Catholicos. p. 790. pos. 39. l. Kortholto. p. 796. pos. 25. l. prauitate. p. 815. pos. 79. l. Burneto. p. 833. pos. 27. l. pleraeque. p. 863. pos. 82. l. ἐγκαινίσεν. p. 873. pos. 113. l. commendationem.

7